*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
OSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMUS VI.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHII, & B. LANCKISII, hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM officina.

M D C C X L I X.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori Salutem!

Ut ſua cuique ratio vivendi, & genus illud ſtudiorum, cui a puero aſſuevit, totumque ſe per omnem vitam dedit, gratum eſſe & iucundum ſolet; ſic nos, legendi libros novos, & de his libere ſententiam dicendi, publico quaſi quodam a multis inde annis munere fungentes, quicquid nobis hic laborum ſuſtinendum ac moleſtiarum eſt, id omne cum voluptate ſuſtinemus, non ſolum præteritorum ſuavi nos recordatione oblectantes, ſed ad hæc etiam, quæ futura deinde ſunt, nos magno animo parantes, & bona de his omnia ſperantes. Ita nempe, quæ per ſe acerbitatis aliquid, & tædiorum non omnino nihil, habent, molliora ferendo facimus, &, animo tenentes hoc propoſitum, nullum nobis eſſe tam ſanctum, tamque conſtans & continuum, quam literarum iuvandarum, ſtudium debere, quicquid demum evenerit, æquali ſemper ad agenda hæc, quæ agere honeſtus ille amor ſtudiorum, & de patria primum noſtra, deinde etiam de exteris, optime merendi cupiditas, nos jubet, alacritate accedimus. Non ii nos ſumus, quos levis quisque dolor, & quæcunque aliquid ingrati habent, proſternant totos; nec illud nos fugit, ſi quis vir haberi velit, non eum decere aures aliorum inutilibus querelis onerare; at fateri tamen hoc nobis, etiam ſine querela, licet, ſortem nobis cum iis omnibus, qui bona & utilia conantur, communem eſſe, & ab eorum hominum, qui magno non literarum tantum, ſed literatorum etiam, malo ſunt nati, odio, invidia, &, ut verbo dicamus, improbitate, tantum nobis in honeſto hoc ſtudiorum curſu obiici difficultatum ſolere, ut, niſi adverſus hæc monſtra ſatis nobis munimenti noſtra animi firmitas dediſſet, minime ſit dubitandum, quin dudum nobis accidere tale quid potuiſſet, quod accidiſſe, rerum noſtrarum ſtudioſi omnes doleant. Nam, cum illud ſit naturæ hominum, eorum inprimis, quos ad res laudabiles unum recti bonique ſtudium, non lucri, aut honoris, cupiditas, exſtimulat, quam maxime accommodatum, ut, cum, eam minime, qua digni videri poſſunt, bene actorum a ſe ferri gratiam, cum famæ ſuæ a peſſimo quoque impune inſultari, cum de pellendis orbe iis ſtudiis, quibus felicitas & ſalus rerum publicarum continetur, turpiſſima paſſim agitari, nec id fruſtra, conſilia, videant, defatigati tandem multitudine incommodorum, a colendo agro ſterili, nec ullos unquam fructus reddituro, conſulto abſtineant, fortaſſe nobis ipſis, non eam ſemper, quam votis expetere bonus quisque ſolet, fortunam expertis, nec in literario hoc munere afflictionum nihil perpeſſis, ſi ita aliquando huic ſuccumberemus fato noſtro, ut laboris, aut inglorii quodammodo, aut optatis ſucceſſibus carentis, tædium nos caperet, facilis eo nomine a iuſtis rerum æſtimatoribus venia ſperanda eſſet. Ab eo autem, ut, qui ad extrema

nos

nos redigere perverſis ſuis artibus laborant, iis gaudendi, & quaſi de nobis triumphandi, materiam præbeamus, longiſſime nos abeſſe, nec, ſi Deus nobis corporis animique vires integras ſervaverit, futurum unquam, ut, loco moveri virtutem noſtram, & eripi nobis hanc lauream, quam tot amorum pepererunt ſtipendia, patiamur, libere & cum animi quadam conſtantia profitemur. Eſt ſane iis omnibus, qui factis præclaris commendari ætati ſuæ cupiunt, qualis ſit ætas ſua, quam hæc bonos, quam doctos, quam ſapientes, ferat, inprimis ſpectandum; nec, ſi, plebeculæ indoctæ majorem eſſe, quam pollentium judicio & gravitate, copiam, appareat, ſatis prudenter faciunt, qui plauſum gratiamve plurimorum expetunt. De noſtro ſeculo quid aut ipſi ſentiamus, aut ſentire omnes debeant, quandoquidem res plena eſt invidiæ, præſentia & ante oculos conſtituta ex merito æſtimare, haud dicemus; at videmur tamen dudum nobis uſu & exemplis didiciſſe, non qui multis, non qui in viis publicis, in circulis, in conviviis, ſed qui paucis, ſed qui in conventu ſeniorum, ſed qui in privatis prudentum congreſſibus, laudantur, vere dignos laude debere, vere bonos, vere amabiles, judicari. Sit igitur hæc nobis & in præſens, & in futurum omne tempus, lex propoſita, ut, quæ vulgi ſint de noſtris ſtudiis judicia, parum curantes, aut, ſi quid ſermunculorum ad aures noſtras, etiam invitas, pervenerit, id ipſum, quo turpius, hoc magis nobis honorificum & glorioſum interpretantes, qua via inde a tot annis inceſſimus, ab ea nec deinde deflectamus, &, utcunque populo placeamus, laborum & vigiliarum, quas ſatis per ſe honeſtas eſſe nemo negat, certiſſimam mercedem, ſi non aliunde, ſaltem a recte actorum conſcientia, petamus. Cujus propoſiti, penitus in noſtro animo infixi, ut aliquod, amice, Lector, tanquam pignus habeas, novum hoc in manus tuas Volumen Supplementorum *tradimus, quod, etſi exſpectare fortaſſe a noſtro ſtudio, minime tamen expoſcere ut debitum, te potuiſſe, bene intelligis. Si quid enim eſt, quod præſtari debere a Muſa noſtra, recte contendis, certe illud eſt, quod annus quisque* Actorum *ſolvit; cui ſi quid uſuræ loco Supplementorum accedit, liberalitatis noſtræ hoc donum eſt, haud neceſſarium tributum. Quandoquidem igitur nemo odiſſe eos ſolet, quos in ſe munificos, & ſui ſtudioſos, novit; etiam noſtro huic, quale demum cunque eſt, munuſculo aliquid penes te ſperamus pretii futurum, & gratiæ te nobis tantum habiturum, quantum haberi de ſe optime merentibus debere, boni omnes judicant. De nobis illud tibi perſuaſum eſſe certo poteſt, ſi, quæ dedimus huc usque, ſponte noſtra, & mercede a te invitati nulla, dedimus, hoc plura, & fortaſſe meliora, deinde nos daturos, cum, quicquid eſt hujus ſtudii, non omni caruiſſe fructu, ſed, quæ dulciſſima nobis laborum merces eſt, approbatorem te ſatis liberalem habuiſſe, cognitum nobis & comprobatum experimentis fuerit.*

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio I.

HISTOIRE DE L' EMPEREUR CHARLES VI, &c.

id eſt,

HISTORIA IMPERATORIS CAROLI VI, ac eventuum, qui acciderunt in Imperio ſub dominatu Principum auguſtæ Domus Auſtriacæ, inde a Rudolpho, Comite Habspurgico, uſque ad ætatem noſtram, una cum lite, inter Hungariæ Reginam & Regem Pruſſorum exorta ſuper Sileſia. Autor eſt M. L. D. M. Acceſſit Tabula geographica, Sileſiam curate repræſentans.

Tomi II.

Amſtelædami, apud Franciſcum Honoratum, ejusque filium, 1741, 12.

Alph. 1 plag. 4.

Exponitur hoc libello ſeries viciſſitudinum, quibus auguſta Domus Auſtriaca crevit, ſucceſſuque lætiſſimo efflo-
ruit; tum quibus ipſa, imperante *Carolo VI*, laborare cœ- Tom. I
pit; denique quibus ipſa, Auguſtiſſimo *Carolo VI* demortuo, pag. 2.
fuit paſſim implicata, & ob ſanctionem pragmaticam hinc inde impugnatam laceſſita. *Rudolphi* Habspurgici origines cum

Digitized by Google

aliis ex *Archembaldo*, ejusque filio, *Leudesio*, præfectis palatii Francici, Autor deducit. Decursus operis *tres* offert *Partes*. *Prima* inde a *Rudolphi* Habspurgici ætate usque ad *Josephi* mortem pertexitur. *Secunda* rebus *Caroli VI* glorioſiſſimis est consecrata. *Tertia* complectitur eventa potiora, quæ primo a morte ejus anno contigerunt. Disserit Autor in hac *Parte tertia* de controversiis, quæ inter Reginam Hungariæ & Regem Borussorum super Silesiæ Principatibus aliquot exarserunt, quæ prælio Molwizensi fuere illustratæ, necdum ab Autore ad finem & pacem ipsam deductæ. Adjunxit idem jura quæsita, quibus Hispaniarum Rex & ipse Elector Bavariæ Reginam memoratam affligere sunt conati. Documenta historica, acta publica, figuræ præliorum & obsidionum, æri incisæ, in opere hoc historico, si pauca exceperis, non apparent. Compendiosa solidaque, id est, genuina, narratione universus contextus constat. Antiquiora ex *Eckharto* & *Herrgottio* passim expoliri, limamque sentire, queunt. Reliqua diligentissimo & moderato scripturæ genere decurrunt. Juvat omnino res Imperatorum Austriacorum uno obtutu perlustrare, ac de eorum
Tom. II fatis solidum facere judicium. *Ferdinandi I* pacta cum Duce
pag. 283 Bavariæ, testamentum, & codicillum, fideliter Autor fuit execu-
seq. tus, ita tamen, ut Augustissimi Imperatoris a partibus stare haud videatur. Molwizense prælium illustravit Mathematicus
347. Parisiensis, quem equites Hungarici e comitatu Regis Borussorum abreptum, ac vestibus nudatum, Vindobonam miserunt. *Maupertuisius* significatur. Scilicet inter arma silescunt Musæ. Omittimus reliqua. Pulchriorem vero sese repræsentabit universa hæc expositio historica, si dignum controversiis, nondum conquiescentibus, ei accesserit supplementum. Bellum enim ob Silesiam gestum, bellum ob Austriam superiorem & Bohemiam inflammatum & repulsum, bellum ad Mœni Rhenique oras & ultra collatum, & illud, quod Italiam infestat, cum hac historia adeo conjunctum est, ut ab ea nullo pacto secerni ac separari possit.

RELATION DE LA CONDUITE, QUE LA DUCHESSE Douairiere

Digitized by Google

Douairiere de Marlborough a tenue à la Cour, depuis qu'elle y entra, jusqu' à l' an 1710, &c.

id eſt,

COMMENTARIUS DE RATIONE VIVENDI & agendi, qua uſa fuit Dux vidua de Marlborug dicta in aula Londinenſi inde ab eo tempore, quo in eam fuit ſuſcepta, uſque ad annum 1710, ſcriptus per ipſam beneficio epiſtolæ ad Dominum - - - datæ. Ex Anglico translatus.

Hagæ Comitum, apud Petrum Paupie, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 1½.

Solent in Commentariis ejusmodi momenta complura, quibus hiſtoria civilis muniri & illuſtrari poteſt, reperiri. Elucet inde genius procerum aulæ & ratio multiplex, quæ Reges, eorumque adminiſtros, ad omittenda & perficienda negotia adduxit. Ut vero aulica vita eſt perpetua navigantium cum ſcopulis colluctatio, nec voto ibi uno vivitur; ita judicia unius de altero inibi multum trahunt ex affectu, quem quisque erga ſeſe expertus fuit. Quare Commentariis ejusmodi tantum fidei ineſt, quantum rerum expoſitarum modulus ipſe & complexus, cum momentis circumſtantibus, aliisque fide dignis teſtibus, collatus, ferre poteſt. Nobis non eſt integrum, Commentario huic nævos, vel maculas, objicere. Veneramur enim Autorem Illuſtriſſimam, nec dubitamus, eam de rebus ſibi compertis in regno, quo libertas ſentiendi & ſcribendi maxime viget, ingenue expoſuiſſe. Vellicat tamen aurem monitor, qui Commentario huic, Gallice facto, nonnihil præfatus fuit. Hic ſignificat, in Regem *Wilhelmum III*, ejusque uxorem, Reginam *Mariam*, durius ſubinde graviusque ſcripſiſſe ſummam Commentarii Autorem, ſecutam quippe mores *Annæ*, ejusque aulæ, regnum nondum nactæ. *Jacobitæ* enim aures *Annæ* imbuerant fictis rebus, ut diſſidia ſororum, *Annæ* & *Mariæ*, alerent, uſi opera *Myladyæ*, ſeu Ducis *Marlborugiæ*, quam norant ad *Annæ* flectendam mentem plurimum valere. Inprimis

mis monitor repetit ex ætatis ſuperioris teſtibus ac monumentis, quanta olim fuerit in *Maria* Regina præſtantia affectus molliſſimi, in ſocietatem dolorum venientis, & generoſæ indolis in quoscunque. Commentarii Autor e contrario, eam ab omni indole generoſa & nobili, virtutumque & humanitatis
Pag. 27. pietatisque in ſuos comite, deſertam fuiſſe, aperte refert. Nec omittit ipſa commemorare, animo prorſus erecto & exultabundo *Mariam* palatium intraſſe regium, a patre profugo vix relictum. Monitor autem docet ex *Gilberti Burneti Memor. Tom. III pag. 451 edit. Gall. 8*, *Mariam* introitum illum quidem impulſu *Wilhelmi III* conjugis conjunxiſſe cum lætitiæ indiciis, ne videretur Anglorum in patrem ſuum animo infeſto minus contenta; at lætitiam illam omnem fuiſſe fictam, & ſimulatione quadam extortam. Occupatio regni Angliæ ampliſſimi & florentiſſimi profecto haud erat triſtitiæ luctusque argumentum. Addit monitor alia, in Autorem Illuſtriſſimam duriora, ne libello huic aqua & igni interdicatur in Belgio, prudentiſſime cavens. Annotationibus paſſim obſcurius breviusve dicta illuſtravit Interpres novus Gallicus. Et hanc quidem ob cauſam editio Gallica multis paraſangis poſt ſeſe Anglicam relinquit. Qui operæ pretium duxerint, qua ratione *Myladya* in *Annæ* amicitiam ſeſe inſinuaverit, quare *Maria* ſororem *Annam* odiſſe cœperit, cur *Wilhelmus III* in affinem *Georgium*, Daniæ Principem, exſtiterit ſuſpicax & inclementior, cur *Anna* Ducem hanc tandem faſtidiverit, Gallorumque partes, ingemiſcente Europa, corroboraverit, cognoſcere, eorum
43. eſt ad hunc librum legendum ſeſe conferre. Qui meminerit, maritum *Myladyæ* Illuſtriſſimæ a *Wilhelmo* Rege muniis ſuis aulicis fuiſſe exutum, eum fugere haud poterit ratio, cur ipſa in *Wilhelmum* haud optime ſit affecta. Ipſius enim Ducis
44. hæc ſunt verba: *Fateor, expulſionem mariti ſic fuiſſe comparatam, ut pro indole, qua ego ſum prædita, ipſam ſenſerim nunquam non concoctu difficiliorem.* Ipſa recordatur, *Mariam* nil omiſiſſe intentatum, ut ipſam ex *Annæ* conſortio & comitatu
54. deturbaret, licet conatus eventu ipſo fuerit deſtitutus. Recenſet ea, quæ intra velum, *Anna* regnante, Londini fuerunt deſtinata,

Digitized by Google

deſtinata, acta, geſta. Diſſidia Toriorum & Wighiorum, id eſt, Epiſcopalium & Presbyterianorum, delineat. Conſanguineos ſuos nominat, deſcribit, & notat, quorum opera maritus & ipſa favorem aulæ & fortunæ ad vota fluentis amiſerint. Immiſcentur huic Commentario varia, quæ ad ſtatum eccleſiaſticum, viros doctos Angliæ, & ad ſucceſſionem Hannoveranam, ſunt referenda. Plenus eſt liber anecdotis, quibus ſæpe ineſt momentum ad res graviſſimas clarius intelligendas haud contemnendum. Qui Ducis *Marlborugii* hiſtoriam interiorem noſſe avent, eos hic Commentarius paſcet & retinebit. Noſtrum non eſt, in anecdotis illis repetendis deſudare, quippe qui omne de hoc ſcripto judicium perſpicaciſſimæ & politiſſimæ Anglorum nationi reſervamus. Id unum addimus, epiſtolas *Annæ* Reginæ, ſummorumque Angliæ virorum, huic libello decus conciliare omnino commemorabile, ſummique faciendum. Pag. 111 ſeq.

LA VITA DEL VENERABILE SERVO DI DIO GIROlamo Miani, fondatore della Congregazione de' Cherici Regolari di Somaſca, &c.

hoc eſt,

VITA VENERABILIS SERVI DEI, HIERONYmi Æmiliani, Congregationis Clericorum regularium de Somaſcha fundatoris, inſcripta Papæ BENEDICTO XIV.

Venetiis, apud Simonem Occhi, 1740, 4.

Alph. 1 plag. 1.

Stanislaus Santinelli, Congregationi Somaſchenſi adſcriptus, libri ſeſe profitetur Autorem, demonſtrans, ſeſe ea, quæ hic exponuntur, haud alio ſenſu accipi velle, ac ſolent ea ſuſcipi, quæ humana duntaxat autoritate nituntur, iis tamen exceptis hominibus, quos ſedes Romana aggregaverit Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum, ſeriei. Tractatio ipſa diſtributa eſt in *XXVI Capita*. In lucem ſuſceptus fuit *Hieronymus Æmilianus*, Patricius Venetus, A. 1481 Venetiis, patre uſus Pag. 2.

Angiolo di Luca di Marco di Giovanni Miani, matre *Dianora*, *Moroſiniæ* familiæ adſcribenda, ſorore *Chriſtina*, fratribusque tribus, *Carolo*, *Marco*, & *Luca*. Anno 1495 exercitibus Ve-
Pag. 5. netorum interfuit, bello implicatis Veneto. A. 1511 ſe aggregavit ei, qui ſummæ rerum Caſtelli novi præfuit. Ipſe cuſtos hujus loci primarius a Cæſareis fuit ſpoliatus, & in turris fundo concluſus, ferreisque mánicis & circulo ferreo in collo circumdatus. In hac miſerrima captivitate ſupplex circumſpexit opem Dei ac Deiparæ. At quo eventu? Accipe narrationem Autoris. Deipara ipſum ſolata fuit, animoque firmavit, disjecit manicas, cippos, & catenas, reſeravitque carce-
7. rem, ut ipſe exiret in libertatem. Exiit illico, ſumta ſecum ſtraminis parte, ſolo induſio tectus, verſus Trevigium, ſeu Tarviſium. Occupatus in hoc itinere, vidit turmam hoſtium, per campi patens æquor diſcurrentem, quam effugere haud voluiſſet, niſi ſanctiſſima Virgo ipſi apparuiſſet, hoſtibus eum reddidiſſet minus conſpicuum, ac per medios hoſtes ſalvum deduxiſſet. Diſparuit illa paulo poſt, & ipſe ingreſſus fuit Tarviſium. Hæc ille. Tabulam votivam *Æmilianus* in æde S. Virginis Tarviſiana ſuſpendit, ac in eam documenta captivitatis ſuæ transtulit, quæ A. 1624 adhuc in ſacello B. *Mariæ* Vir-
9. ginis fuerunt conſpecta. Rediit deinde Venetias, ibique tempus omne ſuum religioſis ſacrisque meditationibus transmiſit. Reſumſit A. 1516 cuſtodiam Caſtelli novi, pace reſtituta. Amiſit fratrem *Lucam*, ſenatorem Venetum, A. 1524, ejus-
16. que pupillos tutelæ ſuæ habuit demandatos. A. 1527 Venetias ſeceſſerunt octo Clerici, ſeminarium Congregationis novæ, ejusque primores, *Cajetanus Stephanus* & *Joannes Petrus Caraffa*, poſtea Cardinalis & Papa, *Pauli IV* nomen geſtans. Tunc *Æmilianus* ſeſe addixit *Caraffæ*, eique morem geſſit ad amuſſim, benignus in pauperes & infirmos, fundavitque xenodochium
21. Berſalienſe. Poſthæc conditorem egit orphanotrophei, ac in-
26. fantes collegit derelictos. Transtulit vero juſſu Epiſcopi Ve-
32. ronenſis Veronam illud orphanotropheum. Brixiæ condidit aliud ſimilis naturæ generisque, nec non Bergami. Pietatem ſparſit per terras pagosque adjacentes. Comi exſtruxit duo orphano-

orphanotrophea. In Valle S. *Martini* conflictatus cum difficultatibus nonnullis, eisque feliciter ſuperatis, novam domum Somaſchæ ædificavit, ſuisque ſociis, inibi viventibus, modum vivendi præſcripſit. Mediolani accipere recuſavit dona Ducis, ibique fundavit orphanotropheum. Rediit inde Somaſcam, & porro Venetias & Brixiam. Somaſcham demuo redux, obtinuit precibus ſuis a Deo prodigia. Salutata Brixia, rediit Somaſcham, mortemque ſuam prænuntiavit. Obiit A. 1537, 7 Febr. in villa Somaſcha, ligneoque ſarcophago incluſus, poſitus eſt in ſepulcro, paulo ſupra terram elato. Ex decreto Synodi Tridentinæ A. 1566 ſarcophagus in ipſo templo reconditus fuit. *Carolus Borromæus*, Archiepiſcopus Mediolanenſis, inviſit aliquando ædem S. *Bartholomæi* Somaſchenſem, inibique ſuavem fragrantiſſimumque ſenſit odorem. A. 1737 coram *Clemente XII* actum fuit de ejus inter Beatos Cœlitesque adorandos evectione. Dicitur ipſe, jam defunctus, populo Somaſchenſi beneficia, nec pauca, nec exigua, præſtitiſſe, ac præterea miraculis inclaruiſſe, quæ a Pl. Rev. Autore enarrantur. Noſtrum eſt, recordari decreti, quod *Urbanus VIII* A. 1625 promulgavit, & A. 1634 confirmavit, quo cautum eſt, libros ejusmodi ab Ordinario eſſe recognoſcendos & approbandos. Idem Pontifex A. 1631, 5 Julii, juſſit, *ne admittantur elogia Sancti, vel Beati, abſolute, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea* admitti poſſint, *quæ attinent ad mores & opinionem cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit autoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes autorem.*

Pag. 54. 115. 132. 139.

IN PAULI APOSTOLI AD ROMANOS EPIſtolæ Capita priora XI Prælectiones criticæ, theologicæ, & concionatoriæ. Opus poſthumum JOANNIS ALPHONSI TURRETINI, olim in Academia Genevenſi S. Theologiæ, nec non Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Profeſſoris.

Lauſannæ & Genevæ, ſumtibus Marci Michaelis Bousquet & Sociorum, 1741, 4.

Alph. 1 plag. 2.

Operi-

Operibus B. *Turretini*, quæ Genevæ A. 1737, 4, junctim prodierunt, & quæ in cenſum miſimus *A. 1741 Menſ. Mart. P. I pag. 108 ſeq.* acceſſerunt poſtea opera nonnulla poſthuma. Commentarios *Turretini* in utramque *Pauli ad Theſſalonicenſes* produxit *Brandmullerus*, Baſileenſis. Hiſce jam annumerandæ ſunt hæ Prælectiones, ab Autore jam ægrotante auditoribus dictatæ, & candidum ſolidumque ac facile Autoris pectus ſpirantes. *Capita tria* poſtrema per ſeſe ſunt ſatis perſpicua, licet eorum quoque idem in Analyſi præmiſſa dederit expoſitionem. Si materiam & ordinem operis ſpectes, illud profecto eſt optimum. Concinnitatem brevemque elegantiam, quam Autor alioqui reddiderat ſuam, requires ita, ut, perſpicuitate illam copioſe penſatam eſſe, largiare. Complexus prælectionum ex exemplari melioris notæ manuſcripto depromtus fuit. Et, ne quid mendoſi irreperet, cavit Vir ejus rei peritiſſimus. In Prolegomenis *octo Capita* fuerunt pertractata. *Primo* exponitur de tempore & loco, quo hæc Epiſtola ſcripta eſt. *Secundum* inſcriptum eſt de iis, ad quos ſcripta eſt, Chriſtianis. *Tertio* agitur de cauſis difficultatis Epiſtolarum *Pauli*, hujus vero ſpeciatim. *Quarto* exhibentur cautiones, quarum ope difficultates illæ ſuperari, & genuinus hujus Epiſtolæ ſenſus obtineri, poteſt. *Quintum* agit de ſcopo hujus Epiſtolæ, & de controverſiis illius temporis, quæ ei ſcribendæ anſam præbuerint. *Sexto* diſſeritur de methodo & præcipuis hujus Epiſtolæ partibus. *Septimo* plenior totius Epiſtolæ analyſis traditur. Poſtremo, ſeu *octavo*, *Capite* indicantur præcipui uſus & documenta, quibus ex hac Epiſtola de-
Pag. 6. ducendis animus poteſt applicari. Difficultatum in numero deputat Autor 1) linguam Græcam, per ſe non facilem, & præterea Hebraiſmis ſcatentem; 2) ſtilum *Pauli*, ad elegantiam humanam & nitorem minime compoſitum, fervidumque ejus ingenium, ellipſibus, hyperbolis, parentheſibus, & tranſitionibus abruptis, delectatum, ſeu innutritum; 3) ſtilum epiſtolarem, quo multa veluti præcognita ponuntur; 4) novitatem argumenti; 5) præjudicatas Commentatorum opiniones & partium ſtudia; 6) diviſionem Epiſtolæ in *Capita* & verſus vulgarem.

Digitized by Google

garem. In ſcopo eruendo ſeſe præſtat candidum, & a ſtudio partium alienum. *Capite undecimo* futuram Judæorum ad Jeſum reditionem promitti, ſibi conſtanter perſuadet. In *III*, *14*, per ἱλαστήριον non operculum arcæ, ſed *victimam piacularem*, deſignari, docet. Conciliationem inter *Paulum* & *Jacobum*, Apoſtolos, in negotio juſtificationis inſtituit feliciſſime, oſtendens, & *fidem* & *opera* in utroque loco diverſis gaudere ſignificatibus, ſtatumque controverſiæ non fuiſſe utrobique eundem. Locum *VII*, *14-25*, non de *Paulo*, ſed de maxima corruptiſſimaque Judæorum parte, exponit. Κτίσιν *gementem* exiſtimat eſſe genus humanum, gentes univerſas, in quarum mentibus prodit ſeſe immortalitatis & felicitatis cupiditas. Ethnicos enim non levem beatitudinis ſpem præ ſe tuliſſe, comprobat dictis *Socratis*, *Cyri* apud *Xenophontem*, *Ciceronis*, *Senecæ*, & aliorum. Per eos, qui primitias ſpiritus acceperant *VIII*, *23*, intelligit ipſos Apoſtolos, & ceteros primi temporis Chriſtianos. Inſtare magnam Judæorum ad Meſſiam converſionem, ſolide & copioſe demonſtrat. Ut plura candidi Hermenevtæ adjiciantur documenta, neceſſum quidem non eſt. Ex iis enim, quæ indicavimus, Lector facile perſpexit, *Turretinum* hic ſibi conſtitiſſe adhuc, nominisque ſui magni menſuram impleviſſe.

Pag. 21. 152. 166. 249. 282. 285. 372.

Gründliche Betrachtungen über die Augſpurgiſche Confeßion, und die damit verknüpfte göttliche Wahrheiten, ꝛc.

hoc eſt,

SOLIDÆ MEDITATIONES IN AUGUſtanam Confeſſionem, & veritates divinas, cum eis conjunctas. Pars prima, in qua Articulus maximi momenti, nempe doctrina de Chriſto, pertractatur. Autore PETRO AHLWARDT, M. Phil. in Academia Gryphiswaldienſi.

Gryphiswaldiæ & Lipſiæ, impenſis Joannis Jacobi Weitbrecht, 1742, 4.

Alph. 2 plag. 5½.

Digitized by Google

Ex inſcriptione libri ſtatim intelligitur, offerri hîc nobis Operis *Reinbeckiani*, ad omnem ætatem inclytiſſimi, commemorabilem continuationem, in qua æque adornanda occupatiſſimus eſt Cel. *Cantzius*, & quam Cl. *Schubertus* a nonnullis ſibi deſtinatam fuiſſe, publice nuper profeſſus fuit. Ratio diſſerendi æmulatur methodum mathematicam tam apte, ut lector ejus vix umbram ſentiat, ni methodi ſit peritiſſimus. Cl. Autori viſum eſt ſcribere terſe, compoſite, diſerte. Nec ſatis habuit aride lectorem docere; ſed totus quoque eſt in eo, ut animos ad pietatem commoveat & inflammet. Nunc ad rem ipſam progrediendum. In Præfatione confirmatur pronuntiatum, quo jubemur lumen rationis etiam in comprobandis doctrinis, divinitus in ſacro Codice revelatis, adhibere. Meditatione *prima* exponitur de duabus in Chriſto naturis, in ſeſe conſideratis. *Secunda* exhibet doctrinam de perſonali natura-
Pag. 100. rum duarum in Chriſto conjunctione. *Tertia* offert doctri-
241. nam de idiomatum communicatione. *Quarta* inſcribitur de miſerenti amore & gratia Dei, fonte ſalutis noſtræ primario. *Quinta* verſatur in opere redemtionis recenſendo, quod per-
307. egit Chriſtus. Celebrat Autor *Martini Knutzeni* operam, qui ſolide, opus redemtionis rationi humanæ haud repugnare,
42. oſtendit. Laudat tamen ſimul Cel. *G. H. Ribovii* cogitata, quibus ivit comprobatum, religionem revelatam ex ratione haud demonſtrari poſſe. Liceat vero monere, Cl. *Carpovium* nonnihil ad *Riboviana* cogitata notaſſe in *Diſſertatione de Variis Deum cognoſcendi modis* §. *34*, Theologiæ naturali præmiſſa. Id ſane inficiandum haud eſt, Articulos Theologiæ revelatæ mixtos argumentis, e pharetra rationis depromi ſolitis, æque comprobari & corroborari. Quantum ad Articulos mixtos attinet, rationis lumen hic quoque eſt conſulendum; 1) ut intelligatur, eos rationi rectæ haud repugnare; 2) ut inſtrumento rationis utamur ad ſententias literarum ſacrarum recte eruendas, demonſtrandas, exponendas, defendendas; 3) ut doctrinam revelatam ſecundum notas ſuas dignoſcamus a quavis falſa religione, vel fictionibus humanis interpolata. Ex rationis principiis myſteria religionis Chriſtianæ, veluti ex fonte ſuo, eſſe

dedu-

deducenda, nemo, nisi excors, somniabit. Quis vero veritates, e sacro Codice haustas, ad vitam sancte degendam applicare valebit, nisi qui de rationibus actionum ita, nec aliter, instituendis est certus? Ex repudiatione rationis rectæ in ipso religionis revelatæ negotio non possunt non superstitio, zelus Pag. 49.
cœcus, & de salute sua desperatio, enasci. Ipse Codex divinitus revelatus usum rationis a nobis exigit, quemadmodum intelligitur ex *Prov. XIX, 2, XIII, 16, XVIII, 15, Matth. X, 16, Eph. V, 15, 1 Petr. II, 2, Rom. XII, 2, Ez. XVIII, 25, Jes. V, 3, 4, Jo. V, 39, Act. XVII, 11.* Sic rationes suas subduxit Autor, eisque præmissis, monuit: 1) sese compagem doctrinarum, a B. *Reinbeckio* propositarum in *Præf. ad Part. IV* §. 11, 61.
secuturum; 2) sese testimonia Patrum ac Theologorum, quibus dogmata confirmare consueverat celeberrimus quondam *Reinbeckius*, haud esse adjuncturum, siquidem ad veritatem 63.
ipsam, quæ firmis argumentis solidisque ratiocinationibus unice sit metienda, adjumenti nihil inde accedat. Suspicamur tamen, consensionem doctrinarum, a viris summis ecclesiæque doctoribus testatam, multum valere ad veritates divinas promtius suscipiendas, immo ad calumniam novitatis a doctrina Augustanæ Confessionis depellendam. Largimur simul, ex *Joannis Gerhardi Confessione catholica*, & Indicibus Patrum præstantioribus, hunc defectum, si quis est, facile suppleri posse. In Meditatione *prima* hæ exponuntur doctrinæ. Docet in ea Cl. Autor, quales sint redemtoris hominum virtutes. Negat, exemplum vitæ sanctæ sufficere hominibus redimendis. Redemtorem hunc non esse hominem, peccatis infectum, tradit. Negat, eum per sese obnoxium esse posse legi. Tum vero 10.
ostendit, redemtorem illum esse verum Deum, a patre genitum, ejusque divinitatem comprobat ex nominibus, ex aseitate, ex independentia, æternitate, immutabilitate, & infinitate, omnipræsentia, omniscientia, sapientia summa, & omnipotentia. Is enim, cui attributa Dei essentialia sunt propria, omnino est Deus. Divinitatem porro eandem demonstrat 45.
ex operibus, nempe creationis & conservationis, & ex cultu religioso in Christum dirigendo. Deinde, divinitatem Christi

Digitized by Google

haud refragari unitati Numinis ſupremi, ac redemtorem noſtrum eſſe ſecundam eſſentiæ divinæ perſonam, docet, addens,
Pag. 53. redemtorem noſtrum non modo eſſe Deum, ſed etiam verum hominem, licet peccatis vacuum, & infirmitatibus naturalibus ad tempus patentem. Ne quis vero exiſtimet, doctrinas haſce in contemplatione tantum poſitas eſſe, ipſe corollaria Meditationibus ſingulis, quas *Partibus VI* complexurus eſt reſiduas, ſubjunxit. Meditationis *primæ* ſub finem docemur, Jeſum a
66. nobis eſſe honorandum & colendum, notitiam, de Chriſto traditam, ex ſacris literis hauriendam eſſe, cautionem & modeſtiam huic doctrinæ expendendæ eſſe accommodandam, doctrinam, quæ Jeſum *θεάνθρωπον* redemtorem nobis exhibet,
75. ab objectionibus temerariis eſſe defendendam, eamque impertire hominibus quietem & animi tranquillitatem, ex doctrina illa perſpici amorem, benevolentiam, gratiam, & miſericor-
81. diam, filii Dei, qui ſit continuo menti repræſentandus, venerandus, & imitatione proſequendus. Oſtendit autem ſpeciatim virtutes Jeſu, quæ nobis ſint imitandæ. Mallemus, oſtendiſſet præterea id ipſum, quod redemtor noſter habet eximium & ſingulare, & quod imitatione noſtra exprimi nec poteſt, nec debet. Diſſeruit de hoc argumento Cel. *Ribovius* in Diſſertatione inaugurali. Perlegimus Cl. Autoris Meditationem *ſecundam*, eamque ſolidiſſime exiſtimamus fuiſſe elaboratam. Arridet lectori perſpicuitas, qua Autor difficillimum & reconditum de unione perſonali argumentum ita pertractavit, ut adoleſcentes & fœminæ, modicam attentionem afferentes, materiam alias caliginoſam facillime pernoſcant, ſolideque ſibi infigant. Progreditur enim ipſe & pedetentim & meditate & ordine, &, ne lector fatigetur, lucida utitur oratione, artubus nervisque inſtructa, illuſtrationibus deliciisque compoſitæ dictionis exornata, nec tamen calamiſtrata, vel fucata. Genuina & nativa quadam facilitate profluit tractatio univerſa. Ut doceat comprobetque, exiſtere in Chriſto unionem perſonalem, provocat
128. pro more ad dictum *Col. II, 9*: *In ipſo habitat omnis plenitudo* (*τῆς θεότητος*) *Deitatis σωματικῶς*, ac, per vocem poſtremam reſpici, putat, ad eſſentialem animæ corporisque humani

Digitized by Google

mani conjunctionem, quippe unionis personalis similitudinem & adumbrationem quandam. Vetamur huic opinioni subscribere, eo quod exstat in scriptoribus Græcis notitia vocis σωματικῶς satis trita, opinioni isti repugnans. Græci, ut significent, aliquid plena claritate & perspicuitate ac evidentia expositum esse, adhibent vocem σωματικῶς. En exemplum, ex *Sexti Empirici I, 3, pag. 4 Pyrrhon. Hypotyp.* decerptum, ubi *Sextus* putat, *Pyrrhonem* tractasse σκέψιν σωματικώτερον καὶ ἐμφανέστερον, id est, *plenius & apertius.* Vox ipsa in hunc significatum transiit ex pictorum & geometrarum, corporibus delineatis sua elementa demonstrantium, scholis, & quadrat ad mentionem στοιχείων, *elementorum*, a *Paulo* injectam. Docuit itaque *Paulus*, refertissima divinæ Christi naturæ idiomata habitare in humana Christi natura luculenter, manifeste, copiose. Autor pronuntiatum *Pauli, Ebr. X, 26, 27,* exhibitum, Pag. 285. exponit de singulis hominibus, in temeraria & petulantia peccata relapsis. Si quid judicando valemus, *Paulo* ibi res est cum Ebræis, Christo aggregatis, qui, si ad Judaismum fuerint relapsuri, non habituri sint amplius victimam pro sese piacularem antitypicam, exspectaturi potius judicium, quod Christus proxime in gentem Judaicam erat exerciturus. Extra hanc animadversionem & expositionem pronuntiatum illud Novatianismo & Terminismo favet. Id autem veritati congruit, Judæo jam Christiano, sed ad Judaismum relapso, qua tali, non esse præsto sacrificium vere expiatorium, ab ipso quippe repudiatum. Sed hæc paucula non impediunt, quo minus Meditationes, a nobis jam merito dilaudatæ, elogio omni sint dignissimæ, quæ quippe objectiones adversariorum modestissime solidissimeque enodant, veritati divinæ ubique suffragantur, gratiam Dei universalem erga homines dilucide exhibent, & vitæ sanctæ latam patefaciunt fenestram, omniumque lectionem merentur.

Beweiß, daß keine Materie dencken könne, ꝛc.
hoc est,
M. GEORGII FRID. MEIERI DEMONSTRA-

zio, qua, materiam cogitandi vim capere haud posse, evincitur.

Halæ Venedorum, impensis Caroli Hermanni Hemmerde, 1743, 8.

Plag. 6.

In eo est Cl. Autor, ut ex essentia entis compositi & cogitationis ostendat, utramque sibi mutuo repugnare, nec cogitationem in motu consistere. Determinatum bifariam expendit. Id enim est vel internum, vel externum. Illud per
Pag. 8. seſe intelligitur; hoc relationem ad alia involvit. *Vis* ex ipsius definitione est id, quod in ente uno est ratio sufficiens existentiæ determinationum, seu, si de finitis sermo est, mu-
12. tationum. Quæ mutantur, ea vel agunt, vel patiuntur, id est, sunt substantiæ, seu res, per seſe subsistentes, siquidem id, quod patitur, reagit, seu in contrarium agit. Corpus est substantia
17. composita. Essentia ejus consistit in determinata plurium coexistentia ad constituendum unum. Ex essentia hac sequitur singulorum illorum plurium locus; inde prodit ordo, & spatium, & relatio partium mutua, ac ipsarum præsentia. Res
21. composita respectu possibilitatis ac realitatis suæ est complexus relationum, in quibus partes ejus invicem consistunt. Ipsa idcirco determinationes meras continet, nec existere potest, nisi in alio. Compositæ res per seſe non subsistunt. Unde confi-
23. citur, non nisi simplicia per se subsistere, & essentiam rei compositæ haud esse essentiam rei componentis, nec vim inesse rei compositæ, qua tali, nec actionem. Quæ rebus compositis inesse videntur vires, eæ sunt habitudines mutuæ virium, quæ partibus ultimis insunt, seu elementis simplicibus, & actionis contrariæ. Compositum itaque ens existere haud
28. potest, nisi per plura per seſe subsistentia, seu simplicia. Simplicibus est essentia sua, sunt eis attributa, sunt eis hæc & illa propria. Determinationes eis sunt internæ, nominatim indivisibilitas, ἀφθαρσία, & simplicitas. In compositis nil mutari potest, relationibus exceptis, quatenus ipsa sunt composita. Actiones itaque & passiones proprie rebus, quæ vocantur

Digitized by Google

tur ſimplices, ſunt tribuendæ. Cogitationes vero non ſunt Pag. 33.
determinationes ejusmodi, quarum corpus eſt capax. Nam, quicquid non poteſt eſſe relatio, nec relationis mutatio, ſed potius exiſtit determinatio interna & mutatio inteſtini ſtatus ſimplicium ſubſtantiarum, id non poteſt eſſe determinatio, ſeu mutatio, rei compoſitæ. Unde cogitur efficiturque, corpora, ſeu res compoſitas, cogitare non poſſe. Cogitatio eſt rei actio, 35.
cujus interventu ſubſtantia conſcientiam, ſeu diſtinctionem, ſui ab aliis ſentit. Cogitatio non eſt res per ſe ſubſiſtens, ſed ſubſiſtit per aliud quidpiam. Cogitatio eſt quædam determinatio. Eſt itaque hæc determinatio vel interna, vel externa. Pone poſterius, & ſimul largire, ut debes, cogitationes eſſe relationes, nec dari poſſe, niſi ſubſtantia cogitans in conſenſum & coexiſtentiam cum rebus aliis extra ſeſe obviis ponatur. Hoc vero experientiæ repugnat. Quoties enim cogito de memet, 37.
nec res alias, extra me poſitas, mihi ſimul repræſento? Exiſto, quia cogito, licet neſciam, aliquid extra me exiſtere. Pone itaque prius, & largire, cogitationes eſſe determinationes internas ſubſtantiæ cogitantis, per ſeſe ſubſiſtentis. At vero res quælibet, per ſeſe ſubſiſtens, eſt ſimplex, partiumque componentium expers. Ergo cogitans ſubſtantia eſt ens ſimplex. Vis 39.
eſt ratio ſufficiens actus determinationum. Eapropter cogitationes ex vi hac proficiſcuntur. Vis vero rei ſimplici eſt propria. Ergo cogitatio eſt rei ſimplicis actio. Carent ſubſtantiæ ſimplices inteſtina relatione & motu inteſtino. Eam ob rationem cogitatio nec eſt relatio, nec motus, nec utriusque effectum. *Epicurus* in alia omnia diſceſſit, ac, Deos ipſos eſſe ſimplices ac individuos, negavit. Falſo quidem. Cum porro 42.
quævis cogitatio eſt actio, ex vi animæ explicabilis, ſyſtema Influxioniſtarum corruit, in quo quippe, plurimas cogitationes eſſe paſſiones, docetur. Oſtendit deinde Cl. Autor, fieri haud poſſe, ut corpus cogiter, nec Deum corpori eam facultatem impertire poſſe. Tum addit, hominem conſtare ex 46.
anima & corpore, rebus reſpectu eſſentiæ diſtinctis. Examinat porro Materialiſtarum objectiones, motumque ediſſerit.

Tandem

Tandem ad propoſitum redit, animamque eſſe ſubſtantiam ſimplicem, demonſtrat.

Abhandlung von GOtt und der menſchlichen Seele, ꝛc.
hoc eſt,
M. ADAMI BERND TRACTATIO DE DEO ET Anima humana, ejusque naturali & morali cum corpore conjunctione. Examinantur ſimul nonnullæ doctrinæ Philoſophorum ætatis noſtræ, & expenditur, an & quatenus illæ cum literis divinioribus pugnent. Additur continuatio vitæ ſuæ.

Lipſiæ, in officina typographica Jo. Sam. Heinſii, 1742, 8.
Alph. 1 plag. 17.

Rogatus ſententiam ſuam Vir Pl. Rev. de ſcitis Philoſophiæ *Leibnitianæ* nonnullis, non ignarus virium ſuarum pertenuium, ratem ſuam truci pelago committere, & æs triplex pectori aptare, ſuſtinuit, conflictaturus cum gurgite dogmatum philoſophicorum, quæ nunc de Deo, ejusque exiſtentia, providentia, & creatione, ac de anima humana, circumferuntur. Philoſophos, quos it oppugnatum, habet pro filiis *Enaci*, ſeſe autem pro nano & pumilione. Exoptat, ut cum eo in claſſem eandem collocetur, quem tradidit *Nic. Hier. Gundlingius* ſemidoctis aggregandum eſſe quidem, objectionibus tamen conflandis haud eſſe ineptum. Methodum mathematicam in ſcriptis brevioribus uſu ſuo gaudere, largitur, ratus, eam in ſyſtematibus eſſe ſcopo parum congruentem, ſiquidem libri nondum compacti, hac methodo concinnati, *Herculeo* labore vix poſſint perlegi, nec lector tanta polleat vi memoriæ, ut ſtatim recolere poſſit ſingulas propoſitiones, ad quas remittitur. Tractatio hæc ipſa maximam partem eſt moralis, & parabolis ad intelligentiam lectoris ſublevandam exornata. Deum ſibi *repræſentare* mundum, *Wolfiani* dictitant. Notat Noſter vocis *repræſentandi* ambiguitatem & obſcuritatem,

Pag. 2.

Digitized by Google

ſcuritatem, monens, eam de imaginatione & memoria adhiberi. Sed verba valent ut numi. Oriri affectus ex judiciis de bono & malo, ad nos relato, docet, negans, eos proficiſci ex repræſentatione boni & mali nuda. Annotatio hæc luce ſua effulget. Exiſtere Deum, it comprobatum, quod mundus exigat ſubſtantiam, omnia pernoſcentem. Motus ſucceſſivos Deo minus congruère, indicat. *Spinoza* an exſtiterit atheus, an idololatra, haud definit. Monadas Cabbaliſtarum comparat cum *Leibnitianis* immerito. Illæ enim ſunt ſpiritus; hæ vero ſimplicia compoſitorum elementa, non ſpiritus. Ecquis exiſtimabit, Cabbaliſtas, corpora nulla exiſtere, tradidiſſe? Mundum æternum, ſucceſſionibus rerum abundantem, merito explodit. In ſucceſſione enim omni primum quid exſtiterit, neceſſum eſt. Idem nuper docuit Cl. *Carpovius*. Nonne autem novit Vir Pl. Rev. Philoſophum illum, qui æternam idearum addiſcendarum ſucceſſionem Deo tribuit? Solide Autor, mundum ab æterno creari potuiſſe, negat. Dum vero, tempus poſſibile ante mundum creatum dari poſſe, ſibi perſuadet, implicat ipſe ſemet contradictione. Tempus enim eſt idea relativa, ponens mundum creatum, in quo exiſtant rerum ſucceſſiones. Ipſe autem id argumentum, quod exſtruitur ex negata æterna rerum mundi ſucceſſione, reputat pro palmario inter ea, e quibus, Deum exiſtere, docetur. Addimus id unicum, objectiones hic removendas eſſe ſpinoſas, & argumentum de contingentia ſubſidio eſſe adhibendum, ne quid de præſidiis aliis dicamus. Subtiliora in gratiam atheorum excogitanda eſſe argumenta, negat, ſiquidem hi prava voluntate & imbecilli intellectu laborent, & impares ſint ſubtilioribus argumentis evolvendis. An Autor ſingulos noverit & exploraverit atheos, dubitamus. Argumentum, a contingentia rerum deſumtum, prædicat, negans ſimul, illud ab omnibus capi poſſe. *Spinozam* vocat atheum *pag. 34*, de quo incertus erat momento *pag. 13 ſeq.* Tribuit *Spinozæ* debile judicium, perſuaſurus ſimul lectori, ipſum fuiſſe Philoſophum *Carteſianum* atque Mathematicum, qui calluerit artem exponendi methodo mathematica atheiſmum ſuum. In argumento, a contin-

Pag. 5.
9.
13.
22.
28.
30.
32.
34.

Digitized by Google

gentia desumto, præmitti jam notionem causæ liberæ, monet.
Pag. 36. Utinam rationem, cur ea notio sit præmittenda, vel præmissa, argumento illi instruendo, aperuisset! Contra ea, argumentum, a finibus depromi solitum, ad substantiam sapientem, finesque illos intendentem, jam spectare, & huic superstrui, negat. Videtur nobis usum pro fine reputasse, alioqui scopus operis cogitari nequit citra opificem intelligentem & sapientem. Vocabulum enim *finis*, *scopi*, *metæ*, insistit relationi, citra quam definiri, vel animo concipi, nequit. Ab effectu ad causam valere ratiocinationem, nemo ambigit. Quæritur tantum, qua
42. ratione de mundo, qua effectu, convincamur. Si comparaverimus mundum cum Lupara, arce Parisiensi, nondum evicimus, mundum aliunde factum fuisse. Nec sit verosimile, eos, qui nondum definiunt, an mundus aliunde sit effectus, ideo arbitrari, mundum esse plane necessarium & sempiternum.
43. Is enim, qui argumento a contingentia ducto utitur, mundum sentit in partibus suis esse mutabilem, ideoque haud esse prorsus necessarium.
46. *Paulum Rom. I, 20,* adhibuisse argumentum, a vestigiis sapientiæ & causæ desumtum, Noster arbitratur, putans, sibi in promtu permultas esse objectiones, quibus argumenta, pro veritate religionis Christianæ proferri solita, possit eludere.
53. Argumentum *Cartesii*, quod a priori firmat exi-
59. stentiam Dei, diu existimat fuisse explosum. An jure meritoque fuerit explosum, dubitant alii, præcipue cum fuerit emendatum, vel plenius deductum. Spiritum archæum, *Rüdigerianum* inprimis, & animam mundi, deridet & profligat.
73. Noster sic pergit: *Philosophi nostræ ætatis monadibus, licet de eis incertæ & obscuræ præsto sint ideæ, non dubitarunt cum Leibnitio tribuere vim cogitandi, ac sibi mundum repræsentandi.* Ut id ipsum demonstret, remittit lectorem ad Ill. *Wolfii Cosmologiam §. 196 seq.* & *Metaphys. Germ. §. 584, 597.* Qui vero loca laudata consulunt, nihil ejusmodi, vel contraria potius, inibi deprehendunt. Et quis ignorat, & *Wolfium* & *Wolfianos* monadibus, seu elementis corporum, vim quidem, nec ta-
74. men vim cogitandi, tribuere? Et eam ob causam satiricus, qui sequitur, lusus cum larvis & umbris luctatur. Vox *vis*, δύναμις,

Digitized by Google

δύναμις, dicitur fere ab ipso *vox nihili.* Mallemus, ipse hanc vocem haud exagitasset, quæ sacro Codici est familiaris, & ideam satis claram, quam nec vulgus ignorat, fundit. Videtur etiam de vi dubitare, quæ menti inest, & per quam hæc valet se ipsa determinare, agere, operari. Dubius est ipse, an anima nostra ab aliis rebus ad cogitandum determinetur & moveatur. Dubitat itaque, an anima ipsius sit machina, vel instar molæ trusatilis agitetur; an sit corpus, an sit nescio quid. Nisi fallimur, caput, quod de elementis rerum ac viribus inscribitur, hinc nunquam discetur. Optat, ut ostendant Philosophi modum, quo, animantia bruta esse machinas, intelligatur. Paulo autem post ostendit, eis inesse sensionem doloris & gaudii, immo ipsam conflictationem cum ærumnis, licet nec ipsa, nec ipsorum progenitores, perhibeantur peccasse. De loco, in quem mundus sit positus, cum crearetur, disputat, quasi locus & spatium essent aliquid extra res creatas obvium. Omnipræsentiam tribuit Deo, ponens tamen, mundum fuisse sublatum. Unde intelligitur, ipsi nondum suboluisse, ideas de loco, spatio, præsentia, & omnipræsentia, esse non absolutas, sed relativas. *Is. Neutonum* & *Andr. Rüdigerum*, putat, habuisse spatium mundi infinitum pro Deo ipso. Providentiam Dei extraordinariam per miracula exerceri, docet. Modum, quo Deus precibus afflictorum annuit, expendit. Opus conversionis & renovationis esse miraculis plenum, tradit. De miraculorum natura commentatur more consueto. Philosophos ætatis nostræ non nisi providentiam ordinariam inculcare, monet. Quæstio proponi potest omnino, an Philosophis in Theologiam revelatam sit falx immittenda, & an ipsis sit intra terminos suos subsistendum. Quinam vero sint illi Philosophi, dicere omittit. *Wolsiani* certe conservationem Dei vocant continuatam creationem, & creationem miraculis annumerant. Addit, hosce præmittere systemati harmoniæ præstabilitæ doctrinam de præscientia Dei universali, nec tamen hanc a priori ostendere. Id vero pernegabunt strenue *Canzius*, *Carpovius*, alii, inficiati præterea, verum esse illud, universaliter & respectu Dei quod vulgo dicitur: *Rerum con-*

Pag. 77. 83. 89. 91. 103. 111. 119.

Digitized by Google

tingentium futurarum non datur ſcientia. Moralitatem dari internam, pœnasque naturales, Autor largitur. Addit autem jure quodam, dari præterea pœnas, a naturalibus hiſce diverſas, ab arbitrio Dei pendentes. An Philoſophi ætatis noſtræ exiſtiment, exiſtere complexum doctrinarum divinitus revelatarum, quærit. Definitionem de miraculo *Wolfianam* ſuo ſuffragio dignatur *pag. 147.* Ex illo loco, quo *Ebr. II, 5,* negatur, *Deum ſubjeciſſe mundum futurum* (עולם הבא) *angelis,* confici poſſe putat, tempus œconomiæ Chriſtianæ uſque ad diem mundi noviſſimum operationibus angelorum patere. Nobis vero videtur ſenſus plane contrarius inde elicitus eſſe contextui conformis. Indicatum enim ivit Apoſtolus, Chriſtocratiam cum ſilentio revelationum angelicarum eſſe conjunctam. Conf. *Neumanni Programmata pag. 178 ſeq.* & *B. J. C. Wolfii Curas* in *h. l. pag. 618.* Verum ad alia. *Parte II* Autor exponit de anima humana, eamque in *Sectionem* diſtri-
Pag. 175. buit geminam. In *priori* aſſert ſtromata in harmoniam præſtabilitam, quam opinatur eſſe poſſibilem, nec tamen probabilem, multo minus certam. Favet ipſe influxui phyſico, quem ex experientia comprobare haud ſuſtinet. In *poſteriori* commentatur de morali mentis cum corpore conjunctione, diſſerens in ea de anſis & occaſionibus virtutum & vitiorum, quas anima per corpus recipere poteſt & ſolet. Multa hic memoratu digna, & Eccleſiaſtis profutura, exhibentur. In continuatione vitæ ſuæ Autor ad inſultus melancholici & hypochondriaci corporis, atque ad recreationes divinitus impetratas, potiſſimum attendit. Rogamus vero eundem, ne gravius ferat pauculas, quibus ſcriptum ejus pro libertate mutua illuſtravimus, annotatiunculas, ad quas ex officio famæ quorumcunque tuendæ nos credidimus obſtrictos.

Erläuterung der Wolffiſchen vernünftigen Gedancken von GOtt, der Welt, und der Seele des Menſchen, auch allen Dingen überhaupt, ꝛc.

hoc eſt,

EXPOSITIO COGITATORUM WOLFFIANORUM

norum

Digitized by Google

norum rationalium de Deo, Mundo, & Anima hominum, nec non universorum generatim entium, adornata a JO. FRIDER. STIEBRITZ, P. P. Philos. in Acad. Halensi.

Halæ, impensis typographei Fritschici, 1742, 8. Plag. 16½.

Offertur tibi, Lector, hic scriptum, Commentarii vicem sustinens, quo Germanica Ill. *Christiani Wolfii* Metaphysica illustratur, ac passim defenditur. Impedivit Autorem valetudo minus firma, quo minus jam ultra Ontologiam, seu capita priora duo Metaphysices *Wolfianæ* Germanicæ, processerit. Loco isagoges exhibetur tibi historia Metaphysices, generatim spectatæ, speciatim vero controversiarum, quibus Metaphysica *Wolfiana* fuit oppugnata. Prædicat Commentator merita *Leibnitii* & *Wolfii* in Metaphysicam pro instituti ratione, ac objectiones *Hollmannianas* modeste solvit atque repellit. Quantos Theologiæ revelatæ usus sufficiat Metaphysica, Cl. Autor egregie ostendit. Recenset scripta, quibus Metaphysica *Wolfiana* fuit exposita, illustrata, & defensa; quibus ipsa fuit vel damnata & proscripta, vel permissa & approbata; quibus ipsa fuit in imitationis amussim adhibita. Sequitur Autor hic rursus instituti sui morem. Complectitur doctrinam argumenti unius omnem tabula, atque hæc nexum rei cujusque, vel tractationis, ob oculos & in lucem plenissimam ponit. Ad singulas sententias fere affert Autor adversariorum objectiones, eisque enodandis operam conterit. De Egoistis & Idealistis breviter tractat. *Huetium*, illud *Cartesii: Cogito, itaque existo*, debellare contendentem, profligat ad manes. Modestiam non alter tam religiose observat & adhibet. Nostrum est, Viro Clariss. Hygiænen apprecari propitiam, & Commentarii, auspicato cœpti, continuationem exspectare.

Pag. 9. 15. 31. 64.

CASUS RESERVATI IN ARCHIEPISCOpali Taurinensi Diœcesi, expositi a R. P. DAVIDE A S. MARIA, Ordinis Eremitarum Discalceatorum

Digitized by Google

S. Auguſtini Lectori, Caſuum conſcientiæ, nec non in Taurinenſi ſimul ac Montegalenſi Diœceſi Conſultore ſancti Officii.

Venetiis, apud Dominicum Occhi, 1740, 4.

Plag. 21.

Tractationem, quam *David a S. Maria* aggreſſus fuerat perficere, *Franciſcus David a S. Maria* ad umbilicum adduxit, atque matri Dei immaculatæ & amabili inſcripſit. Adjunxit hic poſterior præterea Commentatiunculam, qua, quid ſibi videatur de mutuo, ejusque uſura, eſſe ſentiendum, ipſe expoſuit. Tractatio ipſa in *Capita XXIV* eſt diſtributa. Norunt univerſi facile, in eccleſia Romano-Catholica eos, qui confeſſiones aliorum de male actis & pœnitentia excipiunt, jurisdictione eccleſiaſtica & tribunali quodam gaudere. Diſtinguuntur vero delicta reſpectu gravitatis, vel offendiculi, ſæpius repetiti. Ut hæc gravitas in ſenſus omnium incurrat, delictis vitioſioribus non niſi Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel duntaxat ipſe Pontifex Romanus, mederi, eisque remittendis delendisque, ac reis abſolvendis, par eſſe, debet. Dantur itaque caſus, Epiſcopis & Abbatibus quaſi Epiſcopis reſervati. Dantur præterea caſus, Pontifici unice reſervati. Determinatio caſuum nonnihil differt pro varietate diœceſeon. Res ipſa legitur in *Concil. Trid. Seſſ. 14 de Sacramento Pœnitentiæ Cap. 7* determinata. Facile eſt judicatu, reſervari haud potuiſſe
Pag. 2. peccata alia ac mortalia, externa, opere perfecta, certa, & completa. Abſolutio alia eſt a culpa, & rurſus alia a cenſura. Conſuetudine receptum, ut, conceſſa facultate abſolvendi aliquem a cenſura, intelligatur ſimul conceſſa eſſe facultas abſolvendi a peccato. Criminum abſolutio, quæ reſervata eſt Papæ, cenſuræ eſt innexa. Abſolutio, quam Epiſcopi ſibi reſervant, plerumque cenſuram haud continet conjunctam. Ordinariis Presbyteris Confeſſionariis in Diœceſi Taurinenſi haud licet a peccatis abſolvere eos, 1) qui Deum, aut ſanctiſſimam ejus matrem, blasphemaverint, quive ad magicas artes, maleficia, aut ſuperſtitiones, rebus ſacris abuſi fuerint; 2) homicidas

cidas voluntarios, abortum procurantes, eosque, qui pueros ſuffocant, omiſſa cunarum cautione, vel alia ſimili ſecuritate, ante annum infantum expletum; 3) ſponſos, ante contractum per verba de præſenti coeuntes, inceſtuoſos in primo & ſecundo conſanguinitatis, aut in primo affinitatis, gradu coeuntes cum filia confeſſionis, & cognatos ſpirituales, qui copulam inter ſe habent; 4) patrem, matrem, fratrem, & virum, qui, filiam, ſororem, aut uxorem, libidinoſe proſtitui, haud recuſant, manifeſtos concubinarios, & cum beſtiis congredientes; 5) eos, qui diebus Quadrageſimæ, aliisque, ab eccleſia ſtatutis, diebus, cibos vetitos comederunt, quive in judicio falſum perhibuerint teſtimonium in tertii damnum; 6) eos, qui ſolutionem ex legato pio debitam diutius anno ſine cauſa diſtulerint, ac Notarios, qui hujusmodi legata poſt tres menſes ab obitu defuncti non manifeſtant; 7) Clericos cujuscunque gradus & dignitatis, qui alia ac itineris ſimilive cauſa ſine decenti cauſa Clericali inceſſerint; 8) adminiſtratores ſocietatum, xenodochiorum, & locorum piorum, qui pecunias & bona eorundem locorum in proprios converterint uſus, annoque finito non integre ſatisfecerint; 9) parentes aliosque, ad quos ea cura ſpectat, differentes baptizationem infantum ultra diem nonum; 10) ac complicem, id eſt, eum, quocum ipſe Confeſſionarius conſors & particeps fuit culpæ mortalis, ejusque externæ. Expoſitio complectitur originationes, definitiones, diviſiones, & quæſtiones, quibus varii caſus proponuntur diſſolvendi. Continuo recurrunt illa *quæres*, *objicies*, *reſpondeo*, in ſcholis Scholaſticorum tritiſſima. In *Additione de Uſura* quæritur, an liceat ex mutuo petere lucrum duntaxat ratione periculi, quod a mutuatore ſuſcipitur nunquam, ſed quod ſemper apud mutuatarium remanet; an liceat ex mutuo venari lucrum ratione moleſtiæ, difficultatis, & expenſarum, cum timeri poteſt, ut ſors recuperari queat. Ad utramque quæſtionem Autor reſpondet negando, exceptis caſibus paucioribus. Mallemus vero, ipſe terſius Latiniusque ſcripſiſſet, ſiquidem inter legendum paſſim meminimus illud *Auguſtini*: *Si non vis intelligi, non debes legi.* Nec tamen inficiamur, Opus hoc univerſis Presbyteris, qui

Pag. 126.

137.

Digitized by Google

qui confeſſiones peccatorum excipiunt in eccleſia Romana, apprime eſſe fructuoſum. Nemo enim *Caſus reſervatos* tam copioſe expoſuit, & quæſtionibus variis, in hoc argumento ſeſe offerentibus, tam accurate ſatisfecit ad hanc uſque ætatem.

Pag. 20. Autor, id eſſe ſuperſtitionis opus, exiſtimat, ſi quis modum cultus divini excedit, e. g. quando ei exhibet cultum divinum, cui is non eſt exhibendus, & ideo cuicunque rei creatæ divinus cultus exhibetur. Si idololatria ſit conjuncta cum errore intellectus, ſeu aſſenſu erroneo, doctrinam Romanam haud aſſectante, ipſa ſummo Pontifici eſt reſervata, & habet annexam

23. excommunicationem *Bullæ Cœnæ*. Aſtrologiam naturalem, quæ adhibetur medicinæ, agriculturæ, & navigationi, pronuntiat Autor merito conceſſam. Aſtrologiam vero, qua explorentur deſtinationes futuræ, a libera voluntate pendentes, merito damnat. Lubet ex eo adjicere quatuor modos, quibus, an operatio aliqua ad magiam ſpectet ſuperſtitioſam, cognoſci pos-

24. ſit. Id vero, hoc judice, perſpici intelligique poteſt 1) ex conditione cauſarum, e. g. ſi lucidis verbis dæmon invocetur, ſi preces, vel ſimiles cauſæ, adhibeantur, ex quarum virtute effectus ejusmodi non poſſit naturaliter exſpectari; 2) ex conditione effectus, qui humanam virtutem & induſtriam ſuperet; 3) ex conditione actionis, e. g. ſi repente curatur equus, vel homo, ſine miraculo divino; 4) ex actionis extenſione ad id, quod valde diſtat, e. g. ſi imago *Titii* pungatur Pariſiis, & ipſe doloribus eodem tempore afficiatur Romæ. Quam vellemus, addidiſſet Autor criteria, quibus miracula vera ab actionibus magicis ejusmodi poſſint tuto ſecerni. Sed ſuffecerint hæc ſpeciminis loco.

INSTITUTIONES PHILOSOPHIÆ Rationalis, methodo ſcientifica conſcriptæ a CHRISTIANO JO. ANTONIO CORVINO, Phil. Mag.

Jenæ, ſumtibus Jo. Adami Melchior, 1742, 8.

Plag. 21.

Ex

Digitized by Google

Ex prælectionibus, quibus Cl. Vir Logicas Ill. *Wolfii* Institutiones Germanicas illustravit, enatæ fuerunt variæ ipsius annotationes. Ex hisce autem suasu auditorum procrevit tandem Institutionum hic libellus. Consuluit præterea Autorem artis cogitandi, & Excell. *Reuschii* Systema logicum in usus suos convertit, cui dat palmam. Cum acturus esset de symbolica cognitione, doctrinas Cel. *Canzii* & *Carpovii*, quibus perfectio linguæ ediffereitur, in auxilium vocavit. Sententiis, seu propositionibus, singulis more Mathematicorum quorundam sua nomina adjunxit. Scripsit non provectioribus, sed eorum in gratiam, qui Philosophiæ rationalis rudimenta percupiunt gustare. Hæc ex Præfatione edocemur. Introductionis loco præmittuntur *Capita quatuor*; *primum* de principiis quibusdam ontologicis & psychologicis, quibus Logici Pag. 15.
utuntur; *secundum* de methodis variis, præsertim de apodictica; *tertium* de variis cognitionis humanæ gradibus; & *quartum* de Philosophia, ejusque partibus, ac de ordine eas tractandi, nominatim de Logica, & speciatim de ejus divisionibus. Partes Philosophiæ connectit & illustrat tabula adjecta. Logicam ipsam Cl. Autor *Capitibus* exposuit *quindecim*. *Primo* 59.
tractavit doctrinam de ideis, *secundo* de cognitione symbolica, *tertio* de definitionibus, *quarto* de divisionibus, *quinto* de indiciis & propositionibus, & *sexto* de ratiocinationis effectis & syllogismis. Exposuit *Capite septimo* de veritate & op- 255.
posito errore, *octavo* de cognitione & certa & probabili, *nono* de experientia, itemque de cognitione, quam appellant a posteriori & a priori, *decimo*que de arte inveniendi, quod in *Sectiones duas* partitus fuit. *Sectione priori* commentatus 282.
fuit de arte experiundi, *posteriori* disseruit de arte inveniendi, de demonstratione, atque meditatione. *Capite undecimo* de librorum usu exposuit, ac tractationem in *tres* distribuit *Sectiones*. *Prima* inscripta est de differentia librorum, *secunda* de librorum lectione & arte hermenevtica, *tertia* de libris dijudicandis & examinandis. *Capite duodecimo* egit de modo 329.
alios convincendi, *decimo tertio* de refutatione & defensione, *decimo quarto* de methodo disputandi, ac *decimo*

quinto de ratione, veritatem cum aliis rite communicandi, eamque alios docendi. Hi ſunt artus, hæc ſunt membra, hujus corpuſculi logici. Non vacat in venas, arterias, & articulos minores, tractationis univerſæ introſpicere. Decerpemus tamen paucula ex tractationis integræ complexu, quæ nobis
Pag. 17. viſa fuerunt pulchriora. Quantis uſibus gradibusque cognitio philoſophica excellat hiſtoricam, ſolicite Autor definit. Cognitionem mathematicam vocat tertium cognitionis humanæ gradum, nec tamen oſtendit, vires ſpirituum a Mathematicis æſtimari poſſe. Addit nihilo minus confeſtim: *Finitorum*
19. *omnium cognitio mathematica eſt poſſibilis, non vero Dei.* Philoſophum appellat eum, qui habitu polleat philoſophicæ cognitionis. Philoſophiam, ſubjective ſumtam, habet pro habitu philoſophicæ cognitionis; objective ſumtam reputat pro diſciplinarum complexu, in quibus rationes rerum redduntur.
24. Dari Philoſophiam myſteriorum, largitur. *Artem inveniendi* adhuc eſſe incultam, ſibi perſuadet. Requirit ſcientiam, quæ doceat emendatum uſum ſenſionis ac imaginationis. In *Capite*, de ideis inſcripto, differit de eſſentia, attributis, & modis, ſeu
37. accidentibus prædicabilibus. Ideam obſcuram omnem exiſtimat
54. eſſe ſaltem aliqua ex parte claram. *Species* logica eſt, ipſo judice, idea, quæ exhibet tantum identitatem individuorum; *genus* eſt idea, quæ exhibet tantum identitatem ſpecierum. De natura prædicamentorum, ſeu categoriarum, id eſt, ſerie idearum ſubordinatarum de rebus creatis, ſuccincte, ſolide tamen, exponit. Signa dari eſſentialia in lingua Ebræorum & ſcri-
74. ptura Sinenſium, negat. De arte characteriſtica combinatoria,
121. & lingua philoſophica, conciſe differit. Tradit regulas, inveniendæ ſententiarum, ſeu propoſitionum, hypotheſi conformes, alibi raro apparentes. *Ariſtotelicorum* doctrinas nonnunquam intexit, brevique perfundit dijudicatione. Propoſitionum ſim-
138. plicitatem atque compoſitionem vocat *quæitatem.* Aliter &
150. terſius hæc potuiſſe exprimi, exiſtimabunt complures. Indolem propoſitionum excluſivarum diligenter diſpicit. De pro-
169. poſitione exhibitiva, ſeu ſynecdochica, exponit. Oppoſitionem

pro-

Digitized by Google

propositionum solide pertractat. Syllogismos quatuor terminorum *Rüdigerianos* resolvit in duos, eosque genuinos. Ad *Rüdigerianam* opinionem, quæ in prima syllogismi figura etiam admittit minorem negantem, si ea est essentialis & reciproca, solide respondet, monens, particulam negativam tunc ad prædicatum esse referendam, adeoque haud exhibere propositionem vere negantem. De syllogismo, ejusque affectionibus, tam accurate & fuse exposuit, ut nihil supra. Nec omisit artem, qua modales reduci possint singuli ad categoricorum naturam, re ipsa ostendens, *Rüdigerum* in hoc momento a janua aberrasse. Cum de veritate differit, nota, quam suppeditat, indicio est, ipsum de nexu propositionis vero exponere. Omittit autem commentari de criterio, quo res, quæ existunt, sensibusque vigilantium repræsentantur, discerni possint a rebus, quæ apparent vel in parastasi, vel in somnio. Sophismatum fontes recludit tractatione, in punctum contracta. Putat, cognitionem nostram esse eo probabiliorem, quo plura ad veritatem requisita sunt in promtu. Sunt, qui putant, non numero, sed vi & pondere requisiti unius ac alterius, probabilitatem sæpius esse metiendam. Arriserunt ea, quæ Cl. Autor de arte inveniendi utraque disputat. Arti huic meditationem jungit inseritque. De librorum lectione & interpretatione, immo de arte formandi excerpta, succincte, solide tamen, differit. De fide logica exponit, de libris dijudicandis commentans. Omittimus cetera. Index laude est dignus, quippe qui sententias exhibet & perspicuas, & determinati sensus. Tractatio ipsa mensuram Logices scientificæ implet, in suo genere completa, adæquata, methodique tenax. Scriptura autem est philosophica, minus tersa, continuo fere truncata, ac ad legem methodi inflexa. Si integrum fuisset Cl. Autori, sententias suas passim exemplis illustrare, eis, quos in numero auditorum suorum haud censet, insignem peperisset facilitatem & usum. Cavit mirifice, ne propositiones continuo repeteret integras; brevitatisque cancellos admodum amavit. De reliquo, nisi fama fefellerit, dolemus, Autorem paulo post,

Pag. 177. 208. 212. 253.

Digitized by Google

quam hæ Inſtitutiones juris publici factæ fuerant, rebus humanis ultimum dixiſſe vale.

MEDITATIONUM LOGICARUM SPECIMEN I, II, III, Autore JOANNE BENEDICTO CARPZOV.

Lipſiæ, apud hæredes Lanckiſianos, 1742, 8.

Plag. 22.

Ita Muſas minus habeamus propitias, niſi ex animo gaudeamus, nos tandem ex ſpinetis Scholaſticorum in amœna vireta fuiſſe translatos, ubi lacteæ *Ciceronis* ubertati eſt locus. *Specimen primum* Profeſſori Hamburgenſium Clariſſimo, Doctori Philoſophiæ & Jurium, *Henrico Theophilo Schellhaſſer*, eſt inſcriptum. *Specimen ſecundum* Reverendo & Eruditiſſimo Viro, *Jacobo Bruckero*, ſacrum eſt. In dedicationis formula in ſcripturæ genus, quo plerique *Wolfiani* utuntur, Cl. Autor invehitur. *Speciminis tertii* frontem exornat Gen. Equitis *Friderici Gottlieb ab Holzendorf* nomen, cui præſtantia ſtudii logici approbatur. Contulit aliquando Cl. Autor inter ſeſe complexum doctrinarum, quas *Wolfius*, quas *Rüdigerus*, tradiderunt, philoſophicarum, & integram Logicam ſerie continua jam abſolvit. • Delectatur Cel. *Geſneri* & *Erneſti*, nominum celebratiſſimorum, præceptis & doctrina. Nec tamen, ſe indignum fore, credidit, ſi ſe Philoſophiæ in univerſum omni immiſceret. Bellum vero indixit Philoſophiæ huic horridæ, incultæ, macilentæ, gracili, barbaræ, & monogrammæ, unde literarum & artium bonarum contemtores, & unde hoſtes Criticorum, ac Philologorum ſtimulatores, ut ranæ ex limo, oriuntur, creſcunt, & palearia accipiunt, & fiunt *Hercules* cum clava. Verba Autoris recenſemus ipſa. Lector ſibi hoc arbitretur dictum, ipſius eſſe, poſtquam logicas præceptiones jam didicit, ad hoſce ſermones tum demum accedere. Offerunt hic ſeſe conſenſus atque diſcrimen eorum, quæ in utroque corpore logico, *Wolfiano* & *Rüdigeriano*, explicantur, & Autoris ſuper his animi

Digitized by Google

animi ſenſa. Primordia capit Cl. Autor a meditatione, tum a priori, tum a poſteriori, ut ajunt, inſtituenda. Deſcribit Pag. 8.
utramque, &, de Philoſophia *Wolfiana* quid ſentiat, graviter ſignificat, vaticinans, eam non diu amplius regnaturam. *Rüdigeri* in oſſa cineresque reverentiam animumque gratum teſtatur. An diverſus hic in ſtatores utriusque Philoſophiæ af- 14.
fectus animi ubique mentem ita direxerit, quo minus de via recta deflexerit, ea, quæ attingemus, indicio erunt. It vero demonſtratum, methodum, quam a ſenſione arceſſunt, plerumque illam ſyntheticam præcedere. Si quid nobis interſtrepere licet, diſtinguendæ ſunt ſcientiæ, earumque fundamenta. Diſcernenda eſt tractatio argumenti apodictica a prima idearum origine. Veritates, quæ vocantur *abſolutæ*, ſunt certæ, eo quod ſunt poſſibiles; veritates vero, quibus nomen eſt *contingentium*, obſervationibus, ad ſenſiones referendis, innituntur. 16.
Exempla, quæ Vir Cl. attulit, ad claſſem poſteriorem ſpectant. Monet tamen ipſemet, veritates poſterioris generis perficiendas per meditationem, a *priori* profluentem. Origines idearum a Duumviris ex ſenſionibus externis deduci, curate oſtendit. Senſionem externam ipſe appellat *ſenſum*; 24.
ſenſionem vero per facultatem & actum ſentiendi exponit cum *Rüdigero* & *Müllero*. Senſus, ſenſionibus oppoſitos, fundamentum cognitionis noſtræ & principium eſſe, tradit. Pace autem Viri præclariſſimi liceat monere, experientiam mentis internam æque in cenſum venire ac externam. Ipſemet deinde ſenſionem conjungit cum percipiendi facultate, *perceptionem*que *ex ſenſatione* ultimum omnino principium veritatis eſſe, dictitat. *Caput ſecundum* inſcripſit de veritate logica. In 27.
eo, veritatis determinationem exſtare eandem in Duumvirorum logicis libellis, affirmat. Diviſionem *Rüdigerianæ* veritatis, in membra neſcio quot diſtributæ, merito ſale perfricat. Veritates 30.
particularum radiantium & bullularum radiantium, aliasque ſimilis commatis, ridet. Ad veritatem metaphyſicam Ill. *Wolfius* intellectum repræſentantis haud requirit; *Rüdigerus* eum definitioni adjunxit. Palmam in hoc momento Noſter tribuit alteri; id vero improbat in *Rüdigero*, quod hic veritatem me-

taphyſicam ſpeciebus veritatis, Logicæ annumeratis, aſſerere
Pag. 34. conatus fuit. Laudat *Wolfium*, eo quod hic ſumſit velut certiſſimum, dari certe objectum aliquod extra mentem. Improbat *Rüdigerum*, qui, ut veritates æternas proſcriberet, docuit, dari ſenſionem, dari objectum ſenſionis, ac dari nexum inter illa priora ambo. Non poſſumus, ſi hæc *Rüdigeri* decreta ſequimur, imaginationem fallacem & fictionem a ſenſione vera
41. ſecernere. *Müllerus*, id incommodi ſubodoratus, veritatem metaphyſicam a ſenſione pendere noſtra, negavit. *Capite tertio* Cl. Autor de definitione Logicæ expoſuit. *Wolfii* definitionem approbat; *Wolfiani* cujusdam, qui eam in quovis modo cognoſcendi veritatem collocaverat, definitionem recte explicando in luce ponit; *Rüdigeri* definitionem ob ideas abun-
47. dantes, quibus ea eſt prægravata, repudiat. Addit, de Logica naturali, connata, & acquiſita, docente & utente, conſentire Duumviros re ipſa, licet verbis diſcrepare videantur. Scientiam dici etiam poſſe Logicam connatam, inficiatur. Logicæ diviſionem in utentem & docentem deſtitui fundamento, ſuſpicatur. Requirimus tamen teſtimonium *Rüdigeri* ac *Mülleri*, quo, exiſtere Logicam naturalem, ipſi præ ſe tulerint.
53. *Capite quarto* de ideis & notionibus diſſeruit. In Dialectica dici copioſe de veritate, de variis idearum generibus, de ſenſibus, de ideis memoriæ, de ratione humana, de meditatione,
58. videtur ipſi inſulſum. Arridet ipſi *Wolfiana* diſtinctio, ideam inter & notionem inſtituta. *Rüdigerus* maluit notionis voce abſtinere, cauſatus, eam eſſe ſcholaſticam. Subſtituit itaque infelicibus avibus vocem *Φαντάσματος*. At, *notionem Ciceroni* eſſe ſatis notam, quis ignorat? Quem fugit, *phantaſma* eſſe *imaginem rei, olim perceptæ, quæ jam in animum incurrit?* Claram *Wolfii* notionem *Rüdigerus* ignoravit, diſtinctam vero *Wolfianam* notionem vocavit claram, completam *Wolfii* appellavit diſtinctam; adæquatam vero *Wolfii* notionem haud curavit. Animadverit Cl. Vir, in Logica *Wolfii* de diviſione al-
68. tum eſſe ſilentium, monetque, in omni diviſione requiri ideas oppoſitas. Hiſce præmiſſis, ſignificat, idearum diviſionem in obſcuram, confuſam, & inadæquatam, infirmo niti fundamen-

to,

Digitized by Google

to, obscuramque ideam, si ipsa nil discernat, prorsus esse nullam. Nec omittit *Rüdigeri* aliorumque divisiones, quibus ideas miscent & circumagunt. Tantum de *Specimine primo*. Gradum promoveamus oportet ad *secundum*. In Dedicatione dat depexum illud imitatorum pecus servum, quod in verba magistri, libertate philosophandi postposita, jurat. *Capite quinto* de *Abstractis* exponit, prædicans *Müllerum*, monensque, meditationem eruditam a *Rüdigerianis* in abstractione logica collocari. Edisserit descriptionem & classes abstractorum va- Pag. 86.
rias, ejusque rei in Philosophia *Rüdigeriana* utilitatem. Ferre tamen non potest jactantiam *Rüdigeri*, qui nova & inaudita sese putat ea protulisse, quæ *Aristoteles* in *Organo* jam explicaverit. Tentat conciliationem doctrinæ *Rüdigerianæ* hujus cum 90.
Wolfiana. Imperfectam Abstractorum *Rüdigerianorum* divisionem commonstrat. Addit de abstractis mathematicis, & methodo mathematica, nonnihil. Notat ea, quæ a *Rüdigerianis* 95.
contra methodum mathematicam, & contra *Wolfium*, animo satis hostili sunt effusa. De verbis, seu terminis, agendum esse in sola Grammatica, contendit. Cum vero cognitio symbolica cadit in Psychologiam & Logicam, non irascitur, Philosophos de eis esse solicitos. Exponit de verbis propriis, appellativis, 100.
& peregrinis, atque de libertate *Wolfii* in formandis vocabulis Germanicis & nova lingua. *Rüdigeriani* scilicet cavillantur nova, a *Wolfio* invecta, vocabula. Cavillationem hanc dijudicat & retundit. 106.
Linguæ Latinæ in erudita civitate necessitatem robore & argumentis communit. Differit de consensu & discrimine Philosophorum, in diversa potestate vocibus subjecta sese prodente. Addit voculas quasdam, *Rüdigerianis* 114.
proprias, & judicium de ὀνοματοποιίᾳ Philosophorum expromit. Multos vocabula nova citra necessitatem procudere, ostendit, addens: *Causa hujus rei hæc est, nemo est, qui antiquos legit homines. Per se sapere omnes, & sine doctore ac sine omni institutione, volunt.* Faciet ipse aliquando periculum, atque ex antiquis Autoribus integrum alicujus Philosophiæ 118.
systema ea perfectione, ad quam veniisse dicunt hodie, conscribet, ostendetque luculenter, ea, quæ in disciplinis jamjam,

veluti

Digitized by Google

veluti nova, & ad hunc diem inaudita, jactantur, minime fuisse ab antiquis ignorata. Dignum sane hecatomba opus! Hinc ad definitionum indolem progreditur. Monet, *Rüdigeri* de definitione definitionem esse justo angustiorem, nominalibus
Pag. 122. definitionibus minus congruentem; *Wolfii* nominales esse *Rüdigeri* reales; *Wolfii* geneticas esse *Rüdigeri* causales. Merito *Wolfium* a definitione resecuisse finis mentionem & rei usum,
132. adjungit. Genus in definitione semper exprimendum esse, contendunt *Rüdigeriani;* negant *Lockius* & *Wolfiani.* Quibus accedit Noster, licet, oculis aliquid dandum esse, largiatur. Ostendit, definitiones nominales ab arbitrio pendere, non promiscuo, sed dextre explicando, ac *Wolfianis* hic ita adstipulatur, ut de ossium *Rüdigeri* sibi gratuletur consensu. In *Rüdigeriana* Philosophia multum exstare ex *Aristoteleis* & *Scharfio* decerptum, monet. Postea de *divisionibus* exponit. Logica *Wolfii* Germanica suo judicio optimus liber est in omnibus, quos scripserit Cel. *Wolfius.* In Logica Latina majori repetitiones nimias notat, regulasque esse sine necessitate coacervatas, tradit Noster. In regularum, quibus divisio logica congruenter instituenda est, recensione *Müllerum*
147. a *Rüdigero* secessisse, docet. De divisionibus *Wolfius* nil explicate tradidit. Cl. Vir, de *enuntiationibus* commentatus, ad secundam mentis operationem sese convertit. Exponit inibi de nomine & verbo, subjecto & attributo, pro-
159. positione ajente & negante. Intexit mentionem de docta inter *Rüdigerum* & *Müllerum* altercatione. *Specimine tertio* de
191. *Syllogismis* exponit ex opinione Duumvirorum. *Rüdigerum* esse primum, qui regulas ratiocinandi syllogisticas ita proposuerit, ut verum inveniatur, ipse prorsus perspicere haud potest. De syllogismis eadem ratione exposuerunt *Scharfius*, *Weisius*, aliique. Addit Cl. Autor: *Mihi certe modum, quo pertractat hanc doctrinam Wolfius, multo dilucidiorem clario-*
195. *remque apparuisse, ego confiteor.* Merito notat *Rüdigeri* in Mathematicos odium ac cogitata monitionesque de ratiocinatione mathematica, immo eam, qua Vir beatus laboravit, Ma-
208. theseos ignorantiam. Cum ad syllogismos *Rüdigeri* assumtivos, transsum-

Digitized by Google

transſumtivos, immediatos, aliosque, procedit, præfert hiſce myrmeciis univerſalitatem principii *Wolfiani.* Attingit quintam Syllogiſmi figuram, cum *Hofmanno*, autore ſuo, ſepultam. Memorabilis eſt hæc ejus confeſſio *pag. 233: Scatet ſane Rüdigeri Philoſophia diſtinctionibus, quas ſæpiſſime, ne ipſo quidem Viro beato excepto, intelligere nemo poteſt. Eſt inter eos, qui ſæpiſſime, ſi cordate cum quopiam ſermones ſerere voluerunt, hoc ipſum dederunt conſilii, quando laudem ingentis Philoſophi gloriamque appetere quis velit, ut novas ſolum, neque ante hunc diem auditas, diſtinctiones proferat, quibus quivis facile exhorreſcet.* Solet eſſe hic eorum mos, qui a mittendo appellationem trahunt. Syllogiſmos practicos *Rüdigeri* Noſter patria Pag. 255. carere jubet. Tandem vero de probabilitate & uſu Logices enarrat Duumvirorum cogitata, mediusque inter eos ſedet conciliator & cenſor, altera manu geſtans aſſenſum, altera obelum oſtentans. Salem ſibi ineſſe, eumque & peracutum & recentem, paginæ loquuntur univerſæ. Candore & libertate philoſophandi utitur tanquam ſcuto. Scriptura ejus eſt index animi erecti, ſinceri, nævis aliorum intenti, & ſatiricum jecur haud exoſi. Dictio vivax profluit commendabilis nitore & perſpicuitate. Si nobis etiam liberius licebit ſentire, id unum adjungimus, nos interdum inter legendum ad ſcopulos vocularum minus terſarum aliquos alliſiſſe, navem tamen inter hæc tenuiſſe ſalvam, gaudioque ſatis recreatos, portum feliciter contigiſſe. Triumphatoribus ſcilicet Roma aſſociavit viros, qui exultantibus objicerent nævos, ac intra terminos mortalitatis coercerent illos, quos hoſtium evexerant clades & ruinæ.

DE PRÆJUDICIIS MARINIS CIRCA JURA, quæ dicuntur regalia & majeſtatica, cavendis Propempticum commercii literarii argumentum, Illuſtriſſimo politiſſimoque Juveni, Domino NICOLAO ADAMO Comiti DE BIELCKE, ab alma Lundinenſi ad Upſalenſem transeunti, datum.

Holmiæ, ex typographia R. Hiſtoriographi, 1738, 4.
Plag. 8½.

Regalia jura pars ſunt Juris publici, ex eminente imperii, ejusque, qui id exercet, forma enati. Obſcuri pleriſque ſunt limites regalium Sueciæ. Obſcura eſt multis genuina, quam de eis animo informare decet, notio. Id, quod Regis, vel Rege dignum, eſt, Latini vocant *regale*. Juris publici ac feudalis Doctores jura in territorium ac prædia, ſine interventu ab Imperatore & Imperio pendentia, vocare ſolent *regalia*. Notiones haſce Autor exiſtimat minus eſſe determinatas. Idem fert ipſe judicium de vulgari jurium regalium definitione. Hæc enim plerique putant ſummo rei publicæ domino eſſe propria, eisque, quibus illa hic conceſſit, ad tuendam reipublicæ ſalutem & dignitatem. Monet, ei tribuenda eſſe jura etiam ſocietatis civilis, hominis in ſtatu naturali ſpectati, mariti, patrisfamilias, domini famulorum, creditoris, locatoris, &c. indubie ad tuendam reipublicæ ſalutem & dignitatem perficienda. Veretur autem hæc appellare jura regalia. Alii regalia derivant ex majeſtate. Sed de hujus natura & indole rurſus inter ſeſe diſceptant. Alii enim ſoli Imperatori Romano-Germanico tribuerunt jura regalia, eo quod 1) ille ſolus ad quatuor ſumma telluris imperia *Danielitica* referendus ſit, & 2) orbis Romani ac Chriſtiani ſolus ſit caput ex ſuffragio Pontificum Romanorum. Inde ſequitur, Regibus reliquis haud tribuendam eſſe majeſtatem. Alii Imperatores & ſingulos & excidio Hieroſolymitano recentiores in *Daniele* haud deprehendunt, nec fabulam illam de quatuor orbis monarchiis aſſenſu dignantur, jam pridem quippe exploſam, rati, majeſtatem Regum a Pontificis Romani opinione haud pendere, quippe qui olim eam ſibi vindicare, & Imperatores Regesque pro pediſſequis ſuis adhibere, fruſtra ſtuduerit, ſpeciei hierarchici principatus ſeſe involvens. Solent hodie plerique *regalia* ſic intelligere, ut, per ea, putent, denotari promiſcue *jura majeſtatis*. Majeſtas certe eſt id ſummum facultatis virium humanarum, quod ſolo Deo gaudet ſuperiore, ac in regendis aliis verſatur. Ipſa eſt in ſeſe ſumma, ratione generis ſui; at exercitium

Pag. 2. 3. 4. 8.

Digitized by Google

citium eſt limitatum vel natura regionum ipſa, vel conventioni- Pag. 10.
bus ordinum eligentium, immo ipſis naturæ legibus. Notat
Autor definitionem majeſtatis vulgarem. Hæc enim dicitur
eſſe *poteſtas in civitate ubique ſumma*, ſeu *ſuprema & libera*
regenti civilem ſocietatem poteſtas ad finem propoſitum. Qua- 13.
drant ſane hæ definitiones etiam ad tyrannidem, quam nemo
majeſtate niti contendet. Finis itaque diſtinctiori notione erat
exprimendus. Recordandum tamen, *poteſtatem* a tyrannide
eſſe alienam. *Finis propoſitus* referendus eſt ad civilis ſocieta-
tis emolumentum & conſervationem. Credit Autor, a flu- 17.
ctuante notione, quam homines de *majeſtate* forment, bella
civilia funeſtiſſima eſſe exorta, nec a *Grotio*, vel *Puffendorfio*,
notionem illam ad debitam accurationem fuiſſe evectam. Vi-
detur ipſe juris naturæ ſpecies duas haud ubique perpendiſſe,
ſcilicet priorem in æqualitate hominum poſitam, poſteriorem
ad ſocietates, tum ſimplices, tum compoſitas, applicatam. Hoc
vocamus jus gentium. In eo tantum decedit æqualitati, quan-
tum conſervatio & felicitas ſocietatis requirit. Quæ extra 18.
hunc ſcopum ſunt, & pro more gentium haud ſunt conſtituta,
ea æqualitatis indolem retinuerunt. Id vero perpetuo cogi-
tandum, imperia non ſemper philoſophice condi, ſed plerum-
que per vires inæquales partium & potentiam ſuperioris con-
ſtabiliri. Servitutem voluntariam, negat Autor, eſſe juris natu-
ræ æque ac necem ſui. Verum ſervitus voluntaria referenda
eſt ad jus naturæ, ſocietatibus applicatum, ſeu jus gentium. Ju-
re gentium inter Celtas certa avtochiriæ ſpecies etiam fuit ap-
probata ab univerſis. Juſte ſic ſtatui poſſe certis conditioni-
bus, a ſocietate prædefinitis, quis dubitabit? Quærit Autor, 20.
undenam ſit imperium. Reſpondet, ſingulos in ſtatu naturali
habuiſſe æqualem, adeoque ſummam, poteſtatem utendi ſuis pe-
culiaribus, ſalvis tamen æqualium, juribus ad conſervationem
ſui. Poteſtatis hujus ſuperioris, ex pacto ſocietatis in unum,
vel plures, translatæ, exercitium, manente licet æqualitate na-
turali, ſed ad proportionem civilem reducta, vocat imperium.
Reductio vero illa eſt æqualitatis in rebus nonnullis reſtrictio,
ex pacto, vel tacito, vel expreſſo, innoteſcens. Exercitium

illud eſt relate ſupremum, ac inde oriuntur ſuperioris & inferiorum habitudines. *Ziegleri* deinde definitionem majeſtatis expendit & refellit, repetentis notionem majeſtatis non ex modo imperii collati, ſed ex ipſo imperandi modo, per
Pag. 22. quem actus ſuperioritatis nequeant irriti reddi. Ipſe enim ſummum id, quod majeſtatem perficit, deducit ex pacto, quo poteſtas in unum, vel plures, ſumma confertur, & per quod, mortuo imperante, a compaciſcentibus id, quod imperans in pacta gentis ſuæ peccavit, reſcindi poteſt. Recidunt hic omnia in ſignificatum *majeſtatis*, quæ accipitur vel pro poteſtatis exercitio per ſeſe ſummo, vel pro exercitio ad pacta relato. Prior ſignificatus eſt metaphyſicus & abſtractus; po-
24. ſterior eſt juris naturæ politici, ac uſum ſpondet. Hinc ſeſe convertit ad *Puffendorfium*, qui in *J. N. & G. VII, 4, §. 1*, ſummum imperium exhibuit per analogiam partium potentia-
27. lium, quales anima habere exiſtimatur. Negat Autor, animæ ineſſe partes, diſtinguens jura majeſtatis a juribus facultatis meræ, nec non majeſtatem hominum naturalem a civili gentium, ſeu ſupremi imperantis. Majeſtatem contendit inhærere univerſæ civitati velut radici & matri, nec per ſeſe eſſe indiviſam, Regemque, pacta, cum civitate inita, lædentem, a civitate exautorari poſſe. Addit, civitatem, imperium condentem, poſſe ſibi reſervare deciſionem cauſarum nonnullarum, certe cognitionem, eamque ſenatui, vel delegatis, committere. Unde col-
34. ligit, imperium ſummum haud eſſe indiviſum, nec *Puffendorfio* aſſentitur, rato, partes potentiales ſummi imperii civilis non eſſe ſeparabiles. Coactionem moralem in Deſpotiſmum etiam cadere, diſputat. Poteſtatem ſummam, quæ majeſtatem civitatis atque gentis referat, poſſe reſtringi ita, quo minus tota
39. compareat, *legati* exemplo it comprobatum. Jura regalia a majeſtaticis diſtinguenda eſſe, cenſet. Impunitatis & majeſtatis jure homines in ſtatu naturali gaudere, ſibi perſuadet, licet ipſi in alios imperium haud exerceant. Qua re motus, diſtinguit imperium a majeſtate & impunitate, licet omnia im-
41. perandi jura ſint juncta cum majeſtate & impunitate. Majeſtatis læſæ porro crimen perpendit. Originem majeſtatis civi-

lis

Digitized by Google

lis hiſtorice recenſet. Superioritatem territorialem recuſat ap- Pag. 44.
pellare titulo *analogæ majeſtatis*, eo quod ei ſumma æqualitas & impunitas deeſt. Majeſtatem phyſicam, ſeu deſpoticam, refugit haud ſecus ac majeſtatis analogæ approbatores & *Fürſtenerios*. *B. G. Struvium* laudat, qui poteſtatem a majeſtate 47.
diſtinxit, ac diſcrevit ſuprematum a ſuperioritate & jurisdictione. Improbat diſtinctionem in regalia majora & minora, in regalia primi & ſecundi ordinis, in regalia æquiparantiæ & diſquiparantiæ, in immanentia & tranſeuntia, reſervata & communicata, &c. Certum enim eſt ipſi, majeſtatem ac pote- 50.
ſtatem radicitus ſitam eſſe in civibus ſingulis, qua æqualibus, nec poteſtatem Regis eſſe præditam juribus majoribus pluribusque, quam eis, quæ populus in ipſum transtulerit. *Puffendorfii Anecdota Sueciæ* vituperat & carpit. Mirum ſane, 55.
Sueciæ Regem ſummo præeſſe imperio, ac nihilo minus ſibi ſuo cautionis chirographo impoſuiſſe neceſſitatem ſuffragandi or- 57.
dinibus regni, qui perpetua gaudeant poteſtate pangendi ſanctiones, quas e re publica judicaverint. Autori pronuntiare lubet, majeſtatem Regi eſſe ſummam, adde in illa gente, poteſtatem vero legibus eſſe limitatam & circumſcriptam. Videtur hic imperandi modulus vel eſſe biceps, vel in ochlocra- 59.
tiam degenerans, vel titulo regni indignus. Sic nonnullis viſum, quorum opinionem Autor impugnat, & ex recepta Juris publici doctrina profluxiſſe credit. Si quid divinando nobis licet aſſequi, Autor hujus ſcripti fuit *Jacobus Wilde*, Sueciæ Hiſtoriographus, ſiquidem ejus *Præparationi hodegeticæ in Introductionem Puffendorfii* ſubjecta eſt *Appendix de Præjudiciis circa regalia*, in qua eædem doctrinæ copioſius propugnantur. De libro ipſo judicium nobis ferre haud lubet, licet nomen profiteamur inter Germanos, ſeu transmarinos, quos Autor tractatione hac refellere ſtuduit. Simul atque enim vocabula ad firmos ſignificatus fuerint defixa, & cauſa hæc ab ovo fuerit inchoata, legitimisque deducta concluſionibus, nihil litis ſupererit. Id vero noſtris haud eſt vitio vertendum, quod in definienda majeſtatis & imperii notione ad recentiſſimam regni Suecici formam haud continuo reſpexerunt. Quæri autem

poteſt, an illi genuina poſſit aſſignari *majeſtas*, qui poteſt a ſibi ſubditis exautorari, &, quod inde conſequitur, judicari & damnari. Videntur hæc nobis mutuo pugnare, niſi ejusmodi majeſtas habeatur pro excellentia quadam virium ſummarum, paſſim diviſa, & omnibus, ſtante regno, inæqualiter communi.

INSTITUTIONES LOGICÆ, METHODO ECLECtica adornatæ, Autore DANIELE MAICHELIO, S. S. Theol. D. & Prof. Extraord. Logices & Metaphyſices Ordinario, nec non Ducatus Wirtenbergici Super-pædagogarcha.

Tubingæ, literis atque impenſis Georg. Frid. Pelickii, & Jo. Dav. Bauhoffii, 1738, 8.

Alph. 1 plag. 4.

Cel. Autor, cujus merita literaria orbis eruditus dudum ſuſpicit, Inſtitutiones haſce Sereniſſimo Principi ac Domino *Carolo Friderico*, Marchioni Badenſi, conſecravit, gratiam Sereniſſimæ domus Badenſis, in ſeſe excellenter collatam, concelebratione, haud ſecus ac par fuit, proſecutus. Inſtitutiones ipſæ ſpirant eclecticum, non compilatorem, nedum centonum conditorem, vel ſectariorum in patria natum alumnum. Autori lubuit ei ſeſe addicare ſententiæ, quam ipſe, maturo examine defunctus, deprehendit veram, nexuique ſyſtematis congruentem judicavit. Delibandum eſt nonnihil ex ipſa tractatione, ut ex fimbria de texto Lector queat judicium formare. Summam præmittemus. Procœmio exponitur de inveſtigatione ſtudii logici, ejusdemque natura, indole, pretio, atque methodo. Tractatio reliqua *Libris quatuor* comprehenditur. *Primo* de ideis diſſeritur. De judicio, ſeu enuntiatione, agit *ſecundus*. *Tertius* inſcribitur de tertia mentis operatione, ratiocinio, ac ſpeciatim de ſyllogiſmo. *Quartus* methodum, ejusque diviſiones & uſum, recenſet. Exiſtere Logi-
Pag. 4. cam, colligit Cel. Vir 1) ex morbis animi, quibus Deus indubie paraverit medicinam, bonitatis quippe pleniſſimus; 2) ex nativo plura ſciendi deſiderio, mentisque capacitate; 3) ex

directione

directione voluntatis acquirenda; 4) ex experientia, atque 5) ex nævis, intellectui infusis, Logica sublata. *Veritatem sententiarum & connexionum* invicem dignoscit. Illam, docet, ex re- Pag. 6.
bus ipsis elucere; hanc præceptis institutisque logicis deberi, arbitratur. Logicam naturalem esse imperfectam admodum, nec ad alios erudiendos nobis sufficere, sciscit. Utilitatem hujus esse in reliqua Philosophia universa permagnam, addit. Ipsam disciplinis superioribus opem ferre, ostendit. Ill. *Tho-* 19.
masii pronuntiata nonnulla, quæ in *Introductione ad* ejus *Philosophiam anticam* leguntur, notat. *Lockii* opus *de Intellectu humano* nævorum aliquot incusat. Modeste & prudenter tandem subdit: *Quotidie proficere studemus, discendo meliora, parati etiam ad censuram non ferendam modo, sed exosculandam quoque, si in uno alterove lapsi, adeoque hominum more humani quid passi, videbimur.* Subjicit hisce cautiones proficien- 21.
do aptas, suoque sese commendantes fructu. Doctrinam, de mentis operationibus tractantem, utilitatis esse expertem, Ill. quondam judicavit *Thomasius*, ac in ea multum desideravit. Tricas hasce evolvit ac refellit Noster. Ideas conjunctas & 27.
oppositas, simplices & compositas, delibat. Absolvi ratiocinationem unica mentis operatione, negat. *Platonis* doctrinam de ideis dijudicat, & errorum multiplicium convincit. Discri- 36.
men, quod Anglus quidam notionem inter & ideam statuit, haud agnoscit. *Ideam* definit per *objectum mentis nostræ immediatum.* Pace Cel. Viri liceat monere, propositiones, quas 39.
experientia per sensus haurit, e. g. sol lucet, esse non minus objectum mentis nostræ immediatum, nec tamen sententias, observationi innixas, per sese dici posse ideas, nisi *aggregatas.* Videtur nobis *idea* esse *repræsentatio rei singularis in mente*, ideoque complecti tria: 1) in mente repræsentationem; 2) rei possibilis, immo impossibilis; 3) ejusque singularis. Quot enim dantur in propositionibus ac rebus singularia, tot dantur ideæ. Universalia & abstracta repræsentantur æque per imaginem singularem. Quo minus vero impossibilia ab idearum momentis secernamus, prohibet ipsa experientia. Licet enim per sese non-entium idea sit nulla, tamen in mente sæpius

repræ-

Digitized by Google

repræſentatur res impoſſibilis, ſpeciem poſſibilis mentita, danturque ideæ, contradictionem continentes, ſeu impoſſibiles, e. g. figuræ bilineæ, corporis cogitantis, volantis equi, &c. Idea itaque formalis ab objecto ideæ eſt diſtinguenda. In objecto, haud ficto, ineſt nihil impoſſibile. At ſæpius tamen objecta repræſentant ſeſe menti, ficta vel ex toto, vel ex parte. Sed hæc hactenus. Meminimus enim id, quod Autor *pag. 41* docet: *Ex eo, quod Deus aliquid non concipit, id abſolutiſſime, & ſine ulla exceptione, pro falſo, vel impoſſibili, habetur; ex eo, quod homo non concipit, non item.* Ipſe differentiam *Tſchirnhauſenii* inter id, quod vel cogitari, vel mente haud concipi,
Pag. 43. poteſt, probe diſcutit ac dijudicat. Pyrrhoniſmum & *ſectam mentientium* evertit. De vero idearum uſu cautiones ſaluber-
47. rimas ſuppeditat. De origine idearum ita agit, ut nihil certi definiat, præter hæc tria momenta: 1) menti a prima infantia nullam ineſſe notitiam, actu externo fœcundam; 2) hanc enim interventu ſenſuum & inſtitutionis in mentem pervenire; 3) ſed a vi, naturaliter mentibus inſita, deinceps ſuppleri, emendari, extendi æque ac perfici. Ideas innatas, ſi per eas intellexeris *potentiam propinquam aſſentiendi veritatibus evidentibus, accedente rationis uſu & vocum poteſtate*, exiſtere, lar-
50. gitur. Rationes, cur Deus quidem ideas, non tamen ſenſiones rerum gratarum ac ingratarum, in hominis poteſtate voluerit eſſe ſitas, affert ſolidas & profuturas. Tum vero exponit de prima idearum diviſione, quæ a conſideratione ſubjecti ſentientis ſolet peti ac deſumi. Senſiones eſſe fallaces falſasque, negat, ſolidisque pernegat argumentis. Uſum & abuſum ſenſilium repræſentationum perſequitur, ac, ad obſer-
64. vationes recte dijudicandas, requiſita ſenſionum recenſet. Senſionis & imaginationis diſcrimina exhibet. Uſum imaginationis multiplicem ita enarrat, ut defectus haud omittat, vitiaque admodum candide exponat. Imaginationis morbos & remedia adjungit iſtis, de quibus alii in Pſychologia ac Pnevmatologia præcipere conſueverunt. Intellectum purum dari, docet, ac diſcrimen, quo intellectus ab imaginatione diſtat, ediſſerit.
76. Monſtroſam *Chr. Thomaſii* de notione *mentis* ac *intellectus*

puri

puri ſententiam indicat & refellit. Poſthæc progreditur ad ſe- Pag. 78.
cundam idearum diviſionem, quæ a conſideratione objecti ſolet deſumi. Eos, qui credunt, ſubſtantiæ nos latere ideam, 84.
lepide argutari oſtendit. Tum ad tertiam idearum diviſionem, a gradibus perfectionis petitam, delabitur. Prædicat Ill. *G. G. Leibnitii* ac *Chriſt. Wolfii* in hanc Logices partem merita. *P. D. Croſam*, qui, ideas dari obſcuras, negavit, confutat, &, *Nic. Hier. Gundlingium* ideas claras cum diſtinctis permiſcuiſſe, demonſtrat. Juſtitiam Dei eſſe bonitatem, ſapienter adminiſtratam, ſeu ſapientia temperatam, negat, ratus, ideam hanc eſſe minus plenam, ſiquidem Dei μακροθυμία cadat in eandem ideam. Quid in ideis veris ſolidisque 93.
comparandis ſit elaborandum, & quid vulgo peccetur, copioſe ſolideque recenſet. Hiſce ſubjungit quartam idearum di- 105.
viſionem, ab earum extenſione petitam. Exponit itaque de ideis ſingularibus, & univerſalibus, ſeu abſtractis. Quintam idearum diviſionem ab earum convenientia & diſconvenientia deſumſit, ibi differens de eodem & diverſo, de diſparatis, oppoſitis, contradictione plenis, contrariis, ſubcontrariis. Quibus pertractatis, ad definitionis naturam progreſſus, definitionem inſerit numero idearum, licet ipſa propoſitionem, ſeu ſententiam, comprehendat. Ipſam definitionem vocat ideam rei determinatam & completam, ac in nominalem diſtinguit atque 126.
realem, eodumque oſtendit, quo illa acquiri & explorari poſſit. Hinc exponit de diviſione, quæ docet, quotuplex res ſit, de *terminis*, ſeu *vocabulis*, eorumque uſu. Hæc *Libro* 135.
continentur *primo*. *Libro ſecundo* exponit Autor de judicio, ſive enuntiatione, nec omittit doctrinam de propoſitionum fundamentalium ſpectris, ſeu præjudiciis. *Libro tertio* monet 168.
inter alia *pag. 296: Male quis inter πρῶτα ψεύδη Philoſophiæ Leibnitio-Wolfianæ retulerit harmoniam præſtabilitam inter animam & corpus, quæ non aliter, quam pro mera hypotheſi, reputatur, quæque illius ne quidem præcipuam partem efficere cenſenda eſt.* Queritur idem, in ſyſtematibus Philoſophorum recentiorum paſſim omitti multa & neceſſaria & utilia, quæ ad exhauriendam aliquam diſciplinam pertineant 348.

Digitized by Google

omnino; cauſam omiſſionis quærit in ſyſtematicæ catenæ rigore & ſeveriori cuſtodia, cui ſcriptores aliqui nimium vacaverint. Redit fortaſſis hic ſemper quæſtio, quidnam in ſingulis diſciplinis ſit tractandum; & quousque cancelli earum pateant & porrigantur. Verum id aliis providendum relinquimus, celebrantes Cel. Viri accurationem & diligentiam, in adornandis hiſce Inſtitutionibus collocatam, quas jure quodam præſtantiſſimis ſui generis operibus eſſe annumerandas, fide oculata freti pronuntiamus.

Erläuterung der vernünftigen Gedancken von den Kräften des menſchlichen Verſtandes, ꝛc.

id eſt,

EXPOSITIO COGITATIONUM, RATIONI CONgruentium, de Viribus Intellectus humani, conſcriptarum a Cel. Philoſopho, Chriſtiano Wolfio, edita a JOANNE FRIDERICO STIEBRIZ, P. P. Philoſ. Halenſi.

Halæ Venedorum, impenſis bibliopolii Fritſchiani, 1741, 8.

Alph. 1 plag. 1.

Autor Clariſſ. ſuarum credidit eſſe partium, expoſitionem hanc Ill. *Chriſtiano Wolfio* inſcribere, e cujus quippe ſcriptis ſeſe philoſophica ſcientia imbutum fuiſſe, gratiſſima prædicat confeſſione. In Præfatione indicat ſcopum, in hoc libello ſibi prædefinitum, ejusque ſummam recenſet. Tractationis initia ſpectant ad Logicæ *Wolfianæ* hiſtoriam literariam §. *1-21.* De Philoſophia Commentator diſſeruit generatim §. *24-74.* Deinde iſagogen exhibuit ſuccinctam, expoſitioni Logices inſervientem, §. *75-99.* Poſtea illuſtratio ipſa ſeſe lectori offert, quæ ita eſt comparata, ut 1) expoſitioni *Capitis* cujusque tabula ſynoptica fuerit præmiſſa; 2) potiora enucleentur, ac uberiori luce inſtruantur; 3) dubitationes vel aliorum, vel oboriri ſolitæ cuivis, ſolvantur & elidantur; & 4)

Caput

Digitized by Google

Caput primum de ideis, & *quartum* de ſyllogiſmis, momentum trahentia, copioſiori expoſitione fuerint perfuſa. Solide eis Cl. Autor facit ſatis, qui ſibi perſuaſerunt, in Logica *Wolfiana* deeſſe doctrinam, quæ opiniones præjudicatas, diviſionem, & alia Logicæ minus congruentia, tradit. Logicam probabilium conſtituerat Ill. *Wolfius*. Et hanc ob cauſam de ea in *Cogitationibus* illis haud egit. Expoſuit potius potiſſima, utiliſſima, & tironibus profutura. Reliqua Latinis reſervavit elementis. Hæc eſt ratio, cur de ideis, de geneſi definitionum, de obſervationibus rite inſtituendis, ac de uſu ſyllogiſmorum, luculente & præclare expoſuerit. Omittimus jam alia, quibus pretium haud eſt abjudicandum. Inprimis arriſit nobis Cl. Commentatoris expoſitio, qua cognitionem hiſtoricam & philoſophicam illuminavit. Ipſe ſtudium omne attulit ad definitionem Philoſophiæ *Wolfianam* ab objectionibus liberandam, quarum potiſſimæ a Cl. *Hollmanno* ſunt profectæ. Contra hunc vindicatur itidem definitio Theologiæ naturalis *Wolfiana*, nec non definitio Pſychologiæ, ab Ill. *Wolfio* æque ſuppeditata. Notas genuinæ Logicæ exhibuit Autor, ab aliis tanta ſoliditate nondum demonſtratas. Vincula partium Logices *Wolfianæ* ſcienter, ordine, & ſalubriter, fuiſſe inventa & connexa, ad oculum oſtendit, ſignificans, diſtributionem idearum *Leibnitianam* a *Valeriano Magno*, Capucino, in *Philoſophia quadripartita* primum adhibitam eſſe, *Carteſii* & *Lockii* definitiones eſſe vagas, minusque diſtinctas, plerorumque hominum ideas eſſe obſcuras, perpaucas eſſe claras, pauciores diſtinctas. Diſtinctionem idearum in completas minusque completas *Wolfio* deberi, oſtendit. Omittimus reliqua, ſuæ ſoliditatis elogio mactanda. Scopo ſuo Cl. Vir ita fecit ſatis, ut nihil requiri poſſit amplius. Ordinem ſervavit, diſtinctas ideas adhibuit, dubitationes enodavit, ſcripta, quibus partes Logices copioſius pertractantur, laudavit, modeſtiæ operam dedit, refutavit ſententias ita, ut diſſentientibus honorem habuerit, diduxit breviora & illuſtravit, hiſtoriam literariam nonnunquam adjunxit, &, ut verbo dicamus, de Logica Ill. *Wolfii* præclare merentem ſeſe præbuit. Noſtrum eſt, ipſum

Pag. 19. 22. 41. 74. 105. 143. 157.

monere, ut promiſſum ne migret, quo, ſeſe Ethicam Ill. *Wolfii* ratione eadem eſſe illuſtraturum, ſe obſtrinxit.

Das Aderlaſſen, als ein nöthiges Mittel ꝛc.

hoc eſt,

VENÆSECTIONEM SÆPIUS REMEDIUM AD felicem Variolarum curationem perquam neceſſarium eſſe, ex certis indubiisque Medicinæ principiis evincit

BALTHASAR LUDOVICUS TRALLES, Med. D. & Pract. Vratisl.

Vratislaviæ, apud Michaelem Hubertum, 1745, 8. Plag. 8.

Parvæ molis producimus libellum, ſed multi judicii, magnæque doctrinæ, ante aliquot jam annos editum quidem, nunc vero denuo, ſine ulla tamen mutatione, recuſum. Autor præſtantiſſimus, cujus alias jam eruditionem exquiſitam, animum a præjudicatis opinionibus alienum, atque nobilem in repurganda poliendaque Medicina ardorem, laudavimus, cum ſatis cognitum habeat, nondum eſſe nobis remedia, quæ antidotorum inſtar virus variolarum illico enervent & deſtruant, ut, perditis ſuis viribus, non agere amplius & nocere queat, eo reſpiciendum eſſe putat, ut effectibus ejus veneni occurratur. Cum itaque ſatis conſtet, omnem hujus veneni effectum in mera inflammatione eſſe poſitum, ab eaque iterum exulcerationem & gangrænam, indeque mortem, oriri, proinde, eam medicinam in curandis variolis convenire quam maxime, exiſtimat, quæ inflammationi, & ſymptomatibus, quæ hinc conſequuntur, ſummorum Medicorum conſenſu, cum fructu opponi ſolent. Inter quæ venæſectio facile primum locum tenet, cujus idcirco utilitas & ſumma neceſſitas demonſtratur. Quemadmodum autem de venæſectione inde ab antiquiſſimis temporibus multiplices agitatæ fuerunt lites; ita recentiori tempore id inprimis venit in diſquiſitionem, habeatne ea in febribus continuis locum, nec ne, quæ controverſia ad variolas etiam tracta fuit. Veteres ea in morbi principio uti

non

non dubitarunt, ut ex Clariſſ. *Habnii Antiquitatibus variolarum* patet. Ex recentioribus autem complures fuerunt præſtantiſſimi Medici, qui illam eximie commendarunt, nominatim *Baglivus, Riverius, Ballonius, Sydenhamius, Hamiltonus, Boerhaavius, Pechlinus, Werlhofius, Hoffmannus, Bergerus, Melbomius, Gœlickenius, Læberus, Helwigius.* Sicut vero multis in locis magno cum fructu adhiberi ſolet; ita non minus naturæ hujus morbi perquam congruit. Quod enim in aere ineſt virus varioloſum, his potiſſimum attributis internoſcitur, quod mirum in modum ſe multiplicare & propagare valeat, quod particulis conſtet longe exilioribus, quam ut eas humani ingenii vis aſſequatur, quod denique univerſum hominis perfecte ſani ſanguinem celeriter inficere & corrumpere queat. Quarum rerum omnium vis demum in inflammationem terminatur, inflammationisque indoles generatim naturæ & indoli variolarum reſpondet, ut proinde variolarum naturæ venæſectio admodum congruat, quæ & propterea laudari meretur, quod funeſtam illarum conditionem præ reliquis antevertat, & nimiam variolarum copiam, hæmorrhagias fatales, variolas nigras & malignas, averruncet. Ut hinc in eam ſpem Noſter ingrediatur, fore, ut iſtius uſus in morbi hujus curatione temporis progreſſu increbeſcat. Quamvis enim non ſemper, nec omnibus, opem afferat; prima tamen medicationis felicioris fundamenta jacit, nec, quæ objici ſolent, tantum momenti habent, ut de meritis illius laudibus quidquam detrahant, fructu ejus ſæpius, invitis etiam Medicis, ſe prudente. Neque hic multum valet, variolas poſt venæſectionem nihilo minus emicare, multosque ægrotantes ſine venæſectione convaleſcere, per venæſectionem calorem ad propellendas variolas neceſſarium nimium exſtingui, & naturam per venæſectionem in errores induci. Ceterum apud Germanos in variolarum curatione venæſectio perinde locum invenit, ut apud Gallos, nec puerilis ætas impedit, quo minus eam aliquando adhibere liceat, modo ſemper teneatur, eam ſalutarem quidem eſſe, noxiam tamen aliquando fieri, ſi inconſiderate imprudenterque in uſum vocetur.

PHYSICA, oder vernünftige Abhandlung natürlicher Wissenschaften, ꝛc.

hoc est,

PHYSICA, SEU RATIONALIS NATURALIUM scientiarum tractatio, D. NICOLAI BOERNERI, Sodalis Imper. Academiæ Curiosorum Naturæ, ac Medici senioris in oppido Neostadio ad Orlam; cum Præfatione D. JOANNIS ERNESTI HEBENSTREITII, Prof. Publ. Ord. Lipsi. qui illam edidit, ac Indice instruxit. Editio auctior & correctior.

Francofurti & Lipsiæ, apud Michaelem Blochbergium, 1742, 8.

Alph. 2 plag. 7.

Dignissimus erat hic liber, qui denuo ex officina Physici præstantissimi in lucem prodiret. Dignissima est Cel. Editore ea Præfatio, qua Physices usum in Theologia luculente & curate demonstravit, Physicosque ac Medicos esse Philosophiæ ac Theologiæ aptissimos cultores ostendit. Dari res creatas, quæ partim sint animalia, partim plantæ, monet, & in hunc censum rejicit urticas marinas, pulmones marinos, thetga, &c. Summa recusi libri pertinet ad *Capita 31*. Exponitur in eo 1) de Physica generatim; 2) de mundo; 3) de motu; 4) de spatio; 5) de cœlo; 6) de corporibus cœlestibus; 7) de sole stellisque fixis; 8) de planetis; 9) de cometis stellisque novis; 10) de aere; 11) de meteoris; 12) de igne; 13) de aqua; 14) de terra, corporibus terrestribus, & lapidibus; 15) de metallis ac mineralibus; 16) de plantis; 17) de animalibus; 18) de hominibus; 19) de monstris ac hermaphroditis; 20) de temperamentis; 21) de sono; 22) de odore; 23) de gustu; 24) de luce & umbra, seu coloribus; 25) de humore ac siccitate; 26) de gravitate ac levitate; 27) de calore ac frigore; 28) de duritie ac mollitie; 29) de fluore ac elasticitate; 30) de occultis qualitatibus ac Magia naturali, nec non 31) de Physices usu ac fine. Eis, quibus rigidæ

gidæ *Euclideorum* heroum catenæ minus arrident, hæc tractatio non potest non esse grata & probata. Intexuntur ei subinde scholia, seu annotationes, quibus momenta varia illustrantur, scripta aliorum recensentur, ac nova literaria edisseruntur. Delibabimus ex ferculis optimis pauciora. Physicam in censu scientiarum Autor deputat, siquidem ipsa & experientiæ & rationi insistat. Experientiam vero rationibus esse ducendam ac præmuniendam, ne sensus sit erroris ansa, monet. Multitudinem linguarum obesse cognitioni rerum, docet. Primis parentibus, in statu innocentiæ versatis, artes ac scientias inde a sui exordio fuisse notas, sibi persuadet. Parvulos, extra humana commercia educatos, brutis animantibus esse consimiles, exemplo uno & altero ostendit. *Mosen* ac *Salomonem*, *Thaletem Milesium*, Magos Persarum, *Rogerium Baconem*, *Verulamiumque*, inter Physicorum coryphæos computat. Biblia esse Physices officinam, & in eis ad errorem vulgi sententias fuisse accommodatas, negat. Definitionem *Wolfianam*, de mundo afferri solitam, approbat. Mundum perpetuo exstitisse, ratione haud una excitatus, negat. Emanationem mundi ex Deo & Spinozismum procul esse jubet. Monadas *Pythagoræorum* profligat, *Leibnitianas* adoptat. Sententiam *Mosis*, *in principio creavit Deus cælum & terram*, de universi creatione exponit. Finem mundi a nobis haud determinari posse, contendit. Eruditionem dividit in historicam & universalem. Motum esse dictitat successionem mutationum, omnibus corporibus naturalibus communem. Quietem corporum, nude talem, dari, negat. Motus species varias recenset & illustrat. Motus æqualis mensura, ipso judice, est tempus. Leges motus exponit. Spatium existere, affirmat, siquidem omnis motus in spatio peragatur. Stellis fixis circumdatos esse planetas, haud ambigit. Materiam cœli esse ætherem, demonstrat. Telluris motum assensu suo prosequitur. Cœlum per omnes mundi partes existere, tradit. Hoc sensu recte dicitur, Deum in cœlo esse. Solem rotari circa axem suum prope centrum sui systematis, docet. Ignem solarem esse gravem, ostendit. Magnitudinem solis definit. Astrologiam judiciariam notat ac exterminat. *Tychonis*

Pag. 2.

4.

14.

25.

35.

48.

58.

72.

83.

de

Digitized by Google

de Brahe & *Nicolai Copernici* vitas compendioſe exhibet. Tri-
pudium ſolis paſchale diſquirit. Inæqualitatem apparentis mo-
Pag. 100. tus ſolaris ex ſyſtemate *Copernicano* exponit. Solvit loca Scri-
ptura Sacræ, vel potius eorum expoſitiones vulgares, quibus ſy-
103. ſtema *Copernicanum* impugnari ſolet. Vortices *Carteſii* faſti-
dit. Incolas ſolis dari, negat. Tellurem eſſe planetam, ſolide
tradit. Montes jam ante inundationem terræ univerſalem præ-
ſto fuiſſe, ex *Gen. VII, 19*, oſtendit. Planeticolas exiſtere, per-
176. ſuadet. Annulum Saturni eſſe atmosphæram Saturni conglacia-
215. tam, radiosque reflectentem, ſibi perſuadet. Stellam, Jeſu
nato lucentem, Magosque advocantem, vel pro meteoro,
230. vel pro cometa ſublunari, reputandam eſſe, demonſtrat. Co-
metas impune ſpectari, docet. Rorem decidere, non adſcen-
dere, putat. Aporrogas lucere, ac verſus terram labentes ex-
ſtingui, docet, addens, eas accendendis rebus prorſus eſſe
293. ineptas. Aquas, ſupra cœlos conſtitutas, cum Clariſſ. *Wi-*
345. *deburgio* pro aquis, quæ in reliquis ſunt planetis, habet. Me-
356. lite Illyrici, judice ipſo, præbuit *Paulo* naufrago hoſpitium.
Mumias ex materia medica eliminandas eſſe, tradit. Oleum
372. talco ineſſe, negat. De magnete fuſius diſſerit. Gem-
mas dicendo perſequitur ordinate. Monachos, metallifodinis
immerſos, & ſpectra, in eis lampada exſtinguentia, fictionibus
accenſet. Generari ab integro metalla, negat; maturari, affir-
mat. Lithargirida, veneno admixtam, eſſe exitioſam, oſtendit.
Cadmiam exquiſite diſcernit. Sperma ceti eſſe cetorum, ſeu or-
420. carum, cerebrum, negat. Novimus vero ex multiplici alio-
rum obſervatione, de eo dubitandum haud eſſe. Teſtimonia
eorum collegit B. *Theodorus Haſæus* in libro *de Liviathane Jo-
bi*. Vires & indolem Turcicæ materiæ, *Maslach* dictæ, Autor
770. curate deſcribit. De Vampiriis, aliisque, ad Magiam referri
ſolitis, argumentis, ſuo more, id eſt, doctiſſime, exponit. Non
poſſumus, quin libri ordinem, ſtili perſpicuitatem, & argumenti
pertractationem, magni faciamus, ſiquidem opus hoc &
pretio, & forma, & accuratione, ſe uſquequaque
commendat.

* * *

Digitized by Google

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio II.

Beſchreibung der Burgundiſchen Kriege, ꝛc.
id eſt,

DIEBOLDI SCHILLINGII DESCRIPTIO bellorum Burgundicorum, ac nonnullorum aliorum, in Helvetia, & Bernæ inprimis, ea ætate geſtorum, memorabilium.

Bernæ, apud Franc. Sam. Fætſcheryn, 1743, fol.

Alph. 4 plag. 12.

Scribam egit judicialem, quem vocant noſtri Secretarium forenſem, *Dieboldus* ille *Schillingius* in ſenatu, Bernæ coire ſolito, atque hoc monumentum hiſtoricum juſſu Senatus Bernenſis in literas redegit. Ipſe rebus fere omnibus, quas memoriæ prodidit, interfuit. In manibus ejus fuerunt chartæ ac acta Senatus. Iram & ſtudium ipſe procul eſſe juſſit. Complectitur hæc Hiſtoria res, ab A. 1465 ad 1480 geſtas. Commemoratur in ea fœdus Helvetiorum cum Auſtriacis Ducibus, ejusque origo, ex bellis ac diſſidio Mulhuſino enata. Mentio hic fit originis penſionum annuarum, quibus Rex Gallorum fœdus cum Helvetiis firmavit. Traduntur ea, quæ ad reformationes morum ipſa Bernenſium respublica tentavit, copioſius. Copioſiſſime autem executus fuit *Schillin-*

gius bellum Burgundicum, a *Carolo Audace*, Burgundionum Duce, geſtum, ac ad Nancejum termino vitæ diremtum. De-
Pag. 4. cerpemus paucula ex ipſo. Mulhuſa urbs A. 1468 fœdus conciliavit cum urbibus Berna ac Solodura, ne porro a præfectis Auſtriacorum provincialibus degluberetur. Hi Mulhuſam eapropter vocarunt *Helvetiorum bovile*, ac eam obſidione cin-
9. gere tentarunt. Bernenſes contra, Solodurenſes, ac Friburgenſes, eis miſerunt literas hoſtiles, quibus nomen erat *Abſagbrief*, *Faidebrief*. Urbem hi occuparunt ligneam Habkeſſen, Sundgoviæ locum, combuſſerunt caſtrum Zülliſſen, nec
12. non villam Richteſſen vaſtarunt. Tigurini autem & Suicenſes ad caſtrum Schweighuſen detrimentum grave ceperunt. Quo ipſo Bernenſes ac Solodurenſes incenſi, multa loca ad vaſtitatem vocarunt, combuſſerunt expugnatum caſtellum Hirzſtein,
22. ac nihil virtutis omiſere inexpertum. Fœderati Helvetii in campo, Ochſenfelde, convenerunt, victricibus armis freti. Expeditionem Ochſenfeldenſem Helvetii profecuti ſunt carmine, ævi illius linguæque minus expolitæ indicio luculento. Initium ejus ſic habet: *Woluf mit richem Schalle und ſind all friſch und geil.* Fœderatorum pars Waldshutam circumſedit, multisque damnis utrinque illatis pax refarta fuit. Incidunt hæc in annum 1468. Subductus fuit furto Bernenſibus panis ſacratus euchariſticus cum pyxide pretioſa, cui ille fuerat inclu-
35. ſus. Nec rediit horum quidquam ad dominos ſuos. Perſuaſerunt igitur ſibi hi, Deos ſibi minus eſſe propitios, dictisque propoſitis mores reformarunt publicos. Senatus fuit conſtitutionum renovatarum, ac jurejurando publice confirmatarum, autor, easque e ſuggeſtu ſacro intra templum publice juſſit recitari.
37. *Fridericus* Imperator Bernenſes, eorumque fœderatos, A. 1471 Ratisbonam evocavit. Quid ibi in comitiis fuerit geſtum, ex-
57. ponunt literæ, a Cancellario Baſileenſi ad Bernenſes miſſæ. Ludicra Cæſar inſtituit, quæ ætati noſtræ videntur ridicula eſſe. Quæ ſequuntur, magis ſunt ſeria. Sigismundus, Dux Auſtriæ, A. 1471 iter fecit ad Galliarum Regem, fœderatosque Helve-
70. tios pro viribus reddere inviſos conatus eſt. Recuſavit *Ludovicus XI* induere animum, Helvetiis infeſtum. Quo facto,

Dux

Digitized by Google

Dux tradidit Helvetiam Duci Burgundiæ occupandam, ac titulo hypothecæ acceptis 80000 florenis permisit Comitatum Pfireti, Sundgoviæ, Alsatiæque multum, ipsamque Waldeshutam cum silva nigra. Id cum *Carolus Audax* Helvetiis superbe scripsisset, horum fuit, movere lacertos. Lucernam *Carolus* misit legatos A. 1474, qui Helvetios variis artibus terroribusque sub ditionem Austriacam reducerent. Hi certiorem de inusitatis postulatis fecerunt Ducem *Sigismundum*. Duci *Carolo* inter hæc visum creare per Helvetiam præfectum provincialem, *Petrum de Hagenbach*. Continuo opem tulit Argentina rebus Helvetiorum. *Fridericus* Imp. in oppidum venit Basileam A. 1474. Dux Mediolanensis, se sublevaturum esse Helvetios, promisit. Commemorabilis est *Schillingii* descriptio, quam de convivio suppeditavit, quo Dux Burgundiæ, die lunæ post S. *Francisci*, Imperatorem, Duces, ac Principes, excepit Basileæ. Omittimus in præsens reliqua, notiora quippe, vel apud *Schillingium* legenda. Nostrum fuit, specimen quoddam cum Lectore communicare, ex quo de libri ipsius pretio ipse judicium possit facere. Sunt, qui *Dieboldum Schillingium* in *Bibliotheca Helvet. IV, 46, 49*, nobis commemorant Lucernensem. Rogatos volumus Viros optimos, ut significent, an *Schillingius* hic fuerit Lucernæ natus, an vero geminus exstiterit *Schillingius*, unus Bernensis, alter Lucernensis.

Pag. 72. 75. 85. 88.

Kurtzgefaste Historie des Tridentinischen Concilii, &c.
id est,
SUCCINCTA CONCILII TRIDENTINI Historia, ex Pauli Sarpii, Cardinalis Pallavicini, aliorumque, eodem spectantibus scriptis & documentis concinnata, nec non nonnullis illustrationibus ac nucleo annotationum Patris le Courayer instructa, a CHRISTIANO HECHT, *Past. Consist. & Insp. Solm. Laub.*

Francofurti & Lipsiæ, 1742, 8.
Alph. 2 plag. 5.

Digitized by Google

Diligentiam Cel. Autoris dudum ſuſpiciunt & obſervant Theologi, ab eruditione haud imparati. Quantopere eam in ſcripto hoc, ad amuſſim & uſum facto, cunctis approbandam obtulerit, paucis lubet declarare. In Præfatione de monumentis literariis, quibus hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ & Concilii Tridentini exhibetur, diſſerit, & conciſe exponit. *Viti Ludovici Seckendorfii Hiſtoriam Lutheraniſmi* a nemine refutatam eſſe, monet. Ea enim, quæ Benedictinus P. *Æmilianus Naisl* A. 1726 in libello *Poſtbœrnlein*, cui A. 1730 novum dedit titulum: *Widerlegung der Hiſtoriæ Lutheraniſmi V. L. von Seckendorf*, attulit, nomine refutationis indigna cenſet. Nam, qui libros hiſtoricos fide exuere contendunt, eorum eſt oſtendere, ſcriptores eorum pro veris habuiſſe falſa. Ut hoc autem oſtendant, neceſſum eſt comprobare argumenta falſitatis, deſumta tum a re ſcripta, tum a tempore rei ſcriptæ, tum ab actorum figmentis, ſcriptorisque vel ignorantia, vel pravitate. Qui Lutheraniſmum *Seckendorfii* refellere audet, ei eſt demonſtrandum, 1) hiſtoriæ ejus fieri haud potuiſſe aliquid, 2) res, in ea recenſitas, abhorrere prorſus a tempore, quo ea credantur geſtæ, 3) acta & literas, & ſcripta edita, e quibus hiſtoria illa deſumta eſt, eſſe ex univerſo ficta & ſuppoſita, 4) ſcriptorem ab aliis fuiſſe deceptum, & manifeſte falſa ſcripſiſſe, 5) vel adeo vafrum & malitioſum exſtitiſſe, ut veritatem in fictiones detorſerit, resque vere geſtas in eam obſcuritatem conjecerit, ut verum a falſo amplius nequeat diſcerni. Quando autem & ubi hoc poſtulatum implevit P. *Æmilianus?* Laudat Autor *Judicium Edmundi Campiani, Jeſuitæ, de Concilio Tridentino expenſum*, ac præcipue *Pauli Sarpii Hiſtoriam Concilii Tridentini*, quam ipſe *Salo*, Gallus, A. 1665 ad 23 Mart. in Ephemeridibus eruditorum Pariſienſibus, *Pallavicino* præfert, & ab hoc defendit. *Pallavicino* id vitio tribuunt, quod 1) panegyriſtam Concilii egerit, 2) nævos Patrum vel texerit, vel palliaverit, 3) acta venditaverit Vaticana, de quorum fide nondum conſtet. Optat Cl. Autor, ut D. *Jonas Conradus Schrammius* edat reliqua de Concilio Tridentino hypomnemata. Liceat meminiſſe, Theologum hunc Helmſta-

Digitized by Google

Helmſtadienſem jam A. 1739 rebus humanis fuiſſe exemtum. Optat idem porro, ut Ven. & Cel. *Salomo Erneſtus Cyprianus* ex Bibliotheca Ducali Gothana proferat acta & literas, quibus hiſtoria Concilii Tridentini poſſit illuſtrari. Voti hujus ſui Vir optimus fuit damnatus. Ven. enim *Cyprianus*, nunc etiam in divis, A. 1743 literas ſane permultas eo fine edidit in *Tabulario Eccleſiæ Romanæ Seculi XVI.* Cl. Autor haud omittit monere, *Lud. Eliæ du Pin* Hiſtoriam Concilii Tridentini, Gallice ſcriptam, erroribus ſcatere numeroſis. De *Petri Franciſci le Courayer* meritis in *Sarpii* vitam & Concilii hiſtoriam expoſuimus in his *Novis Actis* A. *1737 Menſe Majo.* Id vero nobis indictum haud abire debet, Cl. Autorem daturum eſſe propediem editionem novam *Collegii Antipontificii*, a B. *Rambachio* publice prælecti. Nec id omittimus, Hiſtoriæ huic lectiſſima quævis ex *Courayero* inſerta eſſe, ipſumque in comparandis *Sarpii* ac *Pallavicini* relationibus æquiſſimum feciſſe judicium, ſtudioſæque juventuti hoc pacto & compendioſa tractatione inſerviiſſe mirum in modum, ſiquidem ab anno 1517, ipſaque origine motuum religionis, telam ſuam pertexuit. Indulgentiarum libellos a literis indulgentiarum ſolicite diſtinguit. Literæ, quæ *Silveſtro* tribuuntur, ipſo eccleſiæ Romanæ teſtimonio ſunt ſuppoſitæ. Nundinationes indulgentiarum ad *Urbanum II* videtur revocare cum *Pallavicino* & noſtrate *Val. Ern. Læſchero.* De *Leonis X* literis indulgentiarum diligenter exponit. *Lutherum* impulſu *Staupizii*, vel *Friderici* Electoris, vel æmulatione Ordinis ſui Auguſtiniani adverſus Dominicanos, nundinationes indulgentiarum eccleſiaſticarum publice reprehendiſſe, merito ſolideque negat. Eas literis *Clementis VI* bullatis A. 1350 confirmatas, & autoritate publica corroboratas eſſe, tradit. *Courayeri* immite de *Luthero* judicium improbat, & in autorem repercutit. Exemtiones & privilegia Clericorum a dominis territoriorum limitari, reſtringi, ac, re ſic ferente, tolli poſſe, docet. *Courayerum* nonnunquam *Maimburgio* veritate invita pollicem preſſiſſe, demonſtrat *pag. 41 & 43.* Ex *Schelhornii Amœnitatibus eccleſiaſticis* optima, huc ſpectantia, decerpit. Nec *Sarpii*, nec *Pallavicini*, errores omittit intactos. Cardina-

Pag. 3.

6.

19.

32.

les, *Contarinium*, *Sadoletum*, *Polum*, & *Fregoſium*, Lutheraniſmi ſuſpectos, a ſinceritate commendat. *Pſalmæi* diarium conſu-
Pag. 497. luit ac laudat, re ita exigente. *Neſtorium* veræ corporis ſanguinisque Chriſti præſentiæ in ſacra Cœna faviſſe, docet. De conceſſione calicis euchariſtici, a *Pio IV* indulta, ſuccincte agit, ac de profeſſione fidei Tridentinæ fert judicium. Sub-
767. ſiſtit itaque in anno 1563, ac, *Libro octavo* adjecto, opus ſuum concludit. Ex quo exiguo ſpecimine intelligitur, libellum hunc, non modo ex ipſis fontibus hauſtum, ſed paſſim quoque ſelectiſſimis obſervationibus criticis diſtinctum eſſe & exornatum.

Kurtze, doch gründliche, Hiſtorie des Hertzogthums Lothringen, ꝛc.

id eſt,

M. J. F. S. L. OCC. PROF. HISTORIA DUcatus Lotharingici brevior, ſed ſolida, inde a temporibus Romanorum usque ad nuperrimam pacem, A. 1738 ſancitam, cum nova geographica regionis deſcriptione & Mappa ejusdem geographica.

Francofurti ad Mœnum, 1743, 8.

Alph. 2 plag. 10.

Tomis II conſtat omnis hæc deſcriptio. Præfatio, *priori Tomo* præmiſſa, complectitur judicium de ſcriptoribus Hiſtoriæ Lotharingicæ. P. *Hieronymi Vignierii* Genealogiam, & P. *Auguſtini Calmeti*, Abbatis Nancejenſis ad S. *Leopoldi*, Opus, *Hiſtoire eccléſiaſtique & civile de Lorraine*, jure ſuo laudibus ornat, & in cœlum tollit. Summam operis *Calmetiani* recenſet. Dolet, *Calmetianam* Geographiam nondum in lucem editam eſſe. Exhibet hiſtoriæ Lotharingæ argumenta potiora. Succedit Præfationi Chorographia. In tabula, æri inciſa, & optime conformata, nobis haud licuit ad fines Alſatiæ ac Vogeſi deprehendere Pfalzburgum. Religio ut Romano-catholica ibi ſola vigeat, & diſſentientibus de ea indigenis a *Carolo II* pœna ſtrangulationis propoſita ſit, effecerunt moroſi, immorigeri, ac rebelles ruſtici, qui A. 1525 Alſatiam ac confinia turba-

turbarunt. Degener ipsorum vivendi ratio a quamplurimis vitio religioni Protestantium fuit attributa. Prædicanda est Ill. *Mascovii* nostri *Diss. de Nexu Lotharingiæ regni cum Imperio Romano-Germanico. Ferdinandus I* A. 1542 *Antonio* Duci id pactionis indulsit, ut Ducatus Lotharingiæ certis conditionibus evaserit Principatus nemini præterea obnoxius ac prorsus immunis, in defensione ac tutela Romano-Germanici Imperii situs & acquiescens. Antehac Duces solvebant duas tertias impensarum, quas Electorum singuli pendere consueverant. Ducatum Bar Duces a Rege Galliarum in beneficii, seu feudi, loco recipere soliti sunt, ex quo *Henricus*, Comes Barensis, A. 1301 a Rege Galliarum *Philippo* compulsus fuit eo, ut Comitatum Barensem ac castellum Ligny cum ditione ac terra adjecta ipsi in feudum offerret. Exemtus nuper A. 1738 est Comitatus Falckenstein, cum Ducatus Lotharingiæ ac Barensis Regi Galliarum sine jure suffragii in comitiis imperii Germanici traderentur. Nanceji fata Autor copiose edisserit. Duces priscæ ætatis ibi in æde S. *Georgii* latent sepulti; recentiores suscepit templum Capucinum. Lunavilla arce ac palatio novo, ad finem haud perducto, excellit. Nomenio, urbi mediocri, titulus adhæret Marchionatus. Dominium Bitschense Comitibus Hanovienſibus, feloniæ insimulatis, a Duce Lotharingiæ olim ereptum fuit. Nolumus Abbatiarum seriem huc transscribere. Quantum ad originem Ducum Lotharin- Pag. 43.
giæ attinet, Cl. Autori visum fuit *Vergierium* & *Calmetum* sequi. Primordia cepit ab *Archinoaldo*, Majore domus *Clodovæi II*, Galliarum Regis, A. 661 defuncto. *Hugoni*, Comiti Pfiretano, seu Alsatiæ, tribuit filios *Eberhardum* & *Guntramum Divitem*, † 946. Ab illo Duces Lotharingicos, ab hoc familiam augustissimam Habspurgicam ac Austriacam, deducit. *Eberhardo* addit filium *Adelbertum*, huic *Gerhardum I*, Comitem Alsatiæ, & *Albertum*, Lotharingiæ Ducem. A *Gerhardi I* filio, *Gerhardo II*, omnes derivat Lotharingiæ Duces. *Tomus prior* ad annum usque 1471, & obitum Ducis *Nicolai*, decurrit; *posterior* in anno 1675 subsistit. Recentiora nonnulla momenta inter Chronographiæ sinus passim leguntur inserta, primoribus

ribus quidem labris deguſtata. Addemus illud unum, libro huic in genere ſuo deberi principatum.

JAC. CHRISTOPH. BECKII, S. T. L. ET Hiſt. P. Baſil. Introductio in Hiſtoriam patriam Helvetiorum, ad annum 1743 usque progreſſa, & in uſum Academicum concinnata.

Tiguri, apud Heideggerum & ſocios, 1744, 8.

Plag. 5.

Patriæ notitia hiſtorica Cl. Autor ita pollet, ut compendiariam hanc introductionem, expedite & paſſim pragmatice elaboratam, dare potuerit. Telam a *Julii Cæſaris* ætate orditur. In anno 1743 ſubſiſtit. Utinam ipſe ſucceſſu temporis hiſtoriam pleniorem, teſtimoniis locupletibus præmunitam, nobis exhibeat! Ejus enim a peritia & laborioſa indole non ſolum tantum opus, ſed majora etiam, exſpectamus. In præſens tractationem omnem in *novem Capita* diſtribuit. *Primum* ſuppeditat lectori Helvetiæ deſcriptionem. *Secundum* de rebus Helvetiorum usque ad fœdus, A. 1308 initum, exponit. *Tertium* de rebus geſtis usque ad pugnam Sempacenſem, A. 1386 depugnatam, inſcribitur. *Quartum* res ad Baſileæ in fœdus receptionem, A. 1501 factam, complectitur. *Quinti* argumentum eſt de rebus ad ſacrorum usque reformationem, quæ A. 1519 cœpit. *Sexto* res geſtæ usque ad finem Seculi XVI comprehendit. *Septimo* res ad initam pacem Weſtphalicam geſtæ tractantur. *Octavo* res ad finem Seculi XVII geſtæ adduntur. Ultimum, idque *nonum*, de rebus nonnullis Seculi XVIII inſcribitur. Formam reipublicæ cujusque ſi adjeciſſet compendioſam, multum rei literariæ, eique publicæ, potuiſſet inferre lucis.

Hiſtorie des ehemahls Gräflichen, nunmehr Fürſtlichen, Hauſes Schwartzburg, ꝛc.

id eſt,

HISTORIA DOMINORUM DE SCHWARZburg

Digitized by Google

burg dictorum, olim Comitum, nunc Principum, in qua etiam jura, prærogativæ, & terræ, eorum una cum rebus memorabilioribus ſuccincte exponuntur, ac Diplomatibus, teſtimoniisque ſcriptorum fide dignorum, comprobantur. Præfatione ſcriptores, huc referendi, recenſentur. Accedit Appendix brevis genealogicæ juxta ac hiſtoricæ deſcriptionis Comitum Hohnſteinenſium. Autore LEBRECHTO WILHELMO HENRICO HEYDENREICH, *JCto, & Schwarzburgico Conſiliario aulico.*

Erfurti, impenſis Caroli Frider. Jungnicoli hæredis, 1743, 4. Alph. 3.

Arduo difficillimoque operi Autor Ill. animum adjecit, cum de adornanda Hiſtoria Schwarzburgica cogitavit. Nomina enim Comitum fere ſemper eadem in ea, ejusque ſtirpibus diverſis & earum propaginibus, recurſant. *Guntheros* & *Henricos* olim numeravit & diſtinxit nemo. Ne ipſi quidem Comites, id operæ ſibi datum fuiſſe, crediderunt. Diplomata eorum an ad hanc, an ad illam, progeniem ſpectent, ſæpius eſt in incerto, niſi labor pæne divinus accedat Hiſtorici perſpicacis & ſagacitate excellentis. Gratias igitur publicas agimus Ill. Autori, qui hoc altum tam feliciter ingreſſus eſt, ut ſpinæ genealogicæ aliæque, & Syrtes fluctibus opertis obſcuræ, nunc ſint remotæ, ac lætum aequor pateat. Præmiſit ipſe ſcriptores, in claſſes quatuor diſtributos. In prima apparent ii, qui generatim de Comitibus Schwarzburgicis diſſeruerunt. In *ſecunda* deprehendimus eos, qui de hoc, vel illo, Comite ſpeciatim expoſuerunt. In *tertia* offerunt ſeſe ii, qui de urbibus terrisque Schwarzburgicis aliquid memoriæ prodiderunt. In *quarta* exhibentur ſcripta, quibus jura domus Schwarzburgicæ, ad Principum culmen evectæ, expoſita ac vindicata ſunt. In claſſe prima primas fert *Paulus Gætze*, ſeu *Jovius*, defunctus ineunte Seculo XVII, Rector Arnſtadienſis ſcholæ, poſt Ebelebienſis, cujus Chronicon Schwarzburgicum,

gicum, *duobus Tomis* formæ maximæ comprehensum ac manuscriptum, Sondershusæ asservatur. Scripsit idem de Comitibus Gleichensibus, Hohnsteinensibus, ac Burggraviis Kirchbergensibus. Commentatiunculas hasce nemo huc usque in lucem protraxit. *Sigismundi Strophii*, Rectoris Sondershusani, genealogia & historia Comitum Schwarzburgicorum, A. 1592 in literas relata, inter MSta Bibliothecæ Gothanæ numeratur. D. *Abasveri Fritschii*, Rudolstadiensis Cancellarii, liber *de antiqua origine, dignitate, & præeminentia, juribus ac privilegiis, Comitum Schwarzburgicorum* A. 1667 Rudolstadii in lucem emissus est, laude sua haud defraudandus, & ex tabulariis Comitum collectus. M. *Jo. Frid. Treiberi Programma de Genealogia Schwarzburgica*, A. 1711 publicatum, & libellus, *de Genealogia & Chorographia Schwarzburgica* inscriptus, Arnstadii A. 1718 formis publicis descriptus, æque in censum veniunt. Omittimus *Olearios*, *Weberos*, *Schefferos*, & *Schlegelios*. Dolendum est, Diplomatum, a Perill. & Generosissimo *Valent. Ferd. de Gudenus* in *Codice diplomatico* editorum, Autorem Ill. rationem haud habere potuisse. Fit enim ibi *pag. 518* ad A. 1233 mentio *Henrici* & *Henrici* Comitum *de Schwarzburg*, ac *Henrici* Comitis, qui castrum Canichesvelt jure feodi ab ecclesia Moguntiaca tenuit, *pag. 519*. Spectant hæc ad ea, quæ Noster de *Cranichfelda pag. 428* edisserit. *Guntherus* Comes A. 1262 una cum aliis Comitibus adfuit solennitati Pragensi, in qua *Wernherus*, Archiepiscopus Moguntinus, *Ottocarum* in dominica die natalis Domini unxit ac coronavit in Regem Bohemiæ, uxorem vero *Ottocari*, *Kunegundim*, in Reginam. *De Gudenus pag. 693 seq. Henricus* Comes *de Schwarzburg*, Dominus in *Arnstat* & *Sondershausen*, Canonicus Moguntinus, ab *Adolpho*, Archiepiscopo Moguntino, A. 1465 die lunæ post *Viti* supremus Aichsfeldiæ satrapa, nec non Erfurtensis ecclesiæ provisor, fuit renuntiatus, *pag. 980*. Attulit quoque Cel. *Harenbergius* ad A. 1359 Diploma Comitum *Henrici* ac *Guntheri in Schwarzeborch*, Dominorum Arnstadii ac Sondershusæ, in *Historia Gandersh. pag. 403*. Id autem denuo hic apparet *pag. 393*. Videntur *Henricus XVII* & *Guntherus XXVII* inibi designati. At quantum

tum volumen ſtructurus fuiſſet Ill. Autor, ſi Diplomata ſingula conſectatus fuiſſet! Dedit eorum ſane affatim, nempe 117. Opus ipſum diſtributum eſt in *Libros tres*. *Primo* recenſentur Comites Principesque univerſi, & primordia capiuntur a *Witekindo Nigro*, licet, a *Guntbero, Sizzonis* patre, demum filum certum & fide plenum deduci poſſe, Autor largiatur. *Libro ſecundo* recenſet prærogativas, jura quæſita, & titulos, domus Schwarzburgicæ, collegia ſtatumque civilem provinciarum, ac religionem pro temporum tractu haud unam. *Libro tertio* exponit de terris Schwarzburgicis, feudis acceptis & erogatis, urbibus, caſtellis, vicis, de fluminibus ac rivis, de terrarum ubertate ac indole reliqua, de poſſeſſionibus, quas tenuerunt olim Comites Schwarzburgici vel proprietatis, vel hypothecario, titulo. *Torvburgum*, cujus in Diplomatibus Imperatorum Saxonicorum crebra fit mentio, eſſe Dornburgum, uno milliari ab oppido Academico Jena disjunctum, diſcimus ex *pag. 430*. Si ſingula memoratu digna decerpere ex hoc vireto cuperemus; noſtrum eſſet, opus integrum transſcribere, quod ipſum multo prorſus labore Autori ſuo ſtetit, & multa ipſe coercuit litura. Index Hiſtoriam Schwarzburgicam concludit, diligenter adornatus. Hiſtorica de Comitibus Hohnſteinenſibus Appendix & Diplomatibus & Indice caret, ſiquidem ſcopus Autori haud erat propoſitus, in ea longam & moleſte ſedulam exercere diligentiam. Addimus hoc unum. Hunc adeant oportet, qui in poſterum de rebus Schwarzburgicis aliquid ſolidi vel ſtudent noſſe, vel alios docere cupiunt.

Die in der Medicin ſiegende Chymie, ꝛc.

id eſt,

CHYMIA IN MEDICINA TRIUMPHANS, qua variæ encheireſes chymicæ, in parandis medicamentis præſtantioribus admodum utiles, candideque ſuppeditatæ, continentur. Pars I. Autore HIERONYMO LUDOLFFO, Phil. & Med. Doct. Fac. Phil. Aſſeſſ. extr. & Prof. Publ. itemque Pract. Erford.

Erfordiæ, ex officina Jungnicoliana, 1743, 4.
Plag. 5, cum Tab. æn. 1.

Cel. Autor, qui non ex turba ciniflonum, ſed, ut omnis doctrinæ medicæ, & Philoſophiæ naturalis, ita Chemiæ etiam rationalis, peritiſſimus eſt, Chemiæ medicæ potiſſimum his obſervationibus egregiis, quarum plures in poſterum exſpectamus, ferre ſuppetias contendit. Primo itaque loco commemorat, qua ratione tinctura antimonii, quæ adhuc in uſu fuit, ita emendari queat, ut extractione colorem rubicundum & vere ſanguineum, viresque multo præſtantiores, acquirat. Caſu incidit in hanc encheireſin, emendationemque primum nitro puriſſimo tribuit, quod tamen poſtea egregii quidem in præparanda tinctura uſus eſſe, nihil vero ad ejusmodi ſaturationem conferre, obſervavit. Cauſa præcipua repetitur a ſpiritu vini, qui oleo ſuo privatus fuit; quod tum experientia, tum rationibus, ex Chemia & Phyſica ſaniori deſumtis, demonſtratur. Quippe ſpiritui vini multum ineſt particularum ſulphurearum, quæ eidem adimi & ſubtrahi queunt, præcipue beneficio ſalis alcalini fixi. Vera hujus repurgationis ratio hæc traditur *Libris octo*. Spiritus vini melioris notæ admiſcetur libra una cinerum clavellatorum, & ſpiritus usque ad phlegma avocatur. Spiritus hic vini tartariſatus, cum æquali portione aquæ pluvialis, vel fontanæ purioris, confuſus, deſtillatione lenta prolicitur. Primus, qui prodit, ſpiritus & viribus, & puritate, ab oleo ſeparata, odoreque floribus vitis ſimili, reliquis, qui poſt prodeunt, & gradatim his virtutibus deſtituuntur, antecellit, & in tinctura antimonii, aliisque eſſentiis, tincturis, & elixiriis, magno cum fructu adhibetur. Tinctura antimonii autem ita præparatur: Recipe Reguli Antimonii martialis partem unam, nitri ſelecti, fornacis calore bene exſiccati, partes quinque. Detonent in crucibulo grandiori; poſthæc bene tecta aliquandiu adhuc in igne fuſorio aſſerventur, donec intumeſcat maſſa, poſthæc vero ſubſideat iterum, nec amplius lucta obſervetur ulla, id quod & ceſſante ſibilo cognoſcitur. Infuſa in comum fuſorium, creta interius leviter obductum, calide in pulverem comminuatur, & cum ſpiritu vini,

eo modo, quem indicavit, parato, ad eminentiam quatuor digitorum ſuper maſſa confundatur. Ita emergit tinctura obſcure rubicunda, digeſtione adeo ſaturanda, ut non amplius transpareat. Tinctura hæc ſulphur antimonii extrahit efficacius, atque vires medicamentoſas præſtantiores nanciſcitur. *Cap. II* genuinum arcanum Tartari conficiendum exponit. Cap. II. In vulgari enim methodo multa deſiderantur, quo minus veram quintam eſſentiam vini ſuppeditet. Vera enim quinta eſſentia vini admodum ſubtilis, gratique ſaporis, iſtiusque principia, Sal, Sulphur, & Mercurius, quantum fieri poteſt, inter ſe coniuncta ſunt, nec partes ſubtiliſſimæ, maxime volatiles & efficaciſſimæ, impetuoſis conatibus abigi debent. Quæ qua ratione fieri & evitari debeant, Noſter oſtendit. Ad empyreum avertendum inprimis intereſt, acetum a ſale tartari in Balneo Mariæ deſtillando avocare, &, ne nimios ſumtus hic modus poſtulet, commoda furnorum quorundam deſcribit, & iconibus illuſtrat, quibus ſine ſumtibus Balneum Mariæ ſuſtentari queat. Quoniam multum quoque in eo ſitum eſt, ut arcanum ♀ti ſatis ſubtile reddatur, hunc quoque modum explanat. Formula autem genuinum arcanum tartari præparandi eo redit: ℞. Salis tartari bene repurgati, & ſubtilioris reddiți cauſtici, libram dimidiam, aceti vini deſtillati libras tres, vel quatuor, & miſce. Quodſi non effervescant, per aliquot dies in leniori contineantur calore, agitentur interdum, & poſt ex Balneo Mariæ ad ficcitatem usque deſtillentur. Tum denuo tantundem aceti deſtillati affundatur, priorique modo res agatur, & repetatur adhuc affuſio, quoad effervescentia adhuc oritur. Ceſſante vero ea penitus, ſucceſſive quatuor circiter aceti deſtillati libræ affundantur, mitiorique calori commiſſa hæc, per aliquot dies agitentur ſæpius. Ita acetum colorem eleganter rubicundum acquirit. Tinctura hac remota, quatuor denuo libræ aceti affundantur, idque tam diu, quousque color inde mutatur. Acetum hoc, colore rubicundo imbutum, miſceatur, filtretur, atque ex Mariæ Balneo ad ficcitatem usque deſtilletur. Denuo libræ ſex, vel octo, aceti deſtillati affundantur, & in calore tepido præcipue ſimi equini

reponantur. Ita ſubſident aliquæ feces, quæ decantando & filtrando ſeparentur, & acetum ex Mariæ Balneo denuo ad ſiccitatem deſtilletur. Quod hic remanet, ſolvatur in aqua pluviali. Ita digeſtione, vel putrefactione, denuo terra ſubſidet, quæ terra denuo ſeparetur, & tinctura pellucida ad ſiccitatem
II. deſtilletur. Tum affundantur ſelibræ ſpiritus vini rectificati melioris notæ, & aliquamdiu digeſtioni, vel putrefactioni, committantur. Tinctura pellucida denuo a terra ſubſidenti ſeparetur, & deſtilletur usque ad maſſam quandam oleoſam, cui, quoad adhuc calet, ſpiritus vini frigidus affundatur in vitro firmiori Haſſiaco, & bene agitetur. Ita denuo multa ſecedit terra, quæ ſub digeſtione leniori ſubſidet. Tinctura hæc lucida vel ſervetur uſui, vel etiam, abſtracto ſpiritu vini ad ſiccitatem usque, id, quod remanet, in aqua deſtillata gratiori ſolvatur, vel, ſi quis arcanum tartari admodum ſubtile deſideret, maſſa reſidua ex Retorta igne fortiori pro-
Cap. III. pellatur. *Cap. III* modum oſtendit, Sal Tartari ſine magnis ſumtibus, & cum magno compendio, conficiendi, & Balneum quoque Mariæ ſine impenſis adhibendi. Sal Tartari paretur ex folliculis uvarum expreſſis, evocatis prius ex illis laura, vel ſpiritu vini. Ita enim gratis hoc ſal impetratur. Folliculi hi, per 5, vel 6, hebdomades aeri expoſiti, facile coguntur in globos, & hinc magno commodo ad parandum ſpiritum vini, vel alias in furnis chymicis, accendi queunt. Tum ſal fixum e cineribus extrahatur. Lixivium hoc ſine magno temporis dispendio evaporatur ope globulorum ejusmodi incenſorum, qui ad duodecim horas ignem alunt, & ſi Cel. *Wedelii* modus aptandi Balneum Mariæ vocetur in uſum. Cineres relicti itidem teſtis & capellis docimaſticis conficiendis commode impenduntur. Eodem modo alia quoque ſalia fixa, e. g. ex cineribus carbonum faginorum, in furno chymico combuſtorum, prolici poſſunt. Quodſi ſub lixivii iſtius evaporatione cucurbita ollæ ferreæ imponatur, nova ſpecies Balnei Mariæ, nulla opera, nullisque ſumtibus, ſuſtentandi, hinc emergit.

PHILO-

Digitized by Google

PHILOSOPHIA FUNDAMENTALIS, SUIS disciplinis comprehensa, variisque difficilioribus quæstionibus enodandis accommodata. Cui Logicæ præcepta, nervose concinnata, subjunguntur. In usum Auditorii publici & privati. Autore ISRAELE GOTTLIEBIO CANZIO, P. P. O. Sem. Theol. Tub. Ephoro.

Tubingæ, sumtu Berengariano, 1745, 8.
Alph. 1 plag. 21.

Frequens & illustre nomen *Canzii* est in *Actis* nostris. Edidit ipse jam, paucis abhinc annis, Ontologiam æque ac Theologiam naturalem polemicam. Dubiorum nebulas, quibus quædam, eæque nobilissimæ, harum disciplinarum veritates obfuscari solent, indidem suscepit dissipandas. Formis quoque publicis describendam curavit Ontologiam dogmaticam, cujus syllogistica analysis tironibus ad ejusmodi studium condocefaciendis apprime accommodata est. Nunc vero Philosophiam omnem, quæ fundamenti loco esse debet philosophaturis, exhibet, suis comitatam stipatamque disciplinis. Nulla facile agitari solet quæstio gravior, quam hic haud reperias extricatam ac decisam brevissimis. Expendit solvitque controversias, de rationis in Theologia pretio ac usu coortas. Qui *vera & cognita omnium prima*, *Poireti* adversus *Pungelerum* opus posthumum, legit, ubi *de origine possibilium* controversia, quantocunque fieri potuit, acumine ad summum usque fastigium disceptatur, is hinc nec jejunus, nec parum satur, dimittitur. Quis laudabilis notandusve sit eclecticus, vel sectarius, hic solide edisseritur. Confusas Scholasticorum de *ente rationis ratiocinantis & ratiocinatæ* ideas Noster dilucide & nervose explanavit. An affectionum necessariarum, an contingentium, numero veniant libera Dei decreta, quæstio est, quæ Scholasticos misere cruciavit. Multum in eam rem, non multa, disputavit idem. Comprobavit contra Cl. *Schaubium* amplitudinem principii sufficientis dimidium exsortem, quæ

quæ cuivis caſui poteſt applicari. Subtilis eſt de vacuo controverſia, quæ in phyſicis momentum trahit. Eam vero non
Pag. 65. attigit ipſe, ſed enucleavit. Propoſuit inſimul dubium unum, idque breviſſimum, ad quod ſi antagoniſtæ reſponderint, ipſe ſententiam mutabit. Ea eſt promiſſionum ejus ſumma. *Sam. Clarkii* monita, in contrarium allata, dubio huic ſolvendo hactenus ſunt inhabilia. Ipſe aut nihil, aut veram ſubſtantiæ notionem, expoſuit, docens, eam eſſe *eſſentiam exiſtentem*. De
93. immortalitate corporis protoplaſtorum multis exercuerunt alios
91. vitilitigationibus Sociniani. Has Noſter diſpexit & reſecuit, ratus, ea quidem in ſua compoſitione ſpeciali rationem interitus habuiſſe, non vero erupturi in actum, quamdiu protoplaſti remedia præſcripta adhibebant. Præſentia, hoc judice, eſt reſpectus unius entis ad aliud, quo ſuam alteri exiſtentiam ſine longa præparatione teſtatam reddere poteſt. De ſubſtantiarum actione in ſe mutua nemo ante ipſum expoſuit generatim. Inſervit hæc generalis evolutio componendæ controverſiæ ſpe-
99. cialiori, quæ de commercio animæ & corporis agitatur. Proſtat quoque hæc Autoris tractatio ſeparatim, peculiari Acade-
104. mico ſtudio opera ejusdem expenſa. Doctrinam de *completo & incompleto*, ex veterum mente decerptam, cum recentiorum placitis facile conciliavit. In pnevmaticis ac doctrina de ſubſiſtentia, in Chriſto, iſthæc doctrina locum ſibi vindicat. Confinia Theologiæ naturalis cum Chriſtianorum Theologia cu-
122. rate indicavit. Uſum illius in eo figit, ut hominem ipſe reddat amplectendæ religionis Chriſtianæ dociliorem, deinceps vero & inexcuſabilem, ſi ipſe naturali Theologiæ, ac Chriſtianæ eumprimis, fidem detrectet. Quomodo ab eſſentia Dei at-
136. tributa differant, perſpicue planeque tradidit. Arminiani de æternitate minus ſolide ſentiunt. Hiſce notiones diſtinctas obmbit diſpiciendas. Nam exiſtentia ſucceſſiva eſt, in qua aliquid incipit, aliquid definit. At vero æternitati, quippe quæ non eſt contingens quidpiam, repugnat finis & initium. Ergo æternitas non eſt exiſtentia ſucceſſiva. Qui in Deo voluntatem antecedentem & conſequentem negant, integris cum Cel. *Hottingero* eam libris non impugnaſſent, ſi ipſi explicatus

utrius-

Digitized by Google

utriusque tenuissent notiones. Voluntas enim antecedens ver- Pag. 164.
satur circa bonum possibile omne, quatenus est possibile; consequens vero sub alia scheſi occupatur circa totum objectum, nempe quatenus omne bonum est compossibile. Servat hæc distinctio in utraque voluntate omnem objecti complexum, ideoque infinitatis divinæ honorem tuetur. Quis enim inficiari ausit, Deum omne bonum possibile, qua possibile, velle? Certe non potest non illud velle. Fundamentum modi, quo res omnes, eæque contingentes, præsciri possint, Philosophos exercet. Id hic fuit haud neglectum, clare potius recluſum.
En hæc breviora: Fundamentum præscibilitatis formale est 149.
ipsa infinita Dei scientia, sine qua cogitari scibile non potest. Nam sine scientia nihil est sciri aptum. Fundamentum præscibilitatis objectivum est illa ipsa ratio, quam possibile in se habet, quæque possibilis rei electionem respectu existentiæ suadet. Omittimus reliqua. Dubia *Poiretus* figuravit adversus eos, qui, Deum, putant, gloriæ invitamentis motum, creasse rerum universitatem. Solvit ea Noster solide, docens, glori- 153.
am Dei esse patefactionem divinarum perfectionum. Num vero Deus eas ignorare, vel supprimere, potest? De jure imputandi consequentias ita in utramque partem philosophatus est Noster, ut modum finesque statuerit, intra quos illud jus consistit. Secernit ipse prudenter errorem doctrinæ ab errore 236.
personæ. De nexu rerum universali nostra ætate magnopere fuit pugnatum. Solide sobrieque eum Noster dedit evolutum. 238.
Perspicitur ex hisce speciminibus usus libri haud exiguus. Logicæ præcepta Cel. Autor ex præstantissimorum variæ ætatis scriptorum penu desumsit, suis passim meditationibus interspersis. Quæ tironibus non admodum prima statim fronte videbuntur necessaria, stellula notavit. Qui nervosas rerum difficiliorum tractationes amant, nec ubique scripturam *Ciceronis* venantur, eis hæ dapes omnino erunt ad palatum. Multa vero Philosophiæ argumenta sic sunt comparata, ut ea elegantiori & diducta oratione explicari vix possint, siquidem veteres Autores classici ea nec attigerunt, nec perspexerunt, quæ in recentiorum Philosophia paginam faciunt utramque.

SYSTEMA METAPHYSICUM ANTIQUIorum atque recentiorum, item propria dogmata & hypotheſes exhibens. Autore JO. PETRO REUSCHIO, Philoſ. Prof. Editio altera.

Jenæ, ſumtibus viduæ Crœckerianæ, 1743, 8.
Alph. 4 plag. 7.

Metaphyſica eam noſtris temporibus induit faciem, ut veritates utiliſſimas graviſſimasque complectatur, fundamenta quippe toti reliquæ cognitioni ſubſternens. Ill. Duumviri *G. G. de Leibniz* & *Chriſtianus Wolfius* multa traduxerunt ex obſcuritate in lucem, ac Metaphyſicæ inſtauratores ſe præbuerunt. Tractationem Noſter in Prolegomena, Ontologiam, Pſychologiam empiricam, Coſmologiam, Pſychologiam rationalem, Theologiam naturalem, ac Appendicem hypotheticam de ſpiritibus, diviſit. *Ontologiam* Ill. *Wolfii* Vir Celeb. contraxit Latinam, atque illis auxit notionibus, quæ in facultatibus, quas vocant, ſuperioribus ſua utilitate ſe commendant. Neminem novit, qui ea, quæ per experientiam *de anima* innotuerunt, accuratius Ill. *Wolfio* ſit perſecutus. Adjunxit tamen paſſim *terminos* novos, ab aliis frequentatos, nec non alios *terminorum ſignificatus*, ut reliquorum quoque ſcriptis intelligendis conſuleret. *Coſmologiam metaphyſicam* latius, quam *Wolfius*, qui hujus ſcientiæ eſt conditor, diduxit, ut non ſolum mutationes, ſed etiam mutationum leges ac rationes generales, in mundo tam corporeo, quam non corporeo, dilucide doceret. Ille enim potiſſimum ad mutationes mundi materialis reſpexit. In determinatione mutationum declaranda, quam ſibi invicem præſtant ſimplicia, & hæc compoſitis ſuppeditant, aut compoſita ſibi invicem, itemque ſimplicibus, præſtant, ſuas tradidit conjecturas, atque eas ex analogia principii adhæſionis & cohæſionis *Hambergeriani* leges propoſuit, quæ veram ſimplicis ſubſtantiæ actionem in ſimplicem aliam, itemque ſimplicis in corpus, & corporis in ſimplicem ſubſtantiam, ſtabilirent. Iſthæc decla-

declarari posse ulterius, fatetur, promittens, hæc ab ipso majorem acceptura esse lucem. In *Psychologia naturali* omisisset ipse nonnihil, nisi in scriptionis aditu sibi scripta Ill. *Wolfii* metaphysica Latina proposuisset sequenda, ac, ea in compendium redigere, suarum duxisset esse partium. *Systema harmoniæ præstabilitæ* nunquam se ipsi potuit probare. Illud tamen clare perspicueque recensuit, ratus, ei, qui illud sequitur, nec damnum, nec heterodoxiam, impingi debere. Systema *Leibnitianum* ac *Wolfianum* harmoniæ præstabilitæ esse superstructum, merito negat contra Grammaticos. *Theologiam naturalem* uberius tractandam censuit. Id præcipue laboravit, ut veritatibus antiquis lucem affunderet recentiorum. Tandem historice Pnevmaticam edisseruit hypotheticam, ac conjecturas suas de operationibus spirituum in mundo, statibusque illorum variis, explicavit. Hypothesium inibi non defendit veritatem. Liberam cuique relinquit aut earum impugnationem, aut refutationem, aut meliorem substitutionem. Dandum scilicet in his enarrandis aliquid erat consuetudini. In Prolegomenis Cel. Autor de usu, historia, ac fatis, Metaphysicæ succincte exponit. Quid in *Aristotelis* ac Scholasticorum cogitatis metaphysicis requirat, demonstrat. Contemtum, quo Metaphysica infestatur, amoliri studet. *Jo. Christian. Langium*, *Wenceel. Schilliugium*, ac alios, in deridiculum elementa metaphysica vertentes, notat. Ontologiam naturalem ad artificialem, præeunte Ill. *Wolfio*, evehit. Contradictionis naturam & distinctiones evolvit. De nihilo agit enucleate. *Caput nonum* Theologiæ naturalis modum, quo voluntas Dei cognoscitur, declarat. Criteria revelationis veræ ibi recenset. Hæc in eo consistere docet. Revelatio vera 1) tradit ea, quæ sunt supra rationem; 2) adminicula beatitudinis continet; 3) conformitatem cum ratione servat; 4) ea, quæ divinitus sunt scriptoribus inspirata, complectitur; 5) contradicit nec sibi, nec aliis veritatibus; 6) veritates morales in rigore docet; 7) medium gratiæ divinæ conciliandæ patefacit; 8) ex ingenio stiloque virorum θεοπνεύστων aliquid trahit; 9) non prodit ex vi animæ naturali. Simplicitatem essentiæ divinæ haud

obſtare Trinitati, ſolide oſtendit. Spatium extra res poni poſſe aliquod præter imaginarium, negat. Syſtema influxus phy-
Pag. 556. ſici amplectitur. Syſtema cauſarum occaſionalium jugulat &
553. tollit. De Syſtemate harmoniæ præſtabilitæ ſic ſentit: *Quanquam nec hominum libertas, nec providentia Dei contra malum, per ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ in periculum adducatur; illud tamen mihi nondum probabile videtur. Quoniam* 1) *mutationum leges in univerſo negligit, atque actionem ſubſtantiæ ſimplicis in ſimplex atque compoſitum, & vice verſa hujus in illam, tollit, quæ tamen & fieri poteſt, & neceſſaria eſt, ſi ulla actio creaturæ in creaturam, ipſaque corporis exiſtentia, ſalva eſſe debeat;* 2) *ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ poſito, omnium corporum exiſtentia videatur ſupervacua, adeoque ſapientiæ divinæ adverſa, utpote quæ nihil eligit fruſtra; nam in Theologia naturali demonſtratur, quod ultimus entium finitorum & creationis finis ſit illuſtratio gloriæ divinæ.* Propagari animas per traducem, inficiatur, adjungens ſeſe Creatianis. Traduciani enim materialismum animæ amplecti debent. Creari animas, tradiderunt *Hieronymus, Auguſtinus, Gregor. Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus,* Scholaſtici, ac eorum princeps *Lombardus, Georg. Calixtus, Zeiſoldus, Hacſpanius, Zeidlerus. Tertullianus,* materialiſta primus, fere egit Tradu-
567. cianum. Recenſet Noſter *Wolfianam* de origine & propaga-
tione animarum opinionem. Medium dari inter nihilum &
569. non-nihilum, negat, ac inde Traducianiſmum evertit. Immortalitatem animæ firmis argumentis imponit. Animas bru-
608. torum propius diſpicit, ac commentatione illuſtrat. Diſquiſitionem argumentorum, quibus exiſtentia Dei continetur, pronuntiat & licitam, & utilem. Controverſiam de eſſentia
611. Dei eſſe philoſophicam, docet. Eſſentiam Dei fundari in vi ejus repræſentativa, tradiderunt jam *Albertinus, Valentia, Pererius, Arriaga,* teſte *Joanne Wolfgango Jægero* in *Theologia naturali Cap. 2 pag. 23 ſeq.* Succeſſionem dari in æternita-
621. te Dei, merito negat. Suam facit illam ſententiam: *Deus in qualibet parte totum mundum cognoſcit.* Immenſitatem intel-
641. lectus Dei magnifice prorſus ediſſerit. Infinitum eſſe *mundo-*

rum

Digitized by Google

rum possibilium numerum, ostendit. *Præscientiam* omnem Deo vindicat. *Sanctitas Dei*, ex ipsius judicio, est possessio Pag. 673.
omnium perfectionum cum exclusione, seu sine mixtura, imperfectionis. Deo tribuit seriam intensissimamque voluntatem, ac summum desiderium, eo tendens, ut substantiæ rationales, quæ peccare queant in felicitatem ipsorum, deserant istas infelicitatis illecebras, atque ad felicitatis adminicula reducantur. Li- 681.
bertatem Deo vindicat. Quænam momenta falso ad libertatem Dei referantur, ostendit. Dei voluntatem sequi rationes objectivas, demonstrat. Justitiam exponit per benignitatem, cum sapientia administratam. Pœnam damni ac sensus 689.
declarat & illustrat. Finem internum pœnarum per satisfactionem justitiæ præstandam definit. Varias voluntatis divinæ 699.
divisiones Cel. Autor solide evolvit ac evincit. Vim infinitam creationi haud sufficere, arbitratur. Mundum esse potuisse 743.
æternum, solide negat, largitus tamen, Deo fuisse ab æterno potentiam creandi mundum. Actionem in distans dari, inficiatur, simulque omnipræsentiam Dei succincte exponit. 755.
Doctrinam de origine & permissione mali distincte exhibet, ac 761.
plane evolvit. Nec omittit disserere de statu integritatis, seu innocentiæ, de lapsu in peccatum primum, de confirmatione in bono, de labe insita, de induratione ac damnatione sempiterna, quam cum infinita Dei benignitate conciliat. 772.
Mundum, sponte sua consentientem legibus Dei, esse absolute optimum, monstrat, licet addat, mundum, sponte sua 789.
ab eis deflectentem, non esse optimum absolute. *Capite decimo* de religione, atheismo, & superstitione, exponit. In Pneumatica hypothetica, quæ Appendicis locum occupat, disserit de corpusculis spirituum finitorum constantibus, de eorum statu, ac loco, de sermone animarum separatarum, de metempsychosi, de cognitione mentium finitarum, de salutatione, moribundis ad defunctos demandata, de apparitionibus 972.
angelorum, de spectris, de somniis, de succubis & incubis, de fascinationibus, de pactis cum satana & tacitis, & expressis, de obsessionibus, earumque signis, de vaticiniis, ostentis, monstris, prodigiis, portentis, spectris, præsagiis, ominibus,

Digitized by Google

aliisque connexis argumentis. Qui ſolidam amant Theologiam, eis præcipue hoc opus erit accommodatiſſimum.

CINCQ DIALOGUES A L' IMITATION DES ANCIENS, etc.

id eſt,

QUINQUE DIALOGI, FACTI AD IMITATIONEM veterum per HORATIUM TUBERONEM, 1) de Philoſophia ſceptica, 2) de convivio ſceptico, 3) de vita privata, 4) de raris et eminentibus virtutibus aſinorum hujus temporis, ac 5) de diverſitate religionum. Editio nova, aucta Philoſophiæ ſcepticæ confutationibus, ſeu remedio adverſus Pyrrhonismum, per L. M. KAHLIUM.

Berolini, apud Ambroſium Haude, 1744, 8.

Alph. 1.

Dialogos iſtos quinque A. 1671 Montibus in Hannonia edidit *Franciſcus de la Mothe le Vayer*, *Pyrrhoniorum* recentis ætatis coryphæus. Subtiliſſimum fuit in eo ingenium, ac eruditionis eximia amplitudo. Quam ob cauſam *Plutarchus* & *Seneca* temporis ſui exſtitit. Recudendos curavit hoſce Dialogos Cel. Autor, ut miſceret dulce utili, & refutationem Philoſophiæ *Pyrrhonianæ* in loco apto exhiberet. Scepticismus eſt vel particularis, vel univerſalis, isque vel tantum philoſophicus, vel ſimul theologicus. Theologici ſpecimina *Vayerius* haud dedit; *Petro Baylio* potius fatum inclementius ea reſervaverat. Univerſalis ſcepticismus imago eſt *Ismaelis*

Pag. 13. *Gen. XVI, 12.* Scepticus vero dubitat de re quacunque, ſibique videtur, nihil certo ſciri, ſcire. Dum dubitat, ipſe exiſtit & agit. Finge, me falli ſic ratiocinando. Largiere nihilo minus, eum exiſtere, qui ſeſe fallit. Is enim, qui dubitat, ac ſe decipit, *exiſtit* dubitans & fallens. Exiſtit igitur. Qui dubitat, res varias invicem comparat. Largitur proinde, aliquid extra ſe exiſtere, & res varias varie diſcrepare. Admit-

15. tit idem, dari ideas, easque diverſas, diverſisque affectionibus fœcundas. Homines ipſi inter ſe differunt ratione ætatis ac tempo-

temporis. Diverſæ ſunt itaque res, quæ ideis gignendis materiam ſubminiſtrant. Imaginatio ponit, dari poſſibilia. Exiſtere quædam poſſibilia, pateſcit ex eis, quæ demonſtravimus. Quæ exiſtunt, notis conſtant nonnullis, quibus invicem poſſint dignoſci. Dantur igitur individua, ſpecies, genera, pro- Pag. 19.
uti res inter ſeſe vel differunt, vel conveniunt. *Pyrrhoniani* accuſant imperfectiones ſenſuum, & eorum fallacias ac errores. At differt judicii natura a ſenſionibus. Dantur regulæ de ſenſuum directione & uſu. Falſum eſt, ſingulorum ſenſiones na- 22.
tura ipſa differre. Qui regulas ſequuntur communes, quibus ſenſiones diriguntur, re ipſa hanc opinionem evertunt. Senſionum indoles regulis mechanicis phyſicisque eſt conſentanea. Sceptici ipſi largiuntur ſenſiones quasdam rectas, quarum ope reliquas notant, vel falſi convincere conantur. Ipſi haud negant, dari in nobis aliquid, quod ſentit, & ſenſionis ſibi eſt conſcium. Norunt ipſi, dolorem a nobis ſubſtitui haud poſſe voluptati, nec voluptatem dolori. Comparant igi- 26.
tur ſenſiones conſentaneas, ac diſſociant ideas minus conſentaneas. Nec ipſi norunt artem, qua triangulum in idea ſeſe repræſentare debeat ſub quadrati forma. Admittunt ipſi proinde notiones diſtinctas & claras. Quam ob caulam nota erroris ad veritatem accommodari nequit. Num ipſi ſpeculum habent pro machina, & ſimul, id ita eſſe, negant? Hominem cognitionum certarum eſſe capacem, concedunt. At cogni- 29.
tio certa eſt, quæ clare ac diſtincte complexum ac vincula idearum introſpicit. Et cur Sceptici ſibi invicem reclamant ipſi, ſi nihil præſto eſt in cognitione noſtra, quod *dogmaticum* poſſit appellari? Cur de veritatibus abſolutis conveniunt inter ſeſe paſſim? Debebant ipſi perpetuo ad utrumque eſſe ambigui, & æque propendentes, vel pari lance aſſenſum retinentes. Ipſi certe ad felicitatem generis humani Scepticiſmo 34.
ſuo nihil afferunt, nihil conferunt. Dum effugere volunt incerta & falſa, ipſi incertis omnibus velut fluctibus huc illuc feruntur, tempeſtatesque ſubeunt ſine remo, velo, malo. Incidunt in Scyllam, Charybdim evitaturi. Cur ipſis haud æque optabile videtur, nares amputare, oculos eruere, pedes præcidere?

cidere? Admittuntne, dum id facere reformidant, partem dogmatis, quo iubemur noſmet conſervare? Poſtulant ipſi, ut Dogmatici pronuntiata ſingula rationibus inſtruant & muniant, dum ipſi privilegium affectant, rationibus omnibus allatis inſultandi. Jus prorſus inæquale & affectatum injuſte! Num negare audent, totum majus eſſe qualibet ſui parte? Vere *Lactantius de falſa ſapientia III, 6, pag. 285: Alii putaverunt, ſciri poſſe omnia. Hi ſapientes utique non fuerunt. Alii nihil. Ne hi quidem ſapientes fuerunt. Illi, quia plus homini dederunt; hi, quia minus. Utrisque in utramque partem modus defuit.*

Pag. 41.

DEMONSTRATIONES PHILOSOPHICÆ de exiſtentia corporum angelicorum, nonnullisque momentis, ad ea pertinentibus, per CAROL. FRIDER. GOEDE.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Carol. Herm. Hemmerde, 1744, 4.

Plag. 8.

Mundum, ejusque partes, quibus annumerandi quoque ſunt angeli, eſſe finitum & mutabile quiddam, largiuntur omnes. Conſtat æque, mutata ſerie partium mundi, quæ ſimul exiſtunt, & ſibi mutuo ſuccedunt, ſingulorum mutari poſitum, atque exinde determinationes omnium ſuccedentes ex relatione determinata, qua conjunguntur cum aliis, cognoſci poſſe. Spiritus eſt ſubſtantia, ad intelligendum res multas apta. Spirituum finitorum dari claſſes pro minori majorique perfectione, docet contemplatio ſapientiæ divinæ. Eos eſſe habiles & capaces ad nonnihil intelligendum, pateſcit ex definitione & exemplis, tum Biblicis, tum profanis. Angeli agathodæmones vivunt in aula Dei, eisque ineſt præter perfectionem eſſentialem, & naturalem, moralis major. Dari cacodæmonas, ex doctrinis, per manus propagatis, & literis ſacris, innoteſcit. Ipſi agunt extra aulam Dei in exilio. Finitudo angelorum in cauſa eſt, cur ipſi mutationibus ſint obnoxii. Addit Vir Cl. hoc theorema coſmologicum: *Ex quali-*

8.

27.

30.

qualibet mutatione in angelo obvia reliquæ universi mutationes cognosci possunt omnes ac singulæ. Comprehenditur illud ex nexu mundi semel stabilito. Adjungit aliud: *Angelus est vis repræsentativa integri universi pro positu.* Adjicit demonstra- Pag. 33.
tionem dogmatis *Leibnitiani*, quod, monadas finitas esse *specula universi*, dictitat. Angelum sibi quædam distincte, multa confuse & clare, plurima obscure, repræsentare, contendit. Monadas universi in angelum influere, & angelum in monadas, 37.
passione ideali, ostendit. Vacuum dari, negat apodictice. Contactum exponit per actionem, quam res in se mutuo præ- 47.
sentissime exserunt, eumque corporibus spiritibusque communem esse, tradit. Addit, angelum a sensionibus unius 51.
generis transire haud posse ad sensiones generis diversi, nisi sensationis interventu; angelum cogitare non posse, nisi per schema; quod in sensionibus suis sequatur; materiale schema statum angeli tam internum, quam externum, quovis momento mutare; mutationes schematis fieri per motum, & ejus schema- 60.
tis mutari locum, ac proinde illud esse corpus. Inde tandem colligit, angelo cuivis esse corpus organicum, quod pro suo agnoscat. Sententiam hanc dudum pro vera reputarunt 66.
Plato, Judæorum magistri, *Jamblichus*, Patres bene multi ac ecclesiæ doctores usque ad *Innocentii III* decretum. Resuscitarunt eam *Leibnitius*, *Canzius*, *Reuschius*, Ill. *Bülfingerus*, & *Alex. Gottl. Baumgarten*, aliique. Contendit deinde 69.
Autor, mentem angeli cum corpore suo organico conjunctam esse beneficio harmoniæ præstabilitæ, quam ab eodem Cel. *Baumgartenio* in *Metaphysica*, & Cl. *Meiero im Beweis der vorherbestimten Harmonie*, ad liquidum deductam esse existimat. In corpore humano contingit, ut accedant partes novæ, & superveniant avolantibus corpusculis. Autor autem 73.
angelis attribuit corpus constans, in quo nulla sit partium successio, vel vicissitudo. Ut hoc obtineat, demonstratione utitur apogogica, quæ apud ipsum est videnda. Addit, angelis esse αἰσθητήρια, id est, partes corporis organici, quarum 76.
motui convenienti sensatio externa coexistit. Inde colligit, eos gaudere sphæra & puncto sensationis, corpusque eorum

esse subtilissimum, nec tamen ex planeta quodam desumtum,
Pag. 86. nec catastrophis, a morte orientibus, destrui aptum. Attribuit eis facultatem scientiæ characteristicæ & loquendi. En alia: *Angelus corpus suum, quippe quod est subtilissimum, celerrime movere potest. Ergo magnum habet corpus ejus conatum, minusque a vi resistente retardatur. Ergo fieri potest, ut angelus dato breviori tempore admodum magna penetrare possit spatia, & ex uno universi angulo velocissime in alterum transire.* 88. *Nec ideo inficiandum est, fieri non posse, ut angeli corpus suum modo celerius expandant, modo contrahant, & inde volumen ejus & gravitatem specificam mutare possint.* Ostendit deinde, fieri posse, ut angeli, figuram humanam referentes, hominibus appareant, ut somnia nobis immittant, ut sensiones ac imaginationes pro capacitate corporis nostri in animis nostris, immo cogitationes, producant, ac animas & corpora 91. hominum obsessa teneant. Ostendit, angelis, quippe rebus creatis, speciem cultus religiosi haud esse ullam exhibendam. Largitur vero, nostrum esse, 1) cum angelis bonis consentire, 2) eos honorare, & 3) certo modo amare. Obsessiones, quibus cacodæmones corpora hominum constrinxisse 97. traduntur, annumerat *unioni accidentali.* Nec negat, dari posse pactum, cum diabolo ab homine initum. Operari ipsum posse in corpus immediate, in animam hominis mediate, pronuntiat. Ostendit, qua ratione obsessiones illæ fieri queant. 100. Addit: *Poterit diabolus vires mortuas humani corporis animare, & cum motu conjungere, ideoque vires hominis motrices mirum in modum augere, ac tale robur in singulis partibus corporis producere, quale per naturam hominis determinatam actuari nequit. Ergo poterit diabolus interventu corporis sui fibrillas cerebri fluidumque nerveum turbare, ac eapropter organa sensoria impedire, quo minus vel plane non, vel modo non conve-* 105. *nienti, moveantur.* Studendum igitur sanitati animæ corporisque, ne nobis insit facultas recipiendi hasce diaboli destinationes. Addidit tandem Cl. Autor nonnihil de vi, qua satanas præstigia & spectra potest efficere. Hæc est universæ tractationis summa, certe pronuntiatis, quæ de angelis in sacris literis traduntur, sat congruentis.

HARMO-

Digitized by Google

HARMONIA SYSTEMATIS DE HODIERNA animarum creatione cum creatoris ſanctitate & P. O. propagatione. Opus ex Theologia Apoſtolica de concupiſcentia externi hominis, corporis, carnis, membrorum, etc. potiſſime exſtructum, ad fidei analogiam & Philoſophiæ placita revocatum, & a potioribus telis Traducianorum præmunitum, jam vero placidæ & cordatæ doctiorum cenſuræ publice expoſitum, a JO. FRID. BEHRENDT, Gymnaſ. Berol. Conr.

Berolini, apud Ambroſium Haude, 1744, 8.
Plag. 5.

Elegis Latinis Viro S. Ven. *Michaeli Robloſio*, S. S. Theolog. Doctori, hanc opellam Cl. Autor conſecravit, quam bipartito diviſit. *Sectione priori* de ortu animæ expoſuit; *poſteriori* ad modum, quo labes, inſita generi humano, ad poſteros propagatur, attentionem appellit. Animam eſſe monada, ſeu ens ſimplex, ſubſtantiamque finitam, ab elementis corporum diverſam, tradit. Originem ejus deducit ex creatione a ſolo Deo. Originem ejus, ex traduce arceſſi ſolitam, vocat notionem deceptricem, eamque genuinis Philoſophis minus probari, arbitratur. In numero eorum, qui, animas hominum ſimul in protoplaſtis creatas eſſe, putant, nomen ſuum haud profitetur, ratus, eas in dies adhuc creari. Qua ratione hanc ſententiam cum quantitate virium motricium eadem in mundo ſervari ſolita conciliaturus ſit, ipſe procul dubio omnium optime intelligit. Si creatio eſt miraculum, miraculis in dies Cl. Vir orbem univerſum replet. *Sectio poſterior* eſt copioſius evoluta. Conſtat ea *Capitibus tribus. Primum* de parte privativa peccati originalis, *ſecundum* de concupiſcentia, parte poſitiva P. O. ſedem ſuam in temperamento corporis corrupti habente, *tertium* de vindiciis, vel etiam commodis præcipuis, hypotheſeos allatæ inſcriptum eſt. De Cel. *Carpovii Theologia revelata* ita judicat: *Carpovii Syſtema* Pag. 8. 9.

in ſiſtendo nexu theologicarum veritatum orbi, ſolidæ, rationalis, & diſtinctæ, *cognitionis amanti, otium fecit lepidiſſimum.* Qualis hoc loco voculæ *lepidiſſimi* ſit ſignificatus, ignoramus admodum. Id certum eſt, Cl. Virum *Carpovio* multa hic debere. Imaginem Dei proprie ſic dictam ineſſe corpori hu-
Pag. 13. mano, negat, hæc addens: *Eſt tamen veſtigii ſimilitudo in eo, quia vires artuum & organorum ceterorum per modum effectus repræſentant vim cauſæ ſuæ.* Orbis univerſus eſt ſpeculum perfectionum Dei. Quidni itaque fatemur, res creatas ſingulas præ ſe ferre hieroglyphicam Dei imaginem? Imago Dei, abſtractive ſumta, eſt vel phyſica, eaque ſecundaria, vel moralis, eaque primaria. Illa conſtat perfectionibus, quæ homini ita inſunt, ut ſine eis eſſentiam hominis tueri haud poſſit.
15. Hæc itaque fuit amiſſa, non illa. Imaginem Dei primariam *Adamo* collatam fuiſſe non ut perſonale beneficium, ſed ut commune donum, poſteritati *Adamiticæ* ſub conditione obedientiæ perfectæ impertitum, Noſter docet. Addit labis, ad poſteros *Adami* transmiſſæ, faciem & privationis reſpectu, & concupiſcentiæ ratione. Monet, animas, labe illa jam in genus humanum invecta, creari adhuc ad ſecundariam Dei imaginem, ſiquidem Deus ad imaginem primariam animæ concreandam haud amplius ſit obſtrictus, fœdere primo turbato ac ſublato. At qua ratione mentes humanæ, quæ divinitus creantur, poſſunt eſſe impuræ, damnationi ſempiternæ obnoxiæ, Deo rebelles? Noſter ita ſubducit rationes ſuas. Repetere ejus pronuntiata potiora juvat. En illa: *Deus non eſt cauſa P. O. in anima, quod ad ipſam partem privativam attinet. Deus non eſt cauſa P. O. in anima, quod ad conſectaria immediata privativæ partis, ſcil. errorem, δυσβελίαν - - - attinet. Deus non eſt cauſa P O. in anima, quod ipſiſſimam partem poſitivam attinet, id eſt, Deus in anima δεοντίζω non creat concupiſcentiam originalem.* At undenam anima hujus concupiſcentiæ ſit particeps? Reſpondet Autor: *Ex carnali generatione & propagatione, non quidem immediate, ſed mediante corporis ſui temperamento, per Adami lapſum contagioſum corruptiſſimo.* Si vero animæ vires ſuppeterent ſuperiores

riores inertia corporis, id temperamenti corporei virus animam nec afficeret admodum, nec vinceret. Nec tamen videmus rationem, cur machinæ tribuamus peccati semina & radicem. Corpora moralibus vacant affectionibus, virtutibus, vitiis, nec iteratis sexcentis motibus unicam producunt virtutem. Noster: *Quatenus concupiscentia est privativi principii, ejus principium est anima, terminus vero corpus; quatenus est positivi principii, ejus principium est corpus, terminus anima. Priori respectu se demum cum usu rationis exserit; posteriori in anima se exserit, quamprimum corpori jungitur.* Id ut illustrius reddat, recipit se ad voces יצר *Gen. VIII, 21,* σὰρξ *Rom. VII, 17, membra, 22, 23, 24,* ad appositionem *hominis interioris* ac *exterioris 2 Cor. IV, 16,* ad *Φρόνημα τῆς σαρκὸς Rom. VIII, 6, 7,* ad ea vitia, quæ dicuntur *corde egredi, Matth. XV, 19.* Pontificii quidam doctores, *Andradius* & *Cornelius, concupiscentiam* æque in temperamento corporis collocarunt, simul tamen credidere, hoc temperamentum esse incorruptum, peccatique expers, opus quippe Dei. Pag. 42.

Id inficiari haud audemus, a temperamento corporis pendere idearum materialium in cerebro indolem ac habitudinem. At vero idearum materialium illa actio, cessatio, fit mechanice, ideoque per sese nec ad peccatum referri potest. Addit Noster: *Anima in sensationibus nullam habet libertatem, qua talibus.* Ergo ne sic quidem moralitati fit locus. Quæ enim mechanice fiunt & inevitabiliter, ea an imputationem secum vehant, dilucide est exponendum. Pergit ipse: *Temperamentum ergo parit appetitiones & aversationes sensitivas.* 45. Omittimus reliqua in præsens, Lectores ad librum ipsum remittentes.

Schriftmäßige Gedancken von der allgemeinen Jüden-Bekehrung und dem tausendjährigen Reich, ꝛc.

hoc est,

JOANNIS ERNESTI SCHUBERTI COGITATA, sacris literis consentanea, de universali Judæorum conversione, & regno chiliastico.

Digitized by Google

Jenæ, apud Jo. Adam. Melchiorem, 1742, 4.

Plag. 17½.

Sunt, qui deſiderio quodam imaginario ſententiis quibusdam valde inardeſcant, qui expetant & optent, eas veritati conſentaneas eſſe, vel videri. Horum in caſtris ii etiam, Cl. Autore monente, militant, qui maximam plurimorum Judæorum ad Jeſum aggregationem, & adſpectabile Jeſu regnum, mille annis gaudiisque delicioſis conſtans, idque ultima & univerſali reſurrectione prius, conceptis votis amplectuntur, ac e ſacris literis demonſtrare ſtudent. Et quis tam eſt ferreus, qui amplificationem regni Jeſu limis invidisque oculis averſari auſit? Cum vero facies & fatum hujus regni ab optatis noſtris haud pendeat, nec voluptuoſo miſericordiæ & ſplendoris affectu & deſiderio noſtro metiri fas ſit; cauſæ tandem cardo vertitur in eo, an Deus eam eccleſiæ ſuæ, in terris verſanti, felicitatem promiſerit; & an ſententiæ ſacri Codicis illæ ad amuſſim veritatis exponantur, in quibus nonnulli promiſſiones illas ſibi videntur vidiſſe ac detexiſſe. Diſſentiunt in hoc momento Theologi, ac in utraque parte conſiſtunt viri, quos nec excordes, nec penitus cœcos, nec a Jeſu averſos, ad unum omnes ſolide dixeris. Aliter tamen de ſpe converſionis Judæorum ad Jeſum, aliter de Chiliaſmo, ſpecie regni gloriæ in terris ante univerſalem reſurrectionem mortalium, ſentiendum eſt. Licet enim *Thomas Burnetus* utrique doctrinæ faverit; Theologi tamen noſtri, ſi Ven. *Joachimum Langium*, paucosque ejus hyperaſpiſtas, exceperis, Chiliasmum illum averſantur, addunt-que, eum in Auguſtana Confeſſione jam eſſe improbatum, nec cum œconomia regni gratiæ, nec cum perlucidiſſimis Codicis ſacri locis, conciliari poſſe. Moderationem & judicii æquitatem Vir Clariſſ. ubique in pretio habuit, ac Duumvirorum, *Thomæ Burneti* ac *Joachimi Langii*, argumenta ſolicite candideque exhibuit, eisque id haud confici, quod uterque contenderat comprobare, oſtendere laborat. Id vero optandum eſt, ut exſtet ſacrorum vatum V. T. e fontibus & accentibus depromta metaphraſis, qualem S. Rev. *Chriſtianus Fridericus*

dericus Bauerus in *Joelem* adornavit. Multæ enim ſententiæ paſſim vel omnino nullatenus, vel modo nonnihil diſcrepante, in vatibus V. T. leguntur, in quibus Theologi hactenus acquieſcunt. Præmiſit Cl. Autor priori problemati commemorationem de Judæorum fatis, ab *Abrahamo* exorſus, & in cauſis ultimi eorum exilii ſubſiſtens. Tum ad quæſtionem ipſam ſeſe accingit enodandam, ſimulque negat, magnam & fere univerſalem aggregationem Judæorum ad Jeſum eodem fere, eoque inſtante, temporis ſpatio ſolide ſperari poſſe. Ut id ipſum argumentando evincat, *Thomæ Burneti* adminicula & rationum præſidia recenſet, ac pro viribus enervat. Primor- Pag. 17.
dium capit a locis *Jeſaiæ II, 4, IV, 4, 5, XI, 1—13, XXVII, 12, 13, XXIX, 22, 23, XXXII, 18, 19, 20, XXXIV, 35, XLIX, 14, 15, 16, LI, 3, 11, 21, 22, 23, LIV, 1, 2 ſeq. LX, LXIII, 1, 2, 3,* & *LXV, 17, 18, 19.* Non animadvertimus, ipſum ei regulæ deſtruendæ intendiſſe ingenii vires, quæ proram puppimque in ſcriptis illorum exhibet, qui ſpei Judæorum ad Jeſum agminatim aggregandorum imminent. Regulæ iſtius hæc eſt ſumma: Promittit Deus minora, quam re ipſa præſtat, resque promiſſa potuit ſub initiis V. T. ex parte eventum obtinere ita, ut eventus major & felicior adhuc inſtet & ſperandus ſit. In loco *Jeſaiæ II, 2,* offert ſeſe extrema V. T. periodus, œconomiæ N. T. initium, אחרית הימים, aggregatio gentium 19.
ad Dei eccleſiam, eamque Judaica multo ampliorem. Nihil ibi de inſtante Judæorum converſione ſplendidiore ac numeroſa, in idem tempus compacta. In loco *Jeſaiæ XI, 4,* videtur de Antichriſto injici mentio, quem Paulus *2 Theſſ. II, 8,* pronuntiat a Domino ſub adventum ſuum interemtum iri. At *Jeſaias* vaticinatur de *illa terra* (Palæſtina) *ſceptro oris* (quod ex ore egreſſum fuit) *Meſſiani evertenda,* & *de illo improbo* (*Eleazaro*, ſummo Pontifice, antichriſto,) *per ſpiritum labiorum Meſſiæ interimendo.* In ipſo excidio Hieroſolymitano huic vaticinio ſua conſtitit fides. Eodem reſpexit *Davides Pſ. XXXIV, 21, 22.* Deus omnino ſub initia N. T. ac poſthæc ma- 22.
num ſuam extendit, ut reliquias Judæorum e gentibus ad ſeſe colligat *Jeſ. XI, 11, 12, 13.* At num eapropter ſeriam Dei

vocatio-

vocationem Judæi ubique fuerunt ſecuti? Conf. *Matth. XXIII, 37, XXII, 4, 5, 6.* Sæpius interpretes reddiderunt ea per modum promiſſionum, quæ mera & ſeria ſunt præcepta, e. g. *Jeſ. XXIX, 22, 23.* Locum *Jeſaiæ XXXIV, 35*, ad initia N. T. ſpectare, oſtendit Jeſus *Matth. XI, 4, 5.* Locus *Jeſaiæ LXV,*
Pag. 30. *17 - 19*, ad *παλιγγενεσίαν* & mundum alterum, העולם
חדש, ad œconomiam fœderis novi ſpectat, quæ in *Apo-*
41. *calypſi* & in ſcriptis Judæorum eſt ſatis frequens. Percurrit deinde Cl. Autor reliquos cum *Burneto* Prophetas. Per *Judam* & *Iſmaelem Jer. XXIII, 6*, intelligit eccleſiam Jeſu, ex Judæis & gentibus collectam. Locum *Jer. XXX, 6*, ad redemtionem ex captivitate Babylonica ſpectare, oſtendit. Va-
46. ticinium *Ezechielis XXXVII* de reditu eodem exponit. De Gogo, qui terræ Magog dominatus fuit, ita diſſerit, ut facile lectori ſuboleat, deſignari ac præferri ab ipſo ſententiam
50. eorum, qui, *Antiochum*, ſeu *Jocchum*, *Epiphanem*, in Judæos gravem, per *Gogum* ſignificari, credunt. Nec tamen *Gogum* apocalypticum huc devocat. Ad locum *Dan. XII, 7*, *Harpocratem* imitatur, digitoque compeſcit labellum, eo quod v.
53. g. additur: *occultum eſt & obſignatum usque ad poſteriora dierum* (œconomiæ V. T. extrema tempora). Quidnam vero fuit ætate *Danielis* occultum? Id ſcilicet, diſperſionem Judæorum $3\frac{1}{2}$ anno ceſſaturam eſſe. Deſignatum vero fuit *Danieli*, ſacrificia Hieroſolymis ceſſatura eſſe Levitica per tantum temporis, poſtea, Syris victis, templum reſeratum & initiatum
57. iri, confeſſoresque Judæos redituros. Locum *Hoſeæ III, 4, 5*, ad initia œconomiæ Chriſtianæ ſpectare, perſpicitur ex nota temporis, אחרית הימים. Tandem Cl. Vir progreditur ad locum illum illuſtrem *Rom. XI, 1, 2, 25, 26.* Contendit non ſolum, ut vulgarem patronorum Judaicorum opinionem, corollariis onuſtam, repræſentet, ſed etiam, abſurditatibus eam laborare, judicat. Diſputat ex *v. 4, 5*, *Paulum* propugnaſſe converſionem Judæorum, ſenſim & ſucceſſu temporis fieri ſo-
79. litam. *Inciſum 25* ita reddit: *Nolo vos ignorare hoc myſterium, quod obduratio ex parte premet Judæos, quamdiu gentes ad Chriſtum ſeſe convertunt, nihilo minus tamen ſuccedente tempore*

Digitized by Google

tempore Judæi ad doctrinam Jesu accedent, donec totus Israel Pag. 80.
servetur, id est, omnes illi, quos Deus prævidit. Fatemur, nobis expositionem ejus, ad *Rom. XI* allatam, nondum satisfeciſſe, nec nobis eam licere cum scopo *Pauli*, complexu orationis, singulisque ejus argumentis, conciliare, licet de reliquo ipsum & colamus & observemus. Addit quidem, universalem Judæorum conversionem nunquam futuram esse, eo quod adminicula, ei scopo congruentia, Deus, salva sapientia sua, eis suppeditare haud possit. Struit dilemma, ut ostendat, nec ordinaria, nec prodigiosa, adminicula in Judæos quidquam valitura ob conditiones status, quibus ipsi sint cincti. Vix nobis persuademus, fore quemquam, qui, Judæorum conditionem in dies semper eandem esse & fore, existimet. Si nonnunquam Judæi aliqui ad Jesu doctrinam sese aggregant; cur plures eorum alio tempore, conditionibus melioribus externis allecti, & spe sua tandem confusi, non amplectentur adminicula gratiæ ordinaria? Nisi fallimur, ex doctrina Cl. Autoris hoc loco colligi potest, nullos prorsus Judæos per adminicula gratiæ ordinaria lucrifieri posse amplius ob impedimenta ex 95.
parte ipsorum inexsuperabilia. At quis sacramento ausit contendere, conditionem indolemque animi Judæorum, cum omnia in terris obnoxia sint vicissitudini, semper mansuram esse eandem? Nostrum est, impedimenta illa imminuere & labefactare. Finge, Reges nostros scholas aperire, in quibus Judæi linguam Latinam, Hebraicamque, Historiæ, Chronologiæ, & Logicæ, elementa, discant magna ex parte, & officinas instruere, in quibus illi ad opificia & artificia exerceantur, nonne eo pacto maxima impedimentorum multitudo prosterneretur? At progredimur ad *Caput secundum*, quo regnum *Th. Burneti* & *Joachimi Langii* examinatur chiliasticum. Hujus notæ ponuntur tres. Docent enim Chiliastæ, 1) regnum 100.
chiliasticum esse statum felicitatis aliquot, vel omnium, sanctorum in his terris, a regno gloriæ discretum; 2) id perstare per mille annos; 3) ad id sanctos e mortuis excitatum iri ante resurrectionem universalem. Provocant Chiliastæ ad unum omnes ad *Apoc. XX, 1 seq.* Proluserunt eis *Papias*, *Irenæus*, alii-

Digitized by Google

que Patrum ac ipſe *Juſtinus Martyr*. Ipſe, Cl. Autor autem negantem amplexatur ſententiam, hiſce adductus argumentis.

Pag. 105. Prophetæ eventus futuros per ſymbola & translatam dictionem delineant. *Apocalypſis* eis eſt refertiſſima. Chiliasmus ille apocalypticus innititur expoſitioni haud innatæ, ſed ad arbitrium confictæ. Quis enim, catenam, qua draco ligatus perhibetur, & abyſſum, in quam concluſus eſt, proprie accipiendam eſſe, aſſeret? Expoſitio illa chiliaſtica ſecum ipſa

109. pugnat. Nam, regno chiliaſtico ineunte, vivi omnes ad doctrinam Jeſu accedent. Eo autem ceſſante, præſto erunt cum *Gogo* gentes, a Chriſto averſæ, quibus exercitus innumerabiles conſtabunt, qui caſtra ſanctorum & urbem dilectam tentabunt. Et quis, diabolo concluſo, ad avia homines ſolicitabit? Undenam vero verſus finem illius regni prodibunt

112. tot Chriſti hoſtes? Ex ſententia Ven. *Langii* principes impiorum & perſecutores etiam participes erunt reſurrectionis prioris. At ii, qui hujus reſurrectionis in ſocietatem veniunt, dicuntur beati & ſancti *v. 6.* Num quid itaque etiam primores impiorum erunt beati & ſancti? Num altera mors in fecem impiorum nihil poteſt? Hæc mors eſt æternus damnationis ſtatus *v. 14*, qui ab eis, qui prioris reſurrectionis in partem veniunt,

116. procul abeſt *v. 4.* Locum apocalypticum illum Autor ſic exponit: Deus permiſit diabolo poteſtatem inducendi ſummates imperii Romani & gentium ad infectandos Chriſtianos atrociſſime, quam ipſi ſatis diu adimet *v. 1, 2, 3.* Nam illi ſummates, qui ſolia tenent, Chriſtianam religionem amplectentur, ac eam defendent ab hoſtium inſultibus, *v. 4.* Perſtabunt nihilominus Regum nonnulli in erroribus tetris cum ſuis. Emendatio autem illa Regum, ad Chriſtum accedentium, eique fidelium, erit *reſurrectio prior v. 5.* Ii, qui eius erunt participes, ſunt beati ſanctique prædicandi. Nam mortem æternam evaſerunt, & in terris eos Deus definivit poſuitque, ut eccleſiam foveant & tueantur, *v. 6.* Tandem vero diabolus reſumet poteſtatem priorem, Regesque & gentes ad Chriſtianos infectandos provocabit, eo tamen eventu, ut Deus confeſſores defendat, & certamen illud usque ad diem extremum prorogetur,

v. 7

Digitized by Google

v. 7—15. Viderint alii, an hinc ſequatur, 1) Reges Chriſtianos intra illorum halcyoniorum tempus univerſos eſſe beatos & ſanctos, ob *v. 6;* 2) judicium in diabolum & Evangelii hoſtes datum fuiſſe Regibus illis fidelibus, quod per dictionem κρίμα ἐδόθη αὐτοῖς *v. 4* deſignatum videtur, ſiquidem τὸ κρίμα, quod expromitur, vel reportatur, de jurisdictione Regum eccleſiaſtica, vel politica, nuſpiam in N. T. adhibetur. Si quid videmus, *Joanni* apparuit multitudo animarum in cœlo, quibus Chriſtus, ſeſe ſequentibus, promiſerat thronos in œconomia fœderis novi *Matth. XIX, 28.* Has ipſe tam fulgentes & conſpicuas vidit in viſione, ut jam reſurrexiſſe viſæ fuerint. Ἔζησαν illi. De reſurgentibus vero adhibetur vox ἀνέζησαν *v. 5.* Symbolum ex doctrina Judæorum de gemina reſurrectione deſumtum, quod œconomiam doctrinæ Apoſtolicæ vincit antiquitate. Monuit jam Cel. *L. A. Muratorius*, vidiſſe *Joannem* animas interemtorum, non interemtos ipſos. Alibi de hiſce copioſius. Tandem contendit Cl. Autor cum regno chiliaſtico dicta luculenta & ſententias N. T. perſpicuas, quibuscum regnum illud chiliaſticum pugnat, nominatim *Matth. XX, 20 ſeq. XIII, 24 ſeq. 1 Cor. XV, 51, 52, 2 Pet. III, 2—13.* Et hæc hactenus.

JOANNIS RUD. KIESLINGII, PROF.

Publ. Commentatio theologica de Jeſu, melioris quietis ſponſore, per Joſuam, futuræ quietis nuntium, excellenter expreſſo, potiſſimum ad Ebr. IV, 8, 9.

Lipſiæ, ex officina Clanneri, 1743, 4.

Plag. 21.

Vir & eruditione ſacra & fama & pietate præſtantiſſimus, *Kieslingius*, conſultum duxit, in argumento exegetico explicare denuo ingenii vires, lectorisque animum ad pietatem inflammare. Tractationem ipſam in *Partes* diſtribuit *duas*. Utraque *tribus* conſtat *Sectionibus*. *Prioris Partis Sectio prima* præjudicatas Judæorum exhibet opiniones, quippe quos tenaciſſimum

urget agitatque desiderium recuperandi terram olim sanctam. *Sectione secunda* repræsentatur *Josua*, dux populi Israelitici, ratione inaugurationis, nominis, typi, opinionis Samaritanorum, & memoriæ, apud exteros quoque conservatæ. Vox
Pag. 10. הוֹד, *Num. XXVII, 20*, adhibita, inaugurationis *Josuæ* index, designat *majestatem & donorum præstantiam*, qua *Moses* fuit ornatus, & quam ipse per manuum impositionem *Josuæ* impertivit. Solide hæc ostendit Vir Cel. ritumque χειροθεσίας
12. egregie illustrat. De Chronico Samaritano, seu libro *Josuæ*
18. Samaritano, differit luculente, ac *Hadriano Relando*, qui, ipsum a *Dositheo*, celeberrimo Samaritano, compilatum & confictum esse, existimavit, album adjicit calculum, *Dositheo* videlicet altero, a quo antiquior quidam merito dignoscitur. Samaritanorum quosdam, designatum fuisse *Josuam* per Prophetam, a *Mose* Judæis promissum, existimasse, ex *Eulogii* reliquiis, apud *Photium* asservatis, demonstrat. Opiniones
22. Muhammedanorum de *Josua* examinat. Inscriptionem *Procopii* Tingitanam, quæ *Josuam latronem* vocat, exigui pensi habet. *Josuam* fasces imperii tenuisse ad annos fere 42, proba-
29. biliter ostendit. *Sectione tertia*, quæ est critica, ad scopum *Pauli* sese convertit, ratus, eum in eo versari, ut Hebræi, inprimis Palæstini, præmunirentur, quo minus, calamitatibus & cultu Levitico, nondum exstincto, adducti, ad Judaismum
31. relaberentur. Annum scriptæ ad Ebræos Epistolæ determinat 63, præeuntibus *Arthuro Bedfordo* & *Joach. Langio*. Nisi fallimur, *Cestio Floro* jam a Judæis profligato, & hisce cristas ostentantibus, ac in Christianos revocandos, vel vexandos, effusis, Epistola ad Ebræos fuit scripta, anno exeunte 66, vel ineunte 67, siquidem salus a Judæis infectatoribus liberandorum erat proxima, *VI, 9*, ac dies (vindex reipublicæ Judaicæ) instabat *X, 25*, nec non Hebræi Christiani opibus suis fuerant spoliati, ac vincula *Pauli* Romana (eaque postrema) dolore sociato senserant *v. 34*. De Jesu, a Judæis rebellibus & persecutoribus pœnas sumturo, *Paulinum* illud est luculentissimum *v. 37*: ἔτι μικρὸν ὅσον ὅσον, ὁ ἐρχόμενος ἥξει καὶ οὐ χρονιεῖ, *adhuc* restat *exiguum temporis, idque tantillum, quo elapso, Christus*

ſtus ille, a veniendo dictus, veniet (ad vindictam Judæis inferendam, & ad ſolandos pios,) *nec morabitur.* De cultu Levitico mox tollendo, temploque exurendo, *Paulus* dilucide *XII, 27, 29.* Sed hæc obiter ac pace Rev. Autoris. Cur vero *Paulus* Chriſtianis Ebræis promittit Sabbatismum? Quis ille & qualis eſt Sabbatismus? Reſpondet Rev. Autor: *Illuxerat propemodum ille dies, quo omnis typorum ratio cum republica Judaica exſpirare debebat. Quies a lege cerimoniali admodum oneroſa & moleſta inſtabat, & jam parta erat per Jeſum, melioris fœderis ſponſorem. Nihil reliquum eſſe confirmat Apoſtolus, quam ut Hebræi conſtanti animo omnes ferant caſus, & ſedes anhelent ſempiternas. Pſalmum 95* eſſe Meſſianum, idque inculcare, ut voci Meſſiæ obtemperarent denuo Judæi, idem liquido monſtrat. *Diem illum,* quo Judæorum erat, voci Meſſiæ obtemperare, ſolide exponit de eo tempore, quod a Jeſu natalibus uſque ad exitum templi Levitici decucurrit. *Dies* enim *ille,* יום, paſſim memoratur, e. g. *2 Cor. VI, 2, Jo. XI, 9, Matth. XX, 1 ſeq.* *Per σαββατισμὸν* intelligit *ſolennitatem dierum feſtorum, a gente Judaica lætiſſime celebrandorum,* quos Talmudici doctores vocant ימים טובים, ac, per illam, credit, denotatam fuiſſe *continuam quietis celebrationem.* Verbum *σαββατίζειν* in civitatem Chriſtianam non ſine malæ notæ omine receptum fuiſſe, tradit, differens de celebratione Sabbati inter Chriſtianos primos, ac de litibus, inde exortis. De potu Caldæ nonnihil addit ſabbatico. Differit de Judaico Sabbati abuſu per comeſſationes. *Parte poſteriori,* ejusque *tribus Sectionibus,* res theologicas, ex *Pauli* ſententia profluentes, rite tradit. *Sectione prima,* quæ eſt typologica, differit de typo, qui in nomine Jeſu latet, de execranda nominis Jeſu apud Judæos cavillatione, de baptiſmo Jeſu per tranſitum areæ fœderis illuſtrato, de officio Jeſu mediatorio, in *Joſua* conſpicuo, ac ejus nova nota, ac de quiete, per *Joſuam* data, futuræ quietis typo. *Sectio ſecunda* eſt theologica, ſabbatismi naturam, in cœleſti patria reſidui, exhibens. Refellit ſimul eos, qui ſabbatismum haud collocarunt in ſempiterna quiete. *Sectione tertia,* quæ eſt polemica, proſternit vanas Judæorum ſpes, ac præjudicatas de reditu in Palæſtinam ſperando opiniones,

Pag. 34.

42.

47.

59.

95.

Digitized by Google

Pag. 124. 153. cauſamque reprobationis Judæorum merito conjicit ad pravitatem eorum, qua Meſſiam genuinum repudiarunt, & repudiare haud deſiſtunt. Niſi verendum eſſet, ne Rev. Autori palpari videremur, addituri eſſemus illud & verum & genuinum judicium, ſoliditatem in hac Commentatione cum multijuga lectione, & peritiam theologicam cum antiquitatum & Philologiæ notitia, ſtilique elegantia, amicum iniiſſe certamen.

Einleitung zur Hebräiſchen Accentuation, als einer mathematiſchen Abtheilungs- und Verbindungs-Kunſt, ꝛc.

id eſt,

ISAGOGE AD ACCENTUATIONEM HEbraicam, veluti mathematicæ diſtinguendi et coniungendi artis, cujus diſciplina per figurarum expoſitionem mathematicam facilior redditur, ac exemplis illuſtratur, a CHRISTIANO FRIDERICO BAUERO, S. S. Th. D. et Prof. Publ. in Academia Vitebergenſi.

Lipſiæ, impenſis Joannis Chriſtiani Martini, 1742, 8. Plag. 18.

Meritis ſingularibus ſeſe hic libellus commendat, ex parte novis. Habes hic geneſin, Lector, & harmoniam præſtabilitam accentuum Biblicorum, metaphyſica illa & certiorem, & utiliorem. Qui eadem facilitate ex figuris accentuum ipſis hanc artem expoſuerit, novimus neminem. In poſterum illud accentuationis negotium, olim moleſtum & diuturnum, intra horulas aliquot addiſci poterit & expediri, ſi quis hoc auſpice & duce utatur. Miſeretur ipſe in Præfatione illorum, qui philoſophicis opinionibus ac affectationi ſyſtematicæ ſeſe adeo immergunt, ut Hebraicæ linguæ receſſus & accentuationem negligant, Theologiæ operaturi. Non facit cum eis, qui leges accentuationis Hebraicæ illuſtrare conantur ſignis vel virgularum, vel punctorum, colorum, ſemicolorum, commatum, &c. Accentuatio enim illa utique diſcrepat toto cœlo ab interpunctione, qua Europæi periodos diſtinguunt.

Præf. Pag. 23.

Sunt,

Digitized by Google

Sunt, qui Ebræorum accentus in Imperatores, Reges, Duces, Comites, ſervosque, diſtinguunt, ut menſuras & gradus indicent. At hæc diſtinguendi ſpecies, quippe inconcinna recensque nimis, merito relinquitur ſuis autoribus. Ii autem, qui ex allegoria illa politica collegerunt, artem accentuandi eſſe novum Rabbinicum inventum, argumentum fingunt, cui nervi ac artus deſunt. Dictamen grammaticum logicumque, Pag. 25.
quod nonnulli venditant in accentuatione exercenda, vel dignoſcenda, tanquam utiliſſimum, procul eſſe jubet, ſiquidem illud perpetuis laboret anomaliis. Accentuum in eo uſum collocat, ut voces vel conjungantur invicem, vel diſtinguantur, ac ſenſui, quem periodi continent, congruenter pronuntientur ac decantentur. Veteres accentibus congruenter legiſſe ac 7.
decantaſſe periodos libellorum Biblicorum V. T. innoteſcit ex *Talm. Babylon.* in *Beracboth f. 64*, ac expoſitione *Raſchii*, Commentatoris. Omiſerunt Judæi accentus, cum unicum ſen- 8.
tentiæ cujusque ſenſum haud amplius ſibi ſufficere crediderunt, teſte *Bechai*, Rabbino. Recens eſt mos, quo Judæi in Synagogis Bibliis non punctatis utuntur. Nam Judæi, e Babylonia reduces, legerant verba ſacra Hebraica accentibus congruenter *Neh. VIII, 8*, quemadmodum conſtat ex *Talm. Hieroſol. Megilla f. 74 col. 4.* R. *Jochanan* ſententiam eorum, qui 10.
accentus in legendo & exponendo negligant, damnavit, ipſosque a Deo cœcitati & errori traditos eſſe docuit, teſte R. *Schaphti* in *Megilla Cap. 4 pag. 32.* Accentus ac vocales Codici Hebraico 11.
ſacro ætate eſſe ſuppares, Autor contendit, ac inprimis provocat ad *Deut. XXXI, 24, Coh. XII, 10, Jeſ. XXVIII, 11, 13, Neh. VIII, 8*, & *Matth. V, 19, 20*, jure conſequentiarum uſus. *Eſra* certe nihil mutavit in legis codice, ſed legit eum perinde ac *Moſes* illum ſcripſerat, teſte Talmude Hieroſolymitano 13.
in *Megilla fol. 74 col. 4.* Ergo *Eſra* accentus libris ſacris gentis ſuæ haud addidit, ac *Moſes* jam legis volumen accentibus inſtruxit. Accentus omnino Talmudico Codice utroque ſunt antiquiores, ſiquidem in eo de accentibus, tanquam re tritiſſima, jam fit mentio. Vocales certe loquuntur, antiquitatis 16.
haud minoris eſſe accentus. Hiſce præmiſſis, S. Rev. Autor

ac-

Digitized by Google

accentuationem & proſam & poeticam methodo tradit facillima. Ac, ne lectori deſit adminiculum, quo poſſit in hanc artem ſuo Marte penetrare, exempli loco convertit in vernaculam no-
Pag. 53. ſtram primum *Geneſeos Caput*, *Jeſ. IX*, 1—6, *LX*, 1—6, *Mal. III*,
90. 1-5, *Jeſ. VII*, 10, 15, *LII*, *LIII*, *XL*, 1-5, *XI*, 1-5, totumque *Joelis* vaticinium, cui interpoſuit ſigna accentuum. Duplicem Decalogi accentuationem, unam pentecoſtalem, alteram ſabbaticam, tabula majori accurate expreſſit, ut ſatisfaceret Clar.
173. *Berndio*, qui in libro, *Sittenlehre* inſcripto, litem accentuationi intenderat ingenioſe magis, quam ſolide. Translationibus ſuis Vir S. Rev. continuo adjecit tabulas ſynopticas, quibus partitiones inciſi, ſeu periodi, cujusque exhibentur ea ratione, ut pateſcat, in ſententiis, a Spiritu S. profectis, ineſſe ſummum ordinem, glorioſam ſimplicitatem, ſolidumque contextum, & certum ſenſum. Ex inſpectione tabularum illiusmodi convincimur de utilitate & præſtantia accentuationis, ni ex tractatione ipſa malimus de ea eſſe certi ac victi. Ne quis tamen ignoret geneſin accentuum, quam S. Rev. Autor tradidit, eam ſuccincte ſubjun-
23. gemus. Signa accentuum ſunt *linea*, *punctum*, & *peripheria*. Ex hiſce ſtaminibus exponit omnem Autor accentuationem Hebræorum. *Silluc* eſt linea perpendicularis, oſtendens adjecto colo, ſeu ſophpaſuk, periodum eſſe ſenſus completi. Athnach dividit dimidium periodi. Addunt alii, voci ineſſe emphaſin, cui ille accentus eſt ſubjectus, quem Autor ex figura hac ׀ coalitam exiſtimat. Ex puncto, ſeu Refia, deducit accentus hoſce, ſakephkaton ֒ ſakephgadol ֓ & ſægolta ֔ ſignum prioris partis periodi, ſi ipſa in tres partes poteſt divi-
25. di. Major diſtinctio ineſt figuris, ex puncto ortis, quam ex peripheria. Ut diviſio illa, per Sægoltam ſignificata, dimidietur, figuræ, ex ∘ decerptæ, indices ſunt deſignatæ. *Sarka* enim ejus eſt pars tertia ֑, cujus pars dimidia ſuperior eſt ֒, *paſchta*, cui ſi accedit lineolæ pars, inde exoritur ֖ *jetibh*. Pateſcit exinde ordo, quo hi accentus ſeſe ſubſequi ſolent. Paſchta enim
26. eſt dimidium Sarkæ, & Sarka eſt dimidium Sægoltæ. At progrediendum eſt cum Autore ad circulum, qui vel in duo hemiſphæria, vel quatuor quadrantes, diſtinguitur hoc loco.

Hemi-

Digitized by Google

Hemisphærii inferioris excellentiam agnoscit Autor præ superiori, quippe fundamenti instar contemplandam. Quare præstare & excellere putat ipse accentus ֑ ֓, *Tibcha* et *Debhir*, quadrantes inferiores circuli totius, seu Rafiæ, accentibus ֒ ֔, *Gereschb* & *Kadma*. Signa accentuum minimarum virium S. Rev. Autor ex semi-sarca deducit, seu ex figura ב. Hinc enim derivat figuras ֒ *Gereschb* ֔ & ֕ *Tlischa*, ac ֗ *Paser*. Qui figuras, nomina, & ordinem, earum tenet, is omnem animo infixam habet accentuationem. Sed quid tricamur? Lectoris esto, librum ipsum & exempla, hic suppeditata, perpendere. Faciliori certe methodo neminem in hoc argumento huc usque usum fuisse, fatendum est nobis aperte. Restat, ut Viro Cel. de invento & aptissimo & jucundo gratulemur, ipsi unicam hanc submittentes quæstionem: *num Hebræi faverint diductis longisque & Asiaticis periodis.* Pag. 27.

Mahomet, der größte Seelen-Verführer, ꝛc.

id est,

MAHOMMEDES, MAXIMUS ANIMARUM corruptor, seu vita ejus, Germanice scripta, cui accessit accurata descriptio Arabiæ veteris & novæ, indolis cultusque incolarum, exordii & incrementi Ottomannidarum dominatus, Turcicæque religionis.

Erfurti, impensis Jo. Dav. Jungnicolii, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 1.

Licet Autori haud integrum fuerit, ex fontibus Arabicis sua haurire; ipse tamen libros præstantissimos consuluit, quibus Galli, Angli, Batavi, ac Germani, ex scriptoribus Arabicis de *Muhammede*, de Corano, de Arabia, & dominatu Turcorum, exposuerunt. Labore, quo concinnavit hunc librum satis diserte & eleganter, sanguinem ætate ingravescente lente-

ſcentem excitare, viresque vitales reficere, conſtituit. Arabiam
Pag. 10. Petrenſem olim dictam fuiſſe *Midian*, exiſtimat. Rationes ſuppeditat, cur Arabiam veteres Græci ac Romani fere ignoraverint. Ipſe partes Arabiæ ſolide deſcribit, ac incolarum commercia vitæque genus diverſum. Urbem Mesha, *Moſi*
21. cognitam, pro Mecca habet. Islamiſmum ex nomine *Iſmaelis* dictum fuiſſe, exiſtimat. Oracula Dei ab expoſitione ſacerdotum apud Judæos pependiſſe, tradit *pag. 31.* Eloquentiam, ſanitatem, & ſolitudinem, Arabum laudat. Dolet incendium Bibliothecæ Alexandrinæ. Templum Meccanum curate deſcribit,
49. nec non peregrinationes ſacras, in montem Arafth inſtitui ſolitas. De *Muhammede* ſumma exponit ſedulitate, nec omittit quidquam eorum, quæ ad religionem *Muhammedanam*, ac ſucceſſorum bella regnandique artes, faciunt. Non adjungit loca & teſtimonia Autorum. Adhibuit tamen ſcriptores optimos fideque digniſſimos uſibus ſuis, ac utile dulci ubique miſcuit.

FR. ULRICI RIES, S. TH. D. HUJUSQUE in Acad. Marb. Prof. Ord. Diſquiſitio theologica de Peccati originalis inhærentis a parentibus ad liberos propagatione.

Giſſæ, apud Jo. Philippum Kriegerum, 1744, 4.

Plag. 13.

Argumento abſtruſiſſimo ſeſe S. Rev. Autor accinxit extricando. Modum enim propagatæ labis inſitæ Codex ſacer tacet, Theologi vero diſputationibus ita reddiderunt obſcurum ac difficilem, ut filo Ariadnæo, quod exitum monſtret, ſit valde opus. *Auguſtinus* jam pronuntiavit *de Moribus Eccleſiæ VII, 21: Nil notius, quam P. O. traduci, nil obſcurius, quomodo traducatur.* Nec tamen vanus eſt & irritus labor iſte, qui modo illi definiendo impenditur, licet is per ſeſe haud faciat
4. ad fidei fundamentum. Ea enim ex verbo Dei poſſunt tradi,

quæ

Digitized by Google

quæ piis & modeſtis ingeniis faciunt ſatis. Pelagiani clamant, modum propagationis definiri haud poſſe, ideoque propagationem illam in fictionem abire. Quæritur itaque, qui labes illa nativa a parentibus ad corpus propagetur, & qui ipſa animæ affricetur rationali. Quantum ad momentum attinet prius, in generatione fœtus ex corporibus parentum aliquid abſcinditur, quod defectu ordinis & δυσκρασίᾳ eſt imbutum. Dantur enim morbi hæreditarii. Quod genitum eſt ex carne, caro eſt. Materiæ indolem ſequitur materiatum. Hauriunt infantes ex parentibus morborum ſemina ac impreſſiones, quæ ſunt certa horum principia. Quantum ad poſterius ſpectat, animas creari divinitus, Autor ſibi perſuadet. Rejicit *Pythagoræorum* opinionem & *Origenis*, qui, animas præexiſtere, exiſtimarunt. Rejicit eandem *Chriſtophori Sandii* & Socinianorum ſententiam. Rejicit μετεμψύχωσιν, &, ad eam reſpici, putat, *Matth. XVI, 14, Jo. IX, 2.* Animæ profecto non fuerunt productæ ante mundum conditum, neque ſimul in ejus principio, neque aſſervantur in loco quodam communi, neque, antequam corporibus jungerentur, peccarunt, neque in corpora transmigrant diverſa. *Leibnitianam* hypotheſin repudiat, rationibusque ſubjunctis ſeſe munit. Vermiculos in ſeminibus ineſſe, minus credit exploratum. Eos, qui malum morale a principio Perſarum malo arceſſunt, faſtidit ac confutat. Multitudinem enim Deorum natura non patitur. Summum malum eſt aliquid privativum, quod per ſe haud ſubſiſtit. Omittimus alia argumenta, ab Autore allata. Idem exponit vulgarem de traduce opinionem, quam primi Patres ad *Auguſtinum*, qui ipſe dubitavit *Ep. 157 ad Optat.* & *Ep. 28 ad Hieron.* & *Lib. I Retractat. Cap. 1*, ac *Lib. X in Gen. Cap. 23*, ad [illegible]um fere omnes amplexi fuerunt. Aſſenſum huic opinioni denegat Autor, eo quod anima e partibus haud conflatur. Sunt, qui credunt, pollere animam vi quadam interna ſemet augendi, aliamque animam ſui ſimilem producendi. At ipſa actionum ſuarum haud eſt intime conſcia, nec animam producit, ignara & ſui, & animæ producendæ. Videtur ita anima

Pag. 6. 9. 20. 29. 35. 38. 41.

Pag. 46. esse vel creatrix, vel ex se aliquid decerpens. Utrumque est pariter absurdum. Sententia hæc præterea non definit generationis animæ causam, nec tempus, nec locum, nec mo-
49. dum. Non certe transit ad liberos tota parentum anima, nec pars ejus aliorsum traducitur. Simplicitati mentium, quæ sunt individuæ, isthæc sententia repugnat. Addit Noster, hanc Codici etiam sacro reclamare. Similitudines & autoritas sen-
57. tientium nullius hic sunt momenti. Solvit ipse deinceps objectiones, ex *Gen. XLVI, 26*, desumtas. *Animæ* ibi per synecdochen sunt homines. Nulla est illa objectio, quæ dictitat, hominem dici haud posse generare hominem alium, nisi & 60. ipse sit parens & origo animæ. *Joannes Placeus* credidit, omnem corruptionem inhærentem *ex unione mentis cum cor-*
65. *pore corrupto* derivandam esse. Hac opinione remota, Autori tandem visum est ad creationem animarum transire. Oriri putat animas a Deo, nec tamen emanare ex eo, sed *fieri*. Conf. *Eccl. XII, 7, Jes. XLII, 5, LVII, 16, Zach. XII, 1.* Deus vocatur *pater spirituum Num. XVI, 22, XXVII, 16*, 66. *Hebr. XII, 9, Jac. I, 17.* Animæ non sunt a sese; ergo existunt ab alio. Nec tamen fiunt ab anima, vel corpore, parentum, nec ab hominibus extra illos obviis. Inde ratiocinatur Autor, eas citra interventum alterius omnem a Deo creari, ac
73. cum corporibus suis conjungi, quo tempore id fiat, credit esse in incerto. Addit, eas, cum corporibus conjunctas, infici peccato labis innatæ. At sic haud corruptæ sunt positi-
77. ve, quæ multorum Theologorum sententia est, Nostro minus arridens, sed, quæ argumentis evertatur, digna existimata. Addit idem *pag. 82: Magis favorabilis esse videtur eorum sententia, qui animas nunc æque ac in statu integritatis a Deo creari volunt puras, & integras, & ab omni labe immunes; postea vero corporibus intrusas maculam demum contrahere, dum a perversis & minus ordinatis corporum motibus ita afficiuntur & inquinantur, ut pravas concupiscentias concipiant, totaque carnales & impuræ reddantur.* Hanc quoque labefa-
86. ctat Autor opinionem, & se ab ea sejungit, ratus, animas creari

creari haud integras, neque corporibus corruptis junctas ex corporum contagione contrahere labem, sed ad utrumque paratas, ac in statu intermedio versantes, fieri tamen ex vacillatione naturali, corpori corrupto junctas, successu temporis pravas, in singulis hominibus, ne excepta quidem Deipara *Maria*. Eximitur solus Christus. In reliquis autem ho- Pag. 95.
minibus labes illa insita ad mortem usque inhæret, quæ impiis ob merita Christi haud imputatur. Sic Noster rationes suas subducit, sic sentit, sic sese extricat.

JO. NICOLAI FUNCCII, MARBURGENsis, de Literarum studio, earundemque tradendarum certa ratione, Consultationes scholasticæ.

Marburgi & Rintelii, 1742, 8.

Plag. 19.

Quæ libello hoc continentur, Exercitationes numeró sunt undecim. Prima est Oratio de officio doctoris scholastici, 1.
cum ordini scholæ tertio Cel. *Funccius* præficeretur, olim habita. Continet illa tres partes pro qualitatum numero, quas inprimis in doctore scholastico requirit. Sunt illæ autem eruditio, virtus, atque autoritas. Postrema quidem tam aliunde patet, quam prudentia, patientia, constantia, obtinetur. Ceterum hæc Oratio in principiis plurima habet communia cum ea, quæ de laudabili in scholis atque Gymnasiis doctore A. 1737 Geræ habita, hic Lipsiæ typis eodem anno exscripta fuit. Eadem legitima principia patent in consilio, ut inscribitur, ad Virum illustrem de ludo literarum recte aperiendo, quod lin- 42.
gua Germanica conceptum est. Nonnulla tamen etiam videri singularia possunt, e. g. quando per talos, ex ligno confectos, literisque variis omni ex parte inscriptos, easdem liberos doceri ludendo cupit non imprudens magister. Excipit hanc tractationem alia, quæ inscribitur *Platonica* mensa, de veterum frugalitate, & recta studiorum ineunda ratione. Ubi 53.
Cajus & Sempronius, more ac stilo dialogorum, colloquun-

tur. Insignis ibidem reperitur optimarum regularum atque obſervationum ſupellex. E. g. vituperatur cacoethes illud, quo quaſi ſerviles tractantur artes liberales, neque permittitur, in libero Muſarum emporio, quam quisque deperiret maxime, artem exercere, ſuorumque profectuum facere pericula. Ceterum peculiares etiam hoc atque illud adjiciendi habuiſſe cauſas videtur. Idem argumentum in ſequentibus
Pag. 120. perſequitur, ubi dialogos ſiſtit de liberorum inſtitutione ſcholaſtica duo, quorum priore corruptum ſcholarum ſtatum jure ſuo conqueritur, de nomine atque utilitate ſcholarum agit, exempla Principum adducit, qui literarum doctores plurimi æſtimarunt, inque cauſas deterius comparatæ hoc ævo educationis ſcholaſticæ inquirit. Hæ potiſſimum notatu ſunt dignæ, ſuntque præ ceteris curta virorum ſcholaſticorum ſuſtentatio, tenuis admodum honos atque eminentia, vel humilis potius paſſim contemtus, infinitus ille labor, penuria laudabilium vel ob has ipſas rationes doctorum. In poſte-
153. riore agit de uſu ſcholarum publicarum, *Quintiliano Lib. I Cap. 2* nominatim duce, cujus verba teſtimoniis aliorum, atque exemplis præſtantiſſimorum doctrina virorum, fulciuntur. Inter teſtimonia eminet potiſſimum *Richardi Verulamii de Augmentis ſcientiarum Lib. VI pag. 370: Omnino inſtitutionem pueritiæ & juventutis collegiatam probamus; non in ædibus privatis, non ſub ludimagiſtris tantum. Adeſt adoleſcentibus in collegiis æmulatio major erga æquales; adeſt quoque ipſe vultus & adſpectus virorum gravium, quod facit ad verecundiam, & teneros animos etiam a principio conformat ad exemplar.* Adjungit vero etiam Noſter adjumentum privatum, ſcholasque præterea publicas rite vult eſſe comparatas, earumque igitur tam doctrinam, quam diſciplinam, explicat, laudabilem. Hinc a generali ad ſingulare diſcedens, quatuor ſubjungit colloquia de latinitate comparanda. Primo
151. laudatur *Tullius*, atque tum illi vituperantur, qui ſordes amant ac ſpumam latinitatis, quam obſcurorum virorum epiſtolæ præ ſe ferunt; tum iſti, qui ardua, vel inaudita vulgo, malunt

priſco-

priſcorum verba, utut diu jam obſoleta, quæ peſtis linguæ jam *A. Gellii*, immo *Fabii*, temporibus obtinuit. Inde conſilium ſuppeditatur, diu ab initio uni & optimo inhærendum eſſe, neque in illo multa, ſed multum, legi debere, interea maximo ſtudio atque alacritate maxima attendi ubivis decere proprietatem verborum ac delectum; attendi porro locutiones atque particulas, dictionis denique characterem & formam conſtructionis; neque diem prætermittendum, quin ipſi aliquid vertendo, amplificando, variando, contrahendo, imitando, emendando, Latine ſcribere inſtituamus. Altero Pag. 163.
ſignificatur, etiam in optimis Autoribus, quantum licet, atque in tempore apparet, mendum quodvis evitari debere, neque illud, cum librariorum incuria potuit irrepſiſſe, præter ἀναλογίαν uſumque communem ipſi tribuendum ſcriptori, nobisque ad imitationem proponendum; item, antiquos fuiſſe ſolitos verba quædam veluti peculiaria certis rebus aſſignare, quæ qui non ſatis animadvertat, varie in regulas & proprietatem Latinæ linguæ impingat. Tertio deinde docetur, quod lectionem Autorum ſequi omnino debeat 172.
exercitatio frequens, quæ ſtilum formare ac perficere docet. Ea complectitur verſiones, imitationem, dilatationem, & coarctationem, ubi ſimul περιοδολογίας nonnihil affertur, quæque ad momenta huc ſpectantia tradi ſolent a ſtili magiſtris, uni velut obtutui ſubjiciuntur. Quarto denique oſtenduntur varia dicendi genera, formæque diverſæ. 180.
Noſtram hic non temere faceremus ſententiam, qua dicitur, Græcorum maximos Rhetores olim ſtilum ſublimem vocaſſe Aſiaticum, medium Rhodium, & tenuem Atticum; ſtilum autem Laconicum pro vitio ſermonis haberi, quod jejunum vulgo nominamus. Re quippe accuratius conſiderata, ubique ſe res aliter habet, neque etiam ſtilus ſublimis idem eſt ac circumductus, quo de rebus magnificis magnifica dicitur oratione, ac periodis longioribus, ut deſcriptio habet Noſtri, multa ornatus & elegantiæ cauſa proferuntur. Quin potius ſublimitas & magnificentia differre videntur ut genus & ſpecies, quæ gravitatem ſibi habet eodem

ſub

ſub genere oppoſitam. Attamen diſcedimus ab amica iſta, quam ſubjungere placuit, admonitione ad alias Celeb. Autoris, quarum vel duas præterea cum ſupplemento noſtro adhuc ſubjungemus. Altera præcipit, ut regula nobis *Tullius* ſit, ita tamen, ne *Velleii*, *Curtii*, *Plinii*, ſimilium, dictionem aſpernemur: nimirum, ut noſtra fert opinio, illius atque æqualium ubi autoritas deeſt; alioquin enim & hic verba valent ſicut numi, aureusque argenteum præſtat. Altera monet, quod puritas analogiam admittat, quæ eſt ſimilium ex ſimilibus ducendorum ratio; quam nos quidem admodum reſtringeremus; non enim, quem ad modum e. g. dico *iterum iteruinque valet*, ſic dicere licet, *ſuper ſuperque*, *ſatis ſatisque*, *valet*. Sed admonitio nos multo magis neceſſaria, multoque fuſior,
Pag. 192. doctiſſimi *Funccii* allicit. Agit vero eadem de neceſſaria ad facultatem bene dicendi obtinendam exercitatione, cum
240-310. qua ſtatim exercitationem ultimam, eandemque rhetoricam, de periodis conjungamus. In utraque ſummorum eloquentiæ doctorum, ut multa paucis comprehendamus, præceptiones collegit, explicuit, auxit, teſtimoniisque & exemplis inſtruxit, tam utili, quam laudabili, ratione. In poſteriore nominatim plus fere præſtitit, quam pollicetur, nec ſolam ſtricte ſic dictam περιοδολογίαν, ſed doctrinam ſimul de connexionibus, numero, & harmonia, tractavit. Ubique talem ſe gerit Cel. Autor, qualem dudum in pluribus aliis ſcriptis ejus cognovimus, diligentem nempe, accuratum, copioſum, & puræ dictionis ſtudioſum. Sunt igitur, ut cetera ejus ſcripta, ita hæ etiam præceptiones, non tironibus tantum in ſtudiis literarum, ſed his etiam, qui majora conandi facultate pollent, ſtudioſiſſime commendandæ, idque literarum cauſa nobis & eſt, & eſſe debet, in optatis, ut in ſeros usque annos valetudine Cel. Autor proſpera & commoda utatur, diuque liceat militi tam ſtrenuo & exercitato adverſus ſolidæ doctrinæ hoſtes, quorum nunc horribiles copiæ interitum elegantioribus literis minantur, eo armorum robore, quo inde a tot annis conſuevit, feliciſſime pugnare.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio III.

HISTOIRE DE LA VILLE DE PARIS.

id eſt,

HISTORIA URBIS LUTETIÆ PARISIORUM.

Tomi V.

Pariſiis, impenſis Petri Franciſci Giffarti, 1735, 12.

Alph. 5 plag. 3, cum 4 Tabulis ichnographicis urbis Pariſienſis.

Opus ad ſeram poſteritatem ultimamque hominum memoriam commemorabile enixus fuit Autor. Fama eſt, ſodalem ſocietatis Jeſu *Baldum*, ante paucos annos defunctum, in eo vires corporis animique exercuiſſe concinnando. Univerſa tractatio abit in *Tomos quinque. Primi* exordium arceſſitur ab ætate *Julii Cæſaris*, ac in exitu regni *Ludovici X* finitur. *Tomi ſecundi* ſumma complectitur tempus, quod a regno *Philippi VI* uſque ad finem regni *Caroli VI* decucurrit. *Tertius* continet res Pariſiis geſtas, inde ab initio *Caroli VII* uſque ad *Henrici IV* exceſſum ſupputandas. *Quarti* cardo vertitur in rebus Pariſiorum, ad *Ludovici XV*, Monarchæ Potentiſſimi, uſque tempora deſcriptis. Adjiciuntur huic *Tomo* privilegia, civibus Pariſienſibus a Regibus impertita, nec non nomina platearum, ſpatiorum, fori multiplicis, pontium, ac aliorum Lutetiæ locorum inſignium. In Tabulis geographicis quatuor repræſentatur ſitus

urbis Pariſiorum pro variis temporum intervallis. *Prima Tabula* exhibet Lutetiam, qualis ipſa exſtitit inde a *Julii Cæſaris* ætate uſque ad ævum *Clodovæi*. *Secunda* ſiſtit Pariſios, eorumque confinia, pro ratione temporis, quo *Ludovicus Infans* regnavit. *Tertia* ſuppeditat adumbratam Pariſiorum faciem, tempori, quod inde ab A. 1422 uſque ad A. 1589 defluxit, accommodatam. Lutetiam Pariſiorum, qualis ea nunc exiſtit, repræſentat *Tabula quarta*, & ea quidem poſtrema. Initia urbis florentiſſimæ, ditiſſimæ, magnificæ, maximæque, debentur domibus nonnullis, in inſula Sequanæ, vulgo *l'Isle du Palais* appellata, ante *Julii Cæſaris* ætatem exſtructis. Novam urbem utrinque cingebant ac defendebant duo illa Sequanæ brachia, quibus ipſa intercipiebatur. Proxima Sequanæ ſilvis paludibusque erant referta. Pons urbi aditum concedebat, unus ſeptentrionalis, alter auſtralis. Seculo tertio colles Pariſiis vicini vitibus cœperunt impleri. Cura rei hortenſis ibidem altiſſimis defigi cœpit radicibus, ac ficuum proventu ſeſe commendavit. *Julianus* Imperator ibi hiberna poſuit ac exegit. Eadem voluptas nonnunquam reliquos etiam devinxit ac delinivit Imperatores. *Juliano* viſum fuit jam ſuburbii Pariſiorum injicere mentionem. *Merovæis* florentibus, exſtiterunt jam collegia votiva S. *Genovievæ*, S. *Germani Pratenſis*, *Germani Antiſſiodorenſis*, ac S. *Laurentii*. Ante *Philippum* Auguſtum jam Lutetia fuit civitate novâ, ad ſeptentriones ſita, mœnibusque cincta, ac urbem veterem æquante, aucta. Rex ille A. 1190 acceſſionem urbi conconciliavit, muris patentioribus inchoatis, quibus viginti poſt annis impoſita eſt coronis. Cum Rex *Joannes* daretur cuſtodiæ, de ſecuritate Pariſiis conciliandа cogitari cœptum. Murus adjunctus ei tunc fuit quartus. Quintum addere animus fuit *Henrico II.* Res intra deſtinata ſubſtitit. Sextus acceſſit A. 1581. *Henricus III* Pontis novi autor eſt, adjuturus aditum, ex ſuburbii, S. *Germano* dicati, locis ad loca S. *Honorati* ſuſcipiendum. Remorata fuerunt bella civilia conſummationem operis, quæ *Henricum IV* exſpectabat. Crevit Lutetiæ magnificentia ac amplitudo inprimis, *Ludovico XIV* ac *XV* regnantibus, nec ea ſpem deponit

Tom. I pag. 4.

5.

ponit felicitatis ſuæ in dies augeſcentis. Hæc de Pariſiorum incrementis. Subjunxit eis conciſe expoſitis Ven. Autor ſuam de forma imperii Gallorum, ac de fatis eorum, qui Gallis dominati fuerunt, Principum, opinionem. Noſtrum non eſt, hiſce diu immorari, ſiquidem dictis fides pronuntiato teſtium haud eſt facta. Recenſebimus potius ſumma rerum capita, ne Lector ignoret, quid in hoc Opere, & ſolide & operoſe & eleganter ſcripto, ſit quærendum, & quid inibi inveniatur memoriæ literis proditum. Fata Gallorum, qualia ſub *Cæſare* fuerunt, breviter expoſita hic habes. S. *Dionyſius*, Pariſiorum Apoſtolus, hic ad annum C. N. 250 refertur. Pag. 7.
Concilium Pariſiis A. 360 contra Arianos fuit agitatum. Ibidem *Julianus* ab exercitu ſuo renuntiatus fuit Imperator. An ipſe, an Imperator vetuſtior thermarum palatii indidem exſtiterit autor, nondum liquido conſtat. *Gratianus* ad Pariſiorum portam a *Maximo* devictus fuit A. 383. *Theodoſio* imperante, floruit Lutetiæ S. *Marcellus*, quem merita in ſedem Epiſcopalem evexerunt. 11.
Seculo quinto Francos in Gallias feciſſe impreſſiones, nemo unus ignorat. Virgo *Genovievæ* fertur A. 451 Pariſienſes in *Attilam* exhortata. *Childericus* Pariſios A. 476 occupavit. Ipſam tradunt primam exſtruxiſſe ædem ſacram ſupra S. *Dionyſii* tumba. 13.
Lutetiam poſthæc manſiſſe regni caput, inficiatur nemo. Hic quoque, regno diviſo, de re Regum publica fuit conſultatum. 16.
Synodum ibi habuere homines de eccleſia A. 551. *Ludovicus Pius* dicitur Epiſcopo Pariſiorum tribuiſſe ac confirmaſſe jurisdictionem per nonnulla Lutetiæ loca. 19.
Pariſiis A. 826 coierunt Epiſcopi, ac pro rato veroque declararunt illud ſcitum, quo jubentur Galli iconas Sanctorum nec frangere, nec venerari, ſed in templis memoriæ cauſa retinere. Denuo ibidem celebrarunt Epiſcopi conventum A. 829, cujus acta æque ſunt comperta. 40.
Memorabiles ſunt nundinæ, quas *Carolus Calvus* Pariſiis inſtituit, triduo poſt *Barnabæ* celebrandas. Ad eas ex univerſa Europa confluere conſueverant mercatores. 50.
Dicitur *Dagobertus* nundinas ejusmodi jam Pariſiis A. 633 indulſiſſe, 10 Oct. habendas in S. *Dionyſii* Abbatia, ac A. 710 Lutetiam 51.

translatas. Omittimus molitiones Normannorum, Pariſiis intentatas, easque feliciter repulſas. *Eudonem* illuſtravit illa Normannis profligandis invigilans virtus, ac gubernaculis re-
Pag. 61. gni A. 887 admovit. Lutetia denuo A. 910 a Normannis fuit circumſeſſa. Cum hæc & complura alia momenta, ad Regum hiſtoriam referenda, recenſuiſſet Autor; viſum ipſi eſt
72. tandem *Librum primum* rebus ad A. 987 geſtis concludere. *Libri ſecundi* exordium ab eodem anno, quo ſcilicet *Hugo Capetus* in Regem fuit electus, deſumitur. Ipſe fuit Regum
74. princeps, qui in Abbatia S. *Dionyſii* corpus ſuum voluerunt humari. *Robertum*, *Hugonis* filium, illuſtravit inſtitutio, quam ipſi *Gerbertus*, Archiepiſcopus Rhemenſis, im-
75. pertivit. *Berengarii* controverſias dijudicavit Synodus, Pariſiis agitata A. 1050. Comitatus Pariſienſis A. 1079 in Præpoſituram fuit converſus. Rex *Philippus* A. 1104 in Synodo Pa-
80. riſienſi gratiam cum *Bertrada*, quam faſtidiverat, ductus jam pœnitentia, nudisque pedibus incedens, reconciliavit. Memoratu digni ſunt *Miniſteriales* eccleſiæ cathedralis Pari-
82. ſienſis. Ipſi enim a liberis fuere diſtincti, bellis gerendis fuerunt juſſu Clericorum ſubmiſſi, jurejurando ac certamini ſingulari ſeſe pro bonis reditibusque eccleſiæ tuendis exhibuerunt promtos ac paratos. Vocati fuerunt ipſi *corpora* & mancipia *eccleſiæ*. Rex ipſis indulſit A. 1109 licentiam committendi ſe cum redituum eccleſiæ uſurpatoribus, ac certamine ſingulari eos poſſeſſoribus juſtis legitimisque aſſerendi. *Abælardus* aliique doctores ea ætate ſcholam Pariſienſem illuſtrare
92. cœperunt, eamque haud unam. Non eſt, quod de *Bernhardi* autoritate, tunc in Galliis eximia, repetamus quidquam. *Eugenium III* Pariſios inviſiſſe, nemo eſt, qui ambigat. Porticus Pariſiis publicæ cœperunt fieri, regnante *Ludovico Craſ-*
99. *ſo*. *Alexander III* Pariſiis monaſterium S. *Germani* A. 1163, 21 Apr. dedicavit, ac 19 Maji Turoni Concilio præſedit.
100. Fundatus fuit id ætatis in Galliis Ordo auſterus Magni Montis, ſeu Bonorum Hominum, quos *Stephanus* conditor omni carnis cujuscunque uſu ciboque interdixit. Prioratui S. *Lazari*, qui Pariſiis monaſterium Auguſtinianum moderatur,

derattur, *Ludovicus* Rex A. 1175 nundinarum jus, seu privilegium, impertivit. Societatem negotiatorum, commercia mari frequentantium, Parisiis stabilierunt Reges eo circiter tempore. *Mauritius de Sully* cathedralem Parisiis ecclesiam, seu ædem sacram, penitus novam exstruxit, certe perfecit A. 1182. Amplissima hujus templi campana exæquat pondus librarum 34000. Judæi e Galliis discedere coacti sunt A. 1182, eo quod fœnorum insolentia omne fere regnum pessum dederant. Abbatiam S. *Genovievæ* instauravit *Stephanus IV*, Abbas, cognomento Tornacensis, siquidem ad Episcopatum Tornacensem A. 1188 circiter evectus fuit. Regnante *Philippo* Augusto, qui expeditioni cruciatæ, in Palæstinam susceptæ, interfuit, scholæ Parisiis floruerunt, ac Professores, ex schola palatii Episcopalis egressi, locum occuparunt, cui paulo post nomen *Universitatis* adhærere cœpit. Festum Subdiaconorum larvatorum, quod Galli vocabant *la Fête de Foux*, A. 1198 sublatum fuit, ac funditus eradicatum, si decretum spectemus Episcopi Parisiensis, *Eudonis*. Eo autem defuncto, revixit festi illius celebratio, Calendis Januarii fieri solita, cujus superiori adhuc Seculo restabat nonnihil reliquiarum. Est, qui peculiarem de hoc festo condidit librum, quem laudabimus alias. Judæis licentia redeundi in Gallias fuit indulta A. 1198. Rex Angliæ *Richardus* Parisiis A. 1201 fuit susceptus. Ordo religiosus Trinitariorum, seu Mathurinorum, A. 1208 Parisiis cepit primordia, cum universitas scientiarum ibi præcipue floreret. *Amalricus*, Professorum numero adscriptus, docuit, Christiani cujuscunque esse officium ac partes, ut membrum ipse sit Jesu Christi. Jussu autem Pontificis Romani palinodiam cecinit, unde patescit, jam tum plerisque persuasam fuisse illam de fide atque fidelitate animorum fluctuationem. *Aristotelis* libri A. 1210 Parisiis fuerunt combusti, scilicet metaphysici. Mœnium Parisiensium pars & septentrionalis & meridionalis A. 1211 fuit exstructa, eaque satis eximia. Qua ratione urbs non solum fuit communita, sed etiam dilatata. Professores Parisienses, male habiti a Regina & Episcopo Parisiensi, secesserunt

Pag. 118. 127. 132. 138. 157. 161. 194.

Aureliam ac Andegavum, Academiarum ibi fundatores. Dominicani inter hæc Parisiis compararunt sibi cathedræ secundæ theologicæ possessionem. *Albertus M.* inter primos exstitit Dominicanos, qui inibi Theologiam ac *Thomam Aquinatem* docuerunt. *Gregorius IX* Pontifex tandem restituit Academiæ Parisiensi honorem, eumque commendavit ita Regi & Regi-
Pag. 197. næ, ut privilegiis novis studiosi A. 1231 ornarentur. Comes Tolosanus, Waldensium antehac tutor, A. 1229 Parisiis indusio amictus, nudisque incedens pedibus, in templo S. Virginis publice egit actorum pœnitentiam, & cum ecclesia Romana pacem reconciliavit. Quatuor Professores Parisienses fundarunt in diœcesi Lingonensi, ejusque valle sterili, templum S. *Catharinæ*, nominatim *Guilielmus*, *Richardus*, *Everhardus*, & *Menasses*, Prior primus Ordinis, cui successit *Guido*. A. 1629 Ordo hic regularis, S. *Catharinæ* consecratus, abiit in colle-
204. gium Canonicorum regularium. Monasterium Minoritarum Parisiis A. 1216 surrexit novum. Ordinem approbavit *Inno-*
207. *centius III.* Famosi floruerunt inibi Scholasticorum principes, ac inter eos Alexander *Halensis* caput extulit, a Villa Hales in Comitatu Gloceſtrienſi, intra Angliam sita, cognomen sortitus, Parisiisque A. 1245, 21 Aug. defunctus. *Nicolaus de Lyra*, mortuus A. 1349, eodem est referendus æque ac *Joannes Scotus*, qui appellatur *Subtilis*. Filiabus Dei *Guilielmus*, Episcopus
209. Parisiensis, A. 1216 dedit initia, quæ jam in platea S. *Dionysii* sedem habent. Clavus Servatoris, a *Carolo Calvo* Abbatiæ donatus, A. 1233 pro amisso reputabatur, illachrymantibus amissui universis Parisiensibus, tandemque denuo inventus. *Ludo-*
215. *vicus Sanctus* A. 1238 fundamenta templi S. *Nicolai*, intra palatii suam aulam sita, instauravit. Vocatur illud nostra ætate *la Sainte-Chapelle*. Idem Rex A. 1241 multas emit ab Imperatore Constantinopolitano *Balduino* reliquias sacras, easque illi intulit sacrario. Inter Canonicos *Capellæ* hujus *sacræ* flo-
219. ruerunt eruditione *Joannes Mortis Cantor*, *Philippus des Portes*, Carnutensis, Poeta, qui Reges *Henricum III* ac *IV* expertus fuit perbenignos, mortuus A. 1606, *Joannes Gillot*, qui una cum *Rapino*, *Leroi*, & *Passerato*, librum, *Catholicon d'Espagne* inscriptum,

ptum, elaboravit, mortuus A. 1619, *Ægidius Dongois*, & *Carolus de Tronchai*, in antiquitatibus verſatiſſimi, præcipue eccleſiæ ſuæ momenta callentes, ac *Jacobus Boileau*, Doctor Sorbonicus, frater *Nicolai Boileau*, patris poematum elegantiorum inter Gallos. Collegium primum Bernhardinorum A. 1724 Pariſiis fundavit *Stephanus*, Lexintonenſis, Anglus, ac Clarevallenſis Abbas, id potiſſime ſpectans, ut Monachos obtineret doctos. *Guilielmi*, Pariſienſis Epiſcopi, opera Aureliæ A. 1649 in lucem prodierunt, defun- Pag. 225.
cti A. 1240. Paulo poſt, nempe anno primo Epiſcopatus *Renaldi*, qui *Guilielmo* ſucceſſit, *Robertus*, *de Sorbonne* dictus, Collegii fundamenta jecit, quod ab ipſo vo-
catur *Sorbonicum*, & Academiæ Parienſis pars eſt il- 229.
luſtriſſima. *Ludovici Sancti* iter cruciatum, non eſt, quod attingamus. Cur Reges Ducesque aliquot in veſtitu monaſtico 243.
fuerint mortui, cauſa intelligitur ex notitia de obitu Reginæ *Blancæ*, Pariſiis A. 1252, 1 Dec. demortuæ. Ipſa enim, morbo implicata, votum nuncupavit, fore, ut ipſa, ſi convaleſceret, in Cœnobio, quod vocatur *de Maubuiſſon*, religioſam ageret; ac e veſtigio habitum ſumſit, religioſis Cœnobii illius proprium. *Ludovici* reducis edictum de Talmude Judæorum concremando, ac ſigno togis ipſorum aſſuendo, utique eſt commemorabile. *Philippus Audax*, *Ludovici Sancti* filius, Judæos omnes, per Galliam diffuſos, ſervituti addixit, ac mancipiorum conditionem eos juſſit ſubire. *Ludovicus Sanctus* cu- 253.
ravit Biblia & Patrum ſcripta deſcribenda, atque in ædiculam aulicam, ſeu ſanctam, reponenda, exemplo Domini Saracenici incitatus, qui optimos Philoſophorum libros in Ægypto curaverat in uſus doctorum deſcribendos. Academici Pariſienſes litigabant adhuc cum Jacobinis, Dominicanosque a ſuo corpore, ſeu collegio, ibant excluſum. Lis a Papa aliter ac ab arbitris, a Rege ſtatutis, fuit tractata. Liber, cui erat inſcriptio *Evangelii æterni*, tribuebatur *Joanni Parmenſi*, Capucinorum dire- 284.
ctori generali, juſſuque Pontificis damnationi ſubjectus, comburebatur. Circa annum 1257 Carthuſiani Pariſiis ſedem ſibi 289.
delegerunt, *Brunone*, Canonico Rhemenſi, auſpice, rebus vagis renun-

renuntiantes invitatu Regis. Eodem tempore ſervi Virginis *Mariæ de Monte Viridi*, genus mendicantium, A. 1285 Maſſilia ex parte conceſſerunt Lutetiam Pariſiorum. Ordo ipſo-
Pag. 296. rum A. 1274 a *Gregorio X* in Concilio ſecundo Lugdunenſi fuit ſublatus. Succeſſerunt in ſedes ipſorum Guillelmitæ, exorti a *Guilielmo*, qui A. 1151 ſodales prope Senas congrega-
302. vit, mendicitatis vitæque ſolitariæ ſtudioſos. *Ludovicum Sanctum* exſtitiſſe fundatorem monaſterii Beguinarum Pariſienſium, quod *Ave Maria* appellatur, fama eſt. Munificus ipſe fuit erga xenodochium S. Virginis, vulgo *hoſpitium Dei* dictum. Expeditionem cruciatam reſumere noluit, cauſatus, Chriſtianos Palæſtinos eſſe bipedum nequiſſimos, ac Saraceni-
323. corum ſtratagematum architectos. Ipſe Præpoſito Pariſiorum A. 1261 majorem dedit uſurpandam poteſtatem. Reliquiæ S. *Amandi* A. 1267 Pariſiis inventæ. A. 1270 Rex expeditionem cruciatam denuo ſubiit, fruſtraque prope Carthaginem exſcenſione facta, oppetiit mortem peſte. *Libri quarti* pri-
503. mordia inchoantur a ſucceſſione *Philippi Audacis*; qui humeris ſuis funus patris inde a Pariſiis uſque ad ſepulturæ locum deportavit. *Thomæ Aquinatis* de doctrina A. 1274 in Academia Pariſienſi diſputatum fuit in partem utramque. Societas Chirurgorum circa id tempus Pariſiis fuit penitus ſtabilita. Fœmina Judaica dicitur A. 1290 panem euchariſticum conſecratum ſcalpello, ſeu acicula, pupugiſſe, ſanguinemque flu-
370. xiſſe exinde, tradunt. Aſſervatur Pariſiis in templo S. *Joannis* hic panis, ac octava S. Sacramenti celebratur ſolenni anniverſaria proceſſione. *Ludovicus Sanctus* A. 1297 cœlitibus adorandis fuit adſcriptus. Bellum Flandricum dimittimus intactum. Munera publica venum expoſuit primus A.
395. 1522 *Franciſcus* Rex hortatu Cardinalis Pratenſis. Parlamenti viciſſitudines ac conditionem præſentem juvat apud Autorem legiſſe. Idem fuſe commentatus fuit de dignitate
411. ac vario ſtatu Cancellarii Galliarum, addiditque nonnihil de reliquis ſummis adminiſtrorum Regis Pariſienſium muniis. Intelligitur procul dubio, quantam diligentiam ſpiret hoc Opus, & quantum lucis inde diffundatur ad ſcripta, quibus res,

vel

vel loca, Parisiensium veteris & medii nostrique ævi attinguntur. Si qui pleniorem de Parisiis circumspiciunt cupiuntque notitiam, eorum esse, huc curas suas convertere, & ex his fontibus sitim restinguere, nobis etiam non monentibus quilibet animadvertit.

IL MARMO ILLUSTRATO, &c.
id est,
MARMOR ILLUSTRATUM, SEU DISSERTATIO epistolaris de antiqua Inscriptione Gordiani III, scripta ad APOSTOLUM ZENUM, Historicum & Poetam Imperatoris CAROLI VI, consecrata gravissimo Consilio & illustrissimis Dominis delegatis inclytæ civitatis Vincentiæ.

Patavii, apud Joan. Bapt. Conzatti, 1735, 4.
Alph. 1 plag. 17.

Michaelis Angeli Zorzi hoc est monumentum, antiquitatis Romanæ peritia coruscum, atque ita instructum, ut artificem suum mirifice nobilitet. Inscriptio, Venetiis A. 1717 protracta, libro præbet argumentum, edita in *Ephemerid. literar. Italiæ Tom. XXIX pag. 217.* Ipsam ediderant jam *Aldus Manutius* & *Velserus rerum Augustan. Vindelic. Lib. VIII pag. 230, Gruterus* in Opere *Inscriptionum pag. 272*, & *Marzari* in libro, *Istoria di Vicenza* inscripto, *Lib. I pag. 22.* Est ea hujusmodi: *Imp. Cæs. M. Antonio Gordiano. Pio. fel. Aug. P. P. Cos. II. Procos. Tribun. potest. V. Pont. maximo. respublica. ex. liberalitate. Matidiarum. d. d.* Frustra vocem *Matidiarum Gruterus* mutavit in *Mattidiarum*; nam non una in numis quoque legitur *Matidia.* Notavit id ipsum jam *Spanhemius de Præstantia & usu numismatum antiquorum Tom. I pag. 92.* Ipse *Gruterus* alibi *Matidias* scripsit *pag. 252* & *1085 n. 3, 4*, licet *pag. 1085 n. 5* reposuerit *Mattidian. Marciana* Augusta, *Trajani* Imperatoris soror, filiam peperit *Matidiam*, quæ *Hadriani* Imp. uxorem & Augustam *Sabinam* in lucem edidit, ipsa *Augustæ* honorificen-

Pag. 2. 5. 16.

rificentiſſimo nomine affecta, & poſt mortem inter divas relata. Romæ in tubo plumbeo, prope Pantheon reperto, inſcri-
Pag. 17. ptum fuit: *Templo Matidiæ.* Qui *Gordianum* appellant *Antoninum*, in gravi verſantur errore. Ipſe enim in numis uni-
21. verſis vocatur *Antonius*, licet in *Capitolino* ac nonnullis Inſcri-
23. ptionibus legatur *Antoninus*. Quo diligentius evitare oportet errorem *Ughelli*, in cujus *Italia ſacra Tom. V col. 1027* Inſcriptio noſtra legitur, ac loco vocis *Antonio* vox *Antonino*.
26. *Gordianus* pater filiusque in Africa imperare cœperunt A. 237, 12 April. inde *Africani* cognomen adepti. Imperarunt, teſte *Capitolino*, anno uno, menſibus ſex. *Gordianus III* ſa-
40. lutatus itaque fuerit oportet Auguſtus anni 238 æſtate. *Julias* Auguſtas Cel. Autor ita diſcernendas eſſe docet:

Herodianus ac *Dio* omittunt dicere, *Antonino* matrem in uxorem obtigiſſe. Eſt itaque, qui, *Spartianum*, id affirmantem, fefelliſſe, ſibi perſuaſit, promta hac erroris ratione, quam retulit *Herodianus*, matrem *Antonini Caracallæ* ab irriſoribus di-
47. ctam fuiſſe *Jocaſten*, non ob inceſtum, ſed ob odium inter filios & parricidium, ſeu fratricidium. *Triſtanus* & Cl. Autor huic ſententiæ accedunt. Tacent certe de nuptiis illis inceſtuoſis nummi, marmora, inſcriptiones. *Triſtanus* abſolvit primus *Caracallam Comment. hiſt. Tom. II pag. 115*, quem ſecutus
51. fuit *Fabrettus Inſcript. antiq. Cap. 10 pag. 680. Marcus Antonius* Imperator vocatur in Inſcriptione AUG. id eſt, *Augur*, non

Augu-

Augustus, annotante *Car. Orsato* in libro *de Notis Romanorum pag. 307.* Est, qui, Christum esse natum, putat, A. V. C. 748, & cruci affixum 782, ita ut Æra Dionysiana quinque annis serius posuerit natalem Christi. Significamus Cel. *Camillum Silvestri.* Chronologiam imperii *Augusti Octaviani* jam omittimus, lectu dignam. *Dominicum Flaccum* (Fiochi), Florentinum, Secretarium Pontificium, Canonicæ vitæ admotum Florentiæ A. 1427, & A. 1452 mortuum, scripsisse nomine *L. Feneſtellæ* librum *de Magistratibus Sacerdotiisque Romanorum*, hic comprobatur. De titulo *Augusti* memoratu digna afferuntur, quæ nunc omittimus. Idem de titulo patris patriæ faciendum existimamus, quem primus *Cicero* recepit, teste *Plinio VII, 30*, ac *Juvenali Sat. VIII v. 244.* Proconsulis de titulo multa monentur æque ac de nomine Pontificis Maximi. *Augustus* nomen Pontificis Maximi primus Imperatorum gessit ex decreto Senatus, qui sanxerat, ut filius, qui *Cæsari* nasceretur, aut adoptivus esset, evaderet Pontifex Maximus, ut est apud *Dionem Lib. XLIV.* *Gordianorum* hoc fuit genus:

Pag. 56. 102. 108. 135.

Gordianus I.

Gordianus II. — *Metia Faustina*, nupta *Junio Balbo* Consulari.

Gordianus III.

Flaviorum quoque genealogia hic exhibetur *pag. 208.* Mirum sane, hic etiam de lucernis sepulchralibus veterum & lachrymatoriis exponi. Celeres qui vulgo dicti, id est, singularibus equis stipendia merentes, dicendi sunt Celetes; Græcis enim Κέλητες fuerunt appellati. Guttulas hasce ex oceano, antiquitatum plenissimo, hausimus, nunquam laudes Autoris obliturі, quibus sese marmore hoc illustrato illustravit.

237. 296.

VITÆ PONTIFICUM ROMANORUM, EX Antiquis monumentis collectæ, opera & studio ANTONII SANTINI, J. U. D. & in Seminario Patavino Bibliothecæ Custodis.

Digitized by Google

Patavii, typis Seminarii, apud Jo. Manfre, 1739 8. Alph. 2 plag. 3.

Autor Conſultiſſimus dedicavit has Vitas *Joanni*, Archiepiſcopo *Minotto Ottoboni*, Epiſcopo Patavino, cujus nomini ante octo annos *Hiſtoriam Apoſtolicam* inſcripſerat. In Secul. I. Præfatione memorat, Vitas Pontificum Romanorum eſſe continuatam ſeriem rerum eccleſiaſticarum, cui præcipuos Autores, qui ſymbolam contulerunt, eorumque editiones, annectit. Initium operis facit a Jeſu, Pontifice maximo in æ- Pag. 3. ternum. Poſtea S. *Petrum* Chriſtianorum primum Pontificem conſtituit, qui 25 annos Romæ Epiſcopus fuerit, donec 8, 9. *Nero* eum cruci affixerit. *Petrum* ſequebatur *Linus*, qui caviſſe dicitur, ut mulier velato capite eccleſiam ingrederetur. Juſſu *Saturnini*, cujus filiam a dæmonum vexatione liberaverat, morti datus perhibetur. In *Cleti* recenſione refellit eo- 11. rum opinionem, qui formulam: *Salutem & Apoſtolicam benedictionem*, ei tribuerunt, quæ *Joanni V* & *Sergio I* potius vindi- 13. canda eſt. *Clementis I* ſcripta ſuppoſititia judicat, præter Secul. II duas Epiſtolas ad Corinthios. *Anacletus* ædem ſacram di- pag. 14. cavit *Petro*; Martyr mortuus eſt. Hunc ſequebatur *Evariſtus*, de quo eſt opinio, quod conſecrationem eccleſia- 15. rum induxerit. De *Alexandro* refert, quod non decre- 17. verit, Euchariſtiam ex pane azymo confici; ſed quod azymorum uſus ad euchariſtiam conficiendam ex Apoſtolorum 18. traditione in Latina eccleſia ſemper viguerit. *Sixtus I*, triſagion Sanctus, Sanctus, Sanctus, in miſſæ ſacrificio, ut popu- 20, 22. lus ardentius cantaret, præcepit. *Teleſphorus* Martyr dicitur. *Hyginus* Clericis certa officia tribuit, & conſtituit, ut unus 23. vir & una mulier teſtes eſſent baptiſmatis. *Pius I*, non conſtituit, ſolennia diei paſchatos feſti die dominico eſſe cele- 24. branda. *Anicetus* ſanxit, ut ne Clericus comam aleret. Contentionem habuit cum *Polycarpo* de celebrando die Paſchatos 25. ſacro, quam utriusque mors diremit. *Soter* Chriſtianis ad metalla damnatis bene fecit, & peregre advenientes affectu 26. patris accepit. *Eleutherus*, mandato Regis Britannorum, Bri- 27. tannos Chriſti præceptis imbuendos curavit. Sub *Victore I* controverſia

Digitized by Google

troverſia de legitimo die celebrandi paſcha fuit agitata. Voluit, ut die dominico illud celebraretur, nec 14 die poſt novilunium. Unde diſſidium eſt ortum inter Chriſtianos orientis & occidentis eccleſiæ. *Zephyrinus* conſti- Secul. III
tuit, ut omnes ſacerdotes adſtarent, Epiſcopo ſacra fa- pag. 31.
ciente. Montaniſtarum ſectæ non favit. *Calliſtus I* ædem 33.
ſacram *Mariæ* dedicavit trans Tiberim, & cœmeterium 35.
in via Appia, in quo martyres & ſacerdotes conderentur,
conſtituit. *Urbanus I Ceciliam* cum ſponſo *Valeriano* ad 36.
Chriſtianorum ſacra transduxiſſe, nec Sacramentum confirmationis inſtituiſſe, & obtruncato capite obiiſſe, dicitur. *Pontianum Alexander* Imper. in Buccinam inſulam relegavit, qui, *Maximi* juſſu, virgis ad mortem cæſus eſt. *Anterus* acta Marty- 38. 39.
rum in tabulario eccleſiæ aſſervari juſſit. *Fabianus* urbis re- 46.
giones ſeptem Diaconis diſtribuit, & martyrium pertulit. *Cornelii* tempore Synodus Romæ ſtatuit, ut lapſi extra mortis
periculum non, niſi peracta pœnitentia, in communionem reciperentur. Martyr mortem oppetiit tormentorum genere,
quod *plumbatum* dicebatur. *Lucius I* decrevit, ut Epiſco- 47.
pum duo Presbyteri & tres Diaconi comitarentur, vitæ &
actionum teſtes. *Stephanus I* ratum habuit baptiſma, ab hæ- 48.
reticis rite ordineque, & in nomine Jeſu Chriſti, ſuſceptum
& adminiſtratum. *Sixtus II Dionyſius* Presbyteris eccleſias 53, 55.
diviſit, cœmeteria & parochias, diœceſes, conſtituit. Crimen Sabellianum objectum ore & ſcriptis a ſe diluit. *Felici* 56.
I ritus ſacrificia faciendi ſuper ſepulchra & memorias Martyrum acceptus fertur. *Eutychianus* fabas & uvas ſuper altari 57.
ſacrandas ſanctione cavit, itemque, ne quis Martyrem ſepeliret ſine Dalmatica, aut Colobio purpureo. *Cajus* vetus ec- 59.
cleſiæ de ordinum numero ſeptenario ad Epiſcopatum inſtitutum confirmaſſe dicitur. *Marcellinus*, metu mortis adductus, 60, 61.
idolis thura incendiſſe, & paulo poſt, acta pœnitentia, obiiſſe,
fertur. Lapſum eſſe per errorem, teſtimoniis evincitur, nec
eo quid *infallibilitati*, Pontificum, ut vocant, detrahi ſtatuitur. *Marcellus I*, quia idolis ſacrificare nolebat, in catabu- Secul. IV
lum, ſeu ſtabulum animalium, condemnabatur, & ob diſcipli- pag. 63.

Pag. 65. nam pœnitentiæ ſervandam in exilium ejectus eſt. Sub *Euſebio* crucem Domini non fuiſſe repertam, ſed ſub *Silveſtro*,
66. memoratur. *Melchiades* Donatiſtarum ſchiſma in Synodo Romæ damnavit, Chriſtianis die dominica, aut feria quinta, jejunio interdixit. Candelabrum in altari jam inde ab Apoſto-
69. lorum temporibus in uſu fuiſſe, tradi[illegible]. *Silveſter I* die dominico fuit inauguratus; qui mos deinde fuit retentus. Ab eo *Conſtantinus*, Imperator, fuit baptizatus. Sacrificium Miſſæ in lineo, non in ſerico, faciendum eſſe juſſit. Concilium
72. Nicænum I, ſive œcumenicum, habuit ad *Arii* doctrinam refutandam, negantis, Dei filium eſſe patri ὁμοούσιον, conſubſtan-
74. tialem. Primus omnium Pontificum tiara ornatus pingitur.
75. *Marcus* inſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat urbis
77. Epiſcopum, pallio uteretur. *Julius I Athanaſium*, crimine Arianæ impietatis ab Euſebianis, Arianorum patronis, accuſatum, abſolvit, & literis *communicatoriis*, ſeu Pontificis, muni-
79. tum ab ſe dimiſit. Hinc mentio fit Concilii *Sardicenſis*. *Li-*
82, 83. *berius* varia fortuna uſus eſt. Dignitate pontificia privatur a *Conſtantio*, Imperatore, qui partibus Arianorum favebat, quam, *Felice* expulſo, biennio poſt recuperabat, cum eorum ſen-
84. tentiæ ſubſcriberet. *Felici II* a tribus Arianis Epiſcopis in
86. ordinatione fit impoſitio manum. *Damaſus I* odium & invidiam experitur, dum alius, *Urſinus* nomine, ſeu *Urſinus*, Pontifex fit; unde cruenta ſeditio fuit orta. Concilium habuit contra *Apollinaris* ſectatores, contra *Macedonium*, hæreticum, qui Spiritus S. deitatem negavit, & Dominum conſervum prædicabat. Unde Concilium œcumenicum
90. II, ſive Conſtantinopolitanum I, ortum eſt. *Hieronymi* opera uſus eſt in exarandis epiſtolis. Liber pontificialis a *Damaſo* non fuit compoſitus. *Siricius* initio Pontificatus ſcripſit epiſtolam ad *Himerium*, Epiſcopum Tarraconenſem, de diſci-
94. plina eccleſiaſtica, quæ varii eſt argumenti. *Anaſtaſius I Origenem*, ejusque libros impios, *Periarchon*, *Ruſinum*, *Origenis* ſectatores, diris devovit. Sanxit, ut in recitatione Evange-
Secul. V liorum ſacerdotes non ſederent, ſed, ad modeſtiam animi de-
pag. 96. clarandam, curvi ſtarent. *Innocentius I* hæreſin Pelagianam disjecit.

disjecit. Novatianos Romæ primus persecutus est, eisque Pag. 100.
multas ecclesias ademit. *Zosimus* Pelagianos ex urbe pepulit,
& hæreticos habuit. Usus cerei paschalis ei tribuitur. *Bo-* 103.
nifacius I edixit, ne cui mulieri, aut Deo dicatæ virgini, pal-
lia sacrata, sive pallam sacratam, contingere, aut lavare, liceret;
nec thus in ecclesia adolere, ne servus, aut curiæ obnoxius,
vel cujuslibet rei, Clericus fieret. *Cælestinus I* Nestorianam 106.
impietatem detestatus est. Semipelagianos compescuit. Con-
cilium œcumenicum III, sive Ephesinum, fuit habitum. Con-
stituit, ut Psalmi *Davidis* centum quinquaginta ante sacrifi-
cium psallerentur antiphonatim ex omnibus. *Sixtus III* Con- 111.
cilium Ephesinum confirmavit, & *Nestorii* errores sustulit. Pe-
lagianæ hæresis fuit oppugnator. *Leo I* Magnus hæresin Eu-
tychianam oppressit. Concilium œcumenicum IV habuit.
Attilam, Hunnorum Regem, flagellum Dei, facundia sua
mansuefecit, ut exercitum deduceret ex Italia. Hæresi Ne-
storianæ, vel Eutychianæ, se opposuit. *Genscricum*, Vandalo-
rum Regem, ab incendio Rom. & cædibus deterruit. Vetuit
Christianos peccata sua palam confiteri. *Hilarius* Concilium 119.
Nicænum, Ephesinum, & Chalcedonense, confirmavit. *Nesto-*
rium & *Eutychem* anathemate compescuit. Hæreticos Macedo-
nianos profligavit. *Simplicius* Eutychianorum hæresi restitit. 120.
Oblationes fidelium ita divisit, ut una pars esset Episcopo,
altera Clero, & duæ partes ecclesiæ, in usum peregrinorum &
pauperum. *Felix III Zenonis* Henoticum rejecit. Episcopos, 123.
prævaricationis convictos, a munere abrogavit. *Fullonem* de-
vovit, quod vocem ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, qui cruci affixus
est pro nobis, trisagio addidisset. *Gelasius I* Concilia œcume- 125.
nica IV rata & sancta esse jussit. Pelagianam hæresin, pro-
pullulantem in Dalmatia & Piceno, devovit, & scriptis refutavit.
Qui in Eucharistia calice abstinerent, hos voluit haberi Mani-
chæos, abhorrentes a vino. Lupercalia sustulit. Codicem de
missarum solennibus edidit. Præfationes & orationes Sacra-
mentis præmisisse dicitur. *Anastasius II Chlodoveo*, Franco- 129.
rum Regi, de fide Christiana & suscepto baptismate gratulatus
est. *Symmachus Odocaris* constitutionem abrogavit, qua ve- 131.
tabatur,

tabatur, ne Pontifex, inſcio Rege Italiæ, crearetur. Sanxit, ut nemini liceret, prædia eccleſiarum, ſub perpetua alienatione, vel commutatione, ad cujuslibet jura transferre. Concilium Palmare, a Palmaria, porticu baſilicæ S. *Petri*, dictum, habuit. Manichæos Roma ejecit. Conſtituiſſe fertur, ut ne
Secul. VI ſingulis diebus dominicis, vel natalitiis Sanctorum, Gloria in
pag. 135. excelſis Deo diceretur. *Hormiſda* ſchiſma Acacianum ſuſtulit. Propoſitionem: unus de Trinitate cruci affixus eſt
137. carne, rejecit, novam & ambiguam. *Joannes I* Conſtantinopolim ad *Juſtinum* Imperatorem miſſus eſt, ut tria petat ab eo, 1) ut Ariani, qui compulſi legibus *Juſtini* Imp. catholicam religionem amplexi erant, ad ſectam ſuam redirent; 2) ut Arianis eccleſiæ in Oriente reſtituerentur; 3) ne quis in poſterum cogeretur Arianorum ſectam ejurare. Redux Ra-
139. vennam, a *Theodorico* in carcerem conjectus, deceſſit. *Felix IV* ſemipelagianis ſe oppoſuit. Munificus in egenos, ædificandis
140. & ornandis Martyrum baſilicis fuit deditus. *Bonifacius II* ſemipelagianis finem fecit. Licentia Regum Gothorum in deſignandis Pontificibus fuit abrogata. *Joannes II* ſimoniæ vi-
142. tium in eligendis Epiſcopis & Pontificibus ſuſtulit. Formulam monachorum Scytharum, ab *Hormiſda*, Pontifice, rejectam, ſua autoritate ratam iterum habuit: Unus de Trinitate cruci
144. affixus eſt carne. *Agapetus I* ſupplicationibus de Duce *Beliſario* e Sicilia revocando apud *Juſtinianum* nihil effecit. *Sil-*
146. *verius* opera *Theodoræ*, Auguſtæ, Pontifex creatur. *Beliſarius* eum, Romam profectus, proditionis inſimulavit de urbe Gothis tradenda. Cum Concilium Chalcedonenſe nollet damnare, in exilium Pataram Lyciæ miſſus eſt, eique *Vigilium* ſubſtituit, qui *Silverium* in inſulam Palmariam deducendum curavit, ubi aut inedia conſumtus, aut telo confoſſus, periit. *Vigilius* anathema in *Anthimum* aliosque Acephalos
149. redintegravit. Damnavit tria capitula, ab antiſtibus Occidentis excogitata, tribus capitulis; quod decretum fuit appellatum *judicatum*; ab aliis *conſtitutum*. Huic ſe *Juſtinianus* oppoſuit, habitumque eſt Conſtantinopoli Concilium œcume-
156. menicum V. *Pelagius I*, aſſentiente *Juſtiniano*, dignitatem Ponti-

Pontificis obtinuit. Africanos & Illyricos Episcopos, etiam Italos, ad damnationem trium Capitulorum impulit. Hæreseos suspicionem apud Gallos a se declinavit, dum epistolam S. *Leonis* & Concilium Chalcedonense comprobavit. *Joannes III* acerrimus fuit quintæ Synodi defensor. Eo tempore Longobardi in Italia novum regnum condiderant. *Benedictus I* comprobavit Synodum œcumenicam. *Pelagius II* permisit, sedem metropolitanam transferri Gradum. In Concilio Gradensi Concilium œcumenicum V non fuit approbatum. Subdiaconis Siciliæ legem continentiæ indixit. Domus ejus erat in xenodochium conversa, in quam pauperes, inprimis senes, recipiebat. *Gregorius I Magnus* Pontificis honores invitus suscepit. Hispanis permisit, ut una tantum immersione Baptismi Sacramentum administraretur. Prohibuit, ne Judæi ad religionem Christianam cogerentur. *Servum servorum Dei* se primus in epistolis scripsit. Baptismum, ab hæreticis in nomine S. Trinitatis institutum, ratum esse jussit. Cantus ecclesiasticus, qui *Gregorianus* dicitur, habet inde denominationem. Elogium *Ildefonsi*, Toletani, in eum fuit hoc: Vicit sanctitate *Antonium*, eloquentia *Cyprianum*, sapientia *Augustinum*. *Sabinianus* campanarum usum inveniisse fertur. De *Bonifacio III* duo habentur memorabilia: 1) pœna cavit, ne agi liceret de successore Pontificis Romani & cujusvis Episcopi, nisi post diem tertium ab ejus morte; 2) quod a *Phoca* Imperatore obtinuerit, ut nomen Episcopi esset unius Pontificis Romani, ut frangeret temeritatem *Cyriaci*, Episcopi Constantinopolitani. *Bonifacius IV* Pantheon, in cultum Deorum omnium ab *Agrippa* exstructum, consecravit honori B. Virginis & omnium Martyrum. S. *Deusdedit* Romæ, elephantiasi grassante, ægrotum osculo incolumitati pristinæ restituit. *Bonifacius V* statuit, Christum a solo peccato originali nos redemisse. *Honorius I* hæresin Monotheliticæ in ipso ortu exstinguere non valuit. Novæ contentionis memoriam delevit, num una, an duplex, in Christo esset voluntas & operatio. Monothelitis tandem faviisse videtur. *Severinus* Monothelitarum hæresi non subscripsit, quæ Ecthesis

Pag. 158.

159, 160.

163.

Secul. VII pag. 171.

174.

175.

176.

177.

178.

182.

Pag. 183. vocabatur. *Joannes VI* paſcha more Ebræorum celebrari noluit. Monothelitæ hæreſin condemnavit. *Conſtans, Conſtantini* filius, ectheſin igne cremavit. *Theodorus I* Monothelitis reſtitit. 186. In *Pyrrhum* devotionis formulam, intincto in Chriſti ſanguinem calamo, ſcripſit. *Martinus* Monothelitas, eorumque dogmata, ectheſin *Heraclii*, & typum *Conſtantis*, deteſtatus eſt. Cruciatuum exemplo in eum edito, in Cherſoneſum Thraciam deportatur, ubi, ærumnis confectus, obiit. 189. *Eugenius I* eluxit virtutibus & munificentia in pauperes. *Vitalianus Conſtantem* a Monothelitis abalienare annisus eſt. 191. Imperatoris hæretici *Conſtantis* librum Evangeliorum, auro gemmisque ornatum, lubens accepit. *Adeodatus* privilegium, 192. a *Crotperto*, Turonenſi Epiſcopo, conceſſum monaſterio S. *Martini*, ratum habuit. 193. *Donus I* ſedi Petrinæ Ravennatem eccleſiam ſubjecit. Archiepiſcopus *Reparatus*, cujus deceſſor *Maurus*, Exarchorum fretus potentia, Romani Pontificis obedientiam abjecerat. 194. *Agatho* ad aſſerendam veram Pontificiorum doctrinam errores Monotheliticos aperuit. A *Conſtantino* per *divalem juſſionem* impetravit pecuniæ remiſſionem, quæ Pontificibus, recens electis, pro electionis confirmatione ſolvenda erat. 197. *Leo II* ſextum Concilium contra Monothelitas habuit, cujus acta legati Romam detulerant. *Benedictus III* 199. habuit ſextum Concilium œcumenicum, quod Hiſpani Epiſcopi comprobarunt. Ei commendavit *Conſtantinus* filios 201, 202. ſuos, *Juſtinianum* & *Heraclium*. Electionem & conſecrationem Pontificis ſine ullo imperatoris, aut Exarchi, conſenſu in poſterum fieri debere, decretum eſt. 203. *Joannes V* laboravit diutino morbo, itemque *Conon*. *Sergius I* factam ab Epiſcopis Hiſpanicis in Concilio Toletano expoſitionem earum ſententiarum, quas *Benedictus II* clarius explanari juſſerat, per legatos comprobavit. Canonibus Synodi Conſtantinopolitanæ, in Trullo celebratæ, non aſſentitur. Ad ſchiſma Iſtricum exſtinguendum omni fertur 207. cogitatione. Supplicationes, ſeu litanias, certis diebus ha-

Sec. VIII. beri juſſit. *Joannes VI* non utitur gratia *Tiberi Apſimari*, Im-

pag. 208. peratoris Conſtantinopolitani. *Joannes VII* Canones Synodi Quiniſextæ nec probavit, nec condemnavit. Eo regnante,

Ari-

Digitized by Google

Ariperius, Rex Longobardorum, donationem patrimonii Alpium Cottiarum Romanæ ecclesiæ restituit, eamque *Luitprandus* confirmavit. *Sisinnius* magnos spiritus habebat in corpore arthritide confecto. *Constantinus* a *Justiniano* magni habetur, qui, coronam gestans in capite, pedes ejus exosculatus est. Monothelitarum hæresin rejecit. *Gregorius II* extinxit Anglicanum 150 annorum schisma. *Leonem Isaurum*, bellum inferentem sacris imaginibus, earumque cultoribus, ad meliorem frugem revocavit. Longobardum autoritate sua ita flexit, ut ad ejus pedes provolutus, arma & coronam auream, crucemque argenteam, *Petro* consecraverit. *Gregorius III* defendebat sacras imagines. *Zacharias*, Baptismum ratum habuit, qui his verbis conceptus: Baptizo te in nomine patris, filii, & Spiritu sancta. Regi Francorum *Childerico III* regnum abrogavit, & *Pipinum* in ejus locum substituit. Libros Dialogorum *Gregorii M.* e Latino in Græcum sermonem vertit. *Stephanus II* damnavit cultum sacrarum imaginum. *Pipinum* cum filiis *Carolo* & *Carolomanno* sacri olei unctione inauguravit Regem. Fœdus secundum pacta, inter *Gregorium III* & *Carolum Martellum* conventa, sancivit, ut Pontifex *Pipinum*, ejusque successores, collata Patriciatus dignitate, constituerent patronos & defensores sedis apostolicæ. *Paulus I* rogat *Pipinum*, ut *Desiderium*, Regem Longobardorum, adeat, ut patrimonia, jura, loca, fines, & territoria, diversarum civitatum reipublicæ Romanorum sibi plenissime restituat. Sub *Stephano III* in Concilio Romæ anathemate percussus est falsus Pontifex *Constantinus*, & Pseudosynodus Constantinopolitana adversus imagines damnata est. *Hadrianus I* rogat *Carolum M.*, ut contra *Desiderium*, ditioni ecclesiasticæ infestum, suppetias ferat. Longobardorum regno finis factus est. Concilium generale fuit habitum contra iconomachos, qui Orientis ecclesiam divexaverant. Libros *Carolinos* confutasse dicitur. Literas pontificias, quæ cera primum signabantur, plumbo muniendas decrevit. *Leo III* Patriciatus jura firmat, cujus jure *Carolus*, Francorum Rex, pro ecclesiæ defensione arma sumebat. In Vaticana *Petri* æde *Carolum* die Christi natali

Pag. 110. 211. 212. 215. 217. 221. 226. 228. 232. 238.

Imperatorem Romanorum appellavit, corona decoravit, & oleo ſacro inunxit. Controverſiam de proceſſione Spiritus S. a Filio noluit dijudicare. Additamentum vero non pro-
Secul. IX bavit. *Stephanus IV Ludovico*, Regi Gallorum, ejusque con-
pag. 244. jugi, *Irmingardæ*, coronam auream in Gallia impoſuit; Regem
246. & Reginam conſecravit. *Paſchalis I* amicitiam & pacem cum Rege Fracorum, *Ludovico Pio*, firmat, & ejus filium, *Lotharium*, imperii conſortem, corona regni Longobardici donat.
248. *Eugenius II* ritum inſtituiſſe purgationis per aquam frigidam, a quibusdam fertur. *Valentini* Pontificatus fuit breviſſimus.
250. *Gregorius IV* dignitatem Pontificis judicio cleri populique Romani tandem ſuſcepit. Oſtium urbem novis mœnibus contra Saracenos cinxit, eamque ex ſuo nomine *Gregoriopolin* vocavit. *Sergius II*, os porci appellatus, primus Pontifi-
256. cum nomen minus honeſtum mutavit. *Leo IV* urbis incendium ſigno crucis exſtinxit, & ſerpentem, cujus veneno & adflatu multi perierant, piis exterminavit precibus. *Ludovicum* ſacro oleo Imperatorem conſtituit. Antiquam urbem contra incurſiones Saracenorum nova auxit, quæ *Leonina* vo-
260,261. cabatur. *Joannam* Papiſſam Autor habet fabulam. *Benedictus III* invitus honores ſuſcepit. *Nicolaus I* Magnus, ne Pontifex fieret, egit omnia. Hæreſin Theopaſchitarum exſtinxit. Pervicit, ut *Lotharius*, Rex Lotharingiæ, *Teutbergam* legitimam
266. conjugem reciperet, & reginam haberet. *Hadrianus II* Pontificatum, ſemel ac iterum recuſatum, ſibi imponi patitur. Slavo-
268. nicæ linguæ uſus aliquis in ſacris faciendis fuit. *Joannes VIII* a Saracenis pacem petiit, & penſione annua quinque ſupra viginti
272. millium manu cuſorum argenti redimere coactus eſt. *Marinus I Formoſum*, Portuenſem Epiſcopum, ab exilio revocat, & pri-
275. ſtinæ dignitati reſtituit. *Hadrianus III Photium* execratur. *Stephanus V Photium* in Cœnobium detruſit. Purgationem ſuſtuliſſe dicitur, quæ candenti ferro & ferventi aqua fie-
277. bat. *Formoſi* conſenſu *Arnulphus* capta urbe hoſtes expulit, ſeque ab eo Imperatorem & Auguſtum inungi impetra-
281. vit. *Stephanum Bonifacius VI*, hunc *Stephanus VI* ex-
284. cepit. Is *Stephanus Formoſum* e ſepulchro extrahi, digitisque tribus abſciſſis, in Tiberim abjici, juſſit. Ipſe, carceri inclu-

Digitized by Google

incluſus, ſtrangulatur. *Romanus* acta deceſſoris ſui contra *Formoſum* abrogaſſe dicitur. *Theodorus II* amplexus eſt *Formoſi* cauſam. *Joannes IX* abrogavit acta *Stephani* contra *Formoſum*. Hunc ſecutus eſt *Benedictus IV*, & hunc *Leo V*. *Chriſtophorus*, a *Sergio* comprehenſus, in carcere miſere periit. *Sergius III* ex *Marozia Joannem* procreaſſe dicitur. Secutus eſt *Anaſtaſius III*, Landus. *Joannes X* matrimonium Imperatoris *Leonis* Sapientis, quarta vice initum, habuit ratum. Hinc *Leo VI*, & poſt eum *Stephanus VII*, regnarunt. *Joannes XI* in cauſa eſt, quod Patriarchæ & Epiſcopi totius Græciæ palliis uſi fuerint. *Leo VII* pacem inter *Hugonem*, Regem Italiæ, & *Albericum*, Romæ Principem, compoſuit. *Stephanus VIII* ab *Alberico*, ejusque factione, ita in facie vulneratus eſt, ut in publicum prodire erubuerit. Succeſſit ei *Martinus II*, ab aliis *Martinus III* nuncupatus, *Agapetus II Ottonem*, Germaniæ Regem, arceſſivit ad *Berengarium* ex Italia expellendum. *Joannes XII*, acculatus de gravisſimis criminibus, ab *Ottone* Pontificatu exuitur, in ejusque locum ſurrogatur *Leo VIII*, qui deinde ſententia *Joannis* pſeudopontifex habitus eſt. *Benedictus V* ab *Ottone* Hamburgum relegatur, ubi mortuus eſt. *Joannes XIII*, a Proceribus Romanis dignitate exutus, ſe recepit Capuam. Polonos ad Chriſtianorum ſacra perduxiſſe fertur. *Benedictus VI* a *Francone*, Cardinali, jugulatur. Secuti ſunt *Donus II*, *Benedictus VII*, *Joannes XIV*. *Joannes XV* initium imperii fecit ſolemnibus canonizationibus. *Gregorius V*, *Ottone III* præſente. Romæ Concilium habuiſſe dicitur, in quo Collegium Septemvirorum Imperatori creando inſtitutum fuerit. *Silveſter II* magicis artibus ad hanc dignitatem perveniſſe negatur. *Stephanum*, Hungarorum Ducem, ob ſacra Chriſtiana regio diademate donatum, Regem appellavit. *Joannes XVII* non diu fuit Pontifex. *Joannes XVIII* concordiam ſanxit inter Romanam & Conſtantinopolitanam eccleſiam. *Sergius IV* liberalis fuit in pauperes. *Benedictus VIII* mandavit, ut Symbolum Nicænum in Miſſæ ſacrificio caneretur. *Joannes XIX* vidit priſtinam diſcordiam inter Græcam & Latinam eccleſiam. Secuti ſunt *Benedictus IX*, *Gregorius VI*, *Clemens II*, *Damaſus II*. *Leo IX* ſcita ſanctorum canonum reſtituere conatus eſt. Secuti ſunt *Victor II* & *Stephanus IX*. *Nicolaus II* ſimoniacos

Seecul. X pag. 286. 288, 209. 291. 292, 292. 298. 299. 300. 302. 306. 309. 310. 312. 317. Secul. XI pag. 319. 320, 321. 323. 327, 331. 336. 339, 342.

Pag. 344. niacos & Nicolaitas revocavit ad officium. *Alexander II* con-
351,554. cessit mitræ jus *Wratislao*, Duci Bohemiæ. *Gregorius VII* ve-
hementer egit contra labem Simoniacam, & hæresin Nicolai-
tarum. Regem Poloniæ, *Boleslaum*, dignitate privat. *Victor III* de
358,360. Saracenis triumphavit. *Urbanus II* primum bellum sacrum de-
Secul.XII. crevit. Excepit eum *Paschalis II. Gelasius II*, ab Imperatore *Hen-
rico V* sede motus, in Galliam migravit, ubi mortuus est.
Pag. 362. *Calliſtus II* controversiam in investituris composuit. *Honorius II*
Germaniæ regnum tradidit *Lothario*, Duci Saxoniæ. Hinc impe-
369. rium ad *Innocentium II* devolutum. *Cœlestinus II* primus Papa fa-
ctus est sine ullo populi interventu. Annectitur vaticinatio de
376. Pontificibus Romanis, ad extremum usque diem futuris. *Lucius
377. II*, rebelles cum e Capitolio vellet ejicere, ictu lapidis periit. *Eu-
genius III*, semper profugus, obiit Tiburę, quo se animi causa re-
380. ceperat. Inde regnavit *Anastasius IV. Hadrianus IV Friderico Æ-
nobarbo* pacis osculum denegat, donec stratoris officium ei præ-
382,388. stiterit. *Alexander III* & *Lucius III* adversa fortuna conflictati
390,392. sunt. Succeſſit *Urbanus III*, & huic *Gregorius VIII. Clemens III* fi-
393. nem fecit seditioni, ab Arnaldistis excitatæ. *Cœlestinus III* Impe-
ratorem consecravit, eumque rursus anathemate damnavit. Sta-
tuit, ut pueri, monasteriis oblati a parentibus, adultiores facti,
395. pro arbitrio discederent. *Innocentius III* primus constituit inqui-
sitores catholicæ fidei adversus Albigenses. Autor fuit belli,
quo, capta a cruce signatis Constantinopoli, Græcum impe-
Sec. XIII rium ad Latinos translatum est. Concilium Lateranense in-
pag. 399. dixit. *Honorius III* Cardinales haberi voluit sacrosanctos.
401. *Gregorius III* A. 1234 promulgavit *Decretales* V Libris. Sacer-
dotes Ordinis *Dominici* esse inquisitores sacros jussit. *Antonium
405. Patavinum* inter cœlites retulit. Excepit eum *Cœlestinus IV. Inno-
408. centius IV* primus rosam auream solenni ritu consecravit. *Alexan-
der IV Guilielmi de S. Amore* librum de periculis novissimorum
temporum damnavit. Veritatem stigmatum S. *Francisci* suo te-
stimonio comprobavit. Electoribus imperii anathema denun-
411. tiavit, si *Conradinum* eligerent, *Friderici II* nepotem ex filio.
Græcæ ecclesiæ, ut concordia cum Latina fieret, concessit,
ut haberent Symbolum sine additamento vocis *Filioque*. *Ur-*

banus

banus IV festum diem corporis Christi quotannis celebrandum jussit feria quinta post diem octavum Pentecostes. *Clemens IV* ante sacerdotium duas filias susceperat, quæ propter dotis tenuitatem non sunt collocatæ. S. *Gregorius X* factionibus Guelphorum & Gibelinorum delendis operam dedit. Cardinales inclusit conclavi. *Innocentius V* primus ex Dominicanis fuit Pontifex. Hunc excepit *Hadrianus V. Joannes XX*, dictus *XXI*, recluſionem Cardinalium abrogavit. *Nicolaus III* ob morum gravitatem dictus est *compositus*. Dicere solebat, doctrinam, vitæ probitate destitutam, venenum esse immedicabile. *Martinus IV* autores conjurationis Siculorum in Gallos damnavit. *Honorius IV* linguas Arabicam, & alias exoticas Parisiis doceri jussit. Constitutionem *Gregorii X* de conclavi abrogasse dicitur. Reditus ecclesiæ Romanæ in duas partes divisit, ut una ad Pontificem, altera ad Cardinales, rediret. *Cœlestinus V* Aquilæ consecrari voluit, quam asello vectus introiit, Regibus Siciliæ & Hungariæ ad fræna præeuntibus. Ratam habuit constitutionem *Gregorii X* de conclavi. Abiit Pontificatu. Ordinis Cœlestinorum autor est. *Bonifacius VIII* primus tiaram cum duplici corona admisit. Jubilæum, remissionis annum, instauravit. *Ludovicum IV*, Regem Galliæ, in Sanctorum numero collocavit. Decretalibus *Gregorii IX* addidit sextum Librum. *Benedictus XI* matrem usitatis vestibus indutam veneratus est. Primus sacra S. *Francisci* stigmata quotannis solenniter coli indulsit. *Clemens V* sedem pontificiam Avenione constituit, ubi annos circiter septuaginta commoratus est. *Cœlestinum V* in censu Sanctorum posuit. Concilium œcumenicum XV Viennæ Allobrogum celebravit. *Joannes XXII* decrevit, eos esse hæreticis annumerandos, qui statuerent, Christum & Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi. Refutat Autor eos, qui eum existimasse, dicunt, animas justorum non nisi post supremum judicii diem visuras esse Deum. *Benedictus XII* ad cognatos & affines dixit: P. R. non habere consanguineos; quibus, cum ab eo honoribus ornari cuperent, respondit: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. *Clemens*

Pag. 414. 416. 419. 420, 421. 422. 425. 427. 429. 432. Sec. XIV pag. 436. 438. 441. 447. 449.

mens VI Avenionem ab *Joanna*, Apuliæ Regina, emit pretio octoginta millium florenorum auri de Florentia. Damnavit
Pag. 451. sectam Flagellantium. *Innocentius VI* dictam urbem Avenio-
452. nem mœnibus fossaque circumdedit. *Urbanus V* Cracovien-
sem Academiam in Polonia instituit, & Bononiensem auxit jurium accessionibus. Mille juvenes studiorum causa in diversis Academiis sustentavit suis sumtibus. Primus tiaram, corona triplici cinctam, gestasse dicitur. De eo falso traditur,
455. quod benedictionem rosæ aureæ instituerit. *Gregorius XI* se-
459. dem pontificiam Avenione Romam A. 1377 transtulit. *Urbanus VI*, cujus ætate schisma ortum est inter Pontifices Ro-
463. manos & Avenionenses ab A. 1378 ad annum 1429, veneno tandem sublatus est. *Bonifacius IX Annatas* instituisse
Secul. XV fertur, a quovis novo Episcopo & Abbate Pontifici Romano
pag. 466. solvendas. *Innocentius VII* Academiam Romanam instaura-
467. vit. *Gregorius XII* schisma non sustulit. *Alexander V* per
470. jocum de se dicere solebat: se divitem fuisse Episcopum, pau-
471. perem Cardinalem, mendicum Pontificem. *Joannes XXIII*
475. mœrore, aut veneno, confectus traditur. *Martinus V*, habito Concilio Constantiensi, doctrinam *Jo. Hussi* & *Hieronymi*
477. *Pragensis* exstirpare voluit. *Eugenii* ætate Concilium Constantiense decreverat, autoritatem Concilii generalis antecelle-
481. re autoritati summi Pontificis. *Nicolaus V* felix fuit in schismate exstinguendo, & rediit pax ecclesiæ. Excidium imperii Græcorum, captamque a Turcis Constantinopolin, graviter tulit.
484. Extorres Græciæ musas liberalissime excepit. *Calliſtus III* legatos misit ad Christianos Principes, ut conjunctis viribus Turcas debellarent, qui, cæsi ad Taurunum, fugati sunt.
486. *Pius II* vetuit, ab sententia Pontificis appellari ad futurum Concilium. *Paulus II* rubro Cardinalium galero rubra addidit capitia, quibus ab antistibus inferioris ordinis secernerentur. Jubilæum quinto ac vicesimo quoque anno celebrari
491. jussit. *Sixtus IV* judices, quos rotæ auditores vocant, duodecim esse jussit. Vaticanam Bibliothecam libris amplificavit, auxitque proventibus, unde custodes librarii stipendia sumerent. Primus omnium Pontificum libros vidit typis exscriptos:

Digitized by Google

ſcriptos. Numerum Cardinalium auxit. *Innocentius VIII* Pag. 495.
Ferdinando V, Arragoniæ & Caſtellæ Regi, nomen dedit *Catholici*. *Alexander VI* novi orbis partem, qua vergit ad ſolem orientem, *Joanni*, Regi Luſitanorum, qua ad occidentem, *Ferdinando V Catholico*, attribuit. *Ferdinando II*, Regi Neapolitano, permiſit, ut matrimonium iniret cum ſorore patris. 497.
Hunc *Pius III* excepit. *Julius II* Vaticanam S. *Petri* baſilicam inſtauravit. Marti fuit deditus. *Leo X Lutheri* libros comburi juſſit. *Henricum VIII*, Regem Angliæ, defenſoris fidei titulo decoravit. *Hadrianus VI* dixit: ſe eccleſias ſacerdotibus, non ſacerdotes eccleſiis, ornare velle. In monumento ejus ſcriptum erat: *Hadrianus VI* hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret. *Clemens VII*, poſt variam belli fortunam, *Carolo V* imperii coronam Bononiæ impoſuit. *Henricus VIII*, Rex Angliæ, huic Pontifici omne obſequium denegavit. *Paulus III* ſimultatem habuit cum Cæſare. Concilium Tridentinum, A. 1545 inchoatum, intermittitur. Formulam *Interim*, ſeu libellum, promulgavit. Congregationem inquiſitionis ſacræ primus A. 1542 inſtituit. *Julius III* primus lectionem librorum Lutheranorum interdixit. Concilium Tridentinum inſtauravit. Societatem Sodalium Jeſu condidit, eique præfecit *Ignatium Lojolam*. *Marcellus II* nomen non mutavit, pietate ductus erga Pontificem & Martyrem S. *Marcellum I*. *Paulus IV* Ordinem Teatinorum A. 1555 inſtituit, itemque primus conciones palatinas. *Pius IV* Concilium Tridentinum, decem annos intermiſſum, inſtauravit, abſolvit, & diplomate confirmavit. *Pius V Coſmum* Mediceum, Ducem Florentinum, titulo *Magni Ducis* Etruriæ ornavit & corona regia. *Gregorius XIII* pravam conſuetudinem, pingendi & vendendi agnos Dei per Romanos Pontifices benedictos, abrogavit. *Sixtus V* operum ſumtuoſorum fuit ſtudioſus. Nihil medium, ſed immenſa omnia, animo volvebat. *Urbanus VII* Deo gratias egit, quod eo tempore vocatus eſſet Pontifex, quo de geſto munere nondum eſſet rationem redditurus. *Gregorius XIV* Cardinalibus conceſſit uſum bireti rubri coloris. *Innocentius IX* de annonæ copia

Sec. XVI pag. 500. 507. 510. 513. 517. 521. 523 530. 532. 537. 541. 544. 545. 546, 547.

copia plebis Romanæ egeſtati proſpexit. *Clemens VIII* Regem Galliæ, *Henricum*, ad ſacra Pontificiorum perduxit. *Lud. Molinæi* liber de concordia liberi arbitrii cum donis divinæ gratiæ excitavit in Hiſpania contentiones inter Dominicanos
Sec. XVII & Sodales Jeſu. *Baronius* & *Bellarminus* ornantur dignitatibus.
pag. 550. *Leo XI* controverſiam de auxiliis non diremit. *Paulus V*
551. omnia de iis reliquit ſuſpenſa. Damnavit formulam jurisju-
553. randi, a *Jacobo I* Britannis propoſitam. *Gregorius XV* inſtituit Congregationem Cardinalium de fide catholica propaganda. *Ignatium*, *Xaverium*, *Nerium*, atque *Thereſiam*, in con-
555. cilio Sanctorum collocavit. *Urbanus VIII* Poeta fuit non infimi nominis. Vaticanam Græcis MStis Codicibus locuple-
557. tavit. Cardinales condecoravit titulo Eminentiſſimi. *Innocentius X* pacem Oſnabrugenſem improbavit, imperio probro-
559. ſam, reique Chriſtianæ noxiam. *Alexander VII* Reginam Suecorum, *Chriſtinam*, ſacra Pontificiorum amplectentem, lætus excipit. Cardinalibus uſu nigri & lugubris coloris ob luctum
561. ſuorum interdixit. Huic *Clemens IX* ſucceſſit. *Clemens X* Regi Moſchorum denegavit nomen Imperatoris Auguſti. *Innocentius*
563. *XI Joanni*, Regi Poloniæ, enſem miſit & galerum ob merita. Virgines Deo dicatas Muſica interdixit, & fœminas
566. laſcivi cultus e templis eliminavit. *Alexander VIII* Principi *Franciſco Mauroceno* miſit ob merita enſem & galerum. Tonſuram primam Clericis conferebat. Peccatum philoſophicum
568. damnavit. *Innocentius XII* moleſte tulit, nonum imperii Electo-
570. rem a Cæſare Ducem Hannoveranum nominatum. *Clemens XI* aureis atgenteisque numiſmatibus, ejus nomini inſcriptis, celebratur a Norimbergenſibus. Diei Paſchatos ſacri celebrandi rationem revocavit ad inſtitutum *Gregorii XIII*. Magnificus fuit in exſtruendis ædificiis. Monumentum in honorem *Chriſtinæ*, Suecorum Reginæ, poni juſſit in æde Vaticana. Con-
Sec. XVIII troverſiam de ritibus Sinenſium ſuſtulit, improbavitque cul-
pag. 575. tum *Confucii*. Damnavit propoſitiones quasdam P. *Quesnelli*. Dixit crebro: Principis eſſe, omnia ſcire, non omnia exequi. *Innocentius XIII* conſtans juris eccleſiaſtici propugnator fuit.
576. *Benedictus XIII* interdixit Clericis uſu comarum appoſitarum.

Ejus

Ejus ſuaſu *Noallius*, Archiepiſcopus Pariſiorum, Conſtitutionem Unigenitus *Clementis XI* recepit. Ejus juſſu eques *Bernardinus Perfetti* laurea poetica in Capitolio donatus eſt. *Jo. Nepomucenum*, Canonicum Pragenſem, in ſeriem retulit Sanctorum. *Clemens XII*, ædificandi ſtudio incenſus, multa ædificia exſtruxit, refecit, perfecit. Statuas operis antiqui in Capitolio, ſculptorum, pictorum, eruditorum, commodo, poſuit. *Mariæ Amaliæ*, filiæ Regis Polon. & Elector. Saxon. quæ *Carolo*, Regi utriusque Siciliæ, nupſerat, ſellam ſuam Otriculum uſque obviam miſit. Denique Autor hujus Operis doctiſſimus annectit Pontificum Romanorum indicem chronologicum & alphabeticum, eorundemque varia genera, & rerum indicem. Pag. 581.

Evangeliſches Oeſterreich, ꝛc.

id eſt,

AUSTRIA EVANGELICA, SEU HISTORICA enarratio de præcipuis Evangelicarum eccleſiarum in Auſtria cis & ultra Aniſſum ſatis, concinnata a BERNHARDO RAUPACH, Eccleſiaſte ad S. Nicolai Hamburgico.

Hamburgi, apud viduam Felgineri & J. C. Bohnium, 1741, 4. Alph. 1 plag. 13.

Tomis III, quos de argumento hoc Vir S. Rev. dudum edidit, ſuisque nos laudavimus locis, ſuccedit jam *quartus*, qui Presbyterologiam Auſtriacam, & ſpicilegium ad *Tomos* ſuperiores, comprehendit. Clauditur univerſa jam tractatio, omnibusque Partibus Index ſubjungitur. Conſtituerat *Schützius*, Luneburgenſis, de Presbyterologia Auſtriaca emittere Commentationem. Verum inter ſchedas Viri, præmature defuncti, nihil ſpecimînis illius fuit inventum. Fortuna tamen benigniori factum eſt, ut D. *Bacmeiſteri*, Theologi Roſtochienſis, acta viſitationis, A. 1580 per Auſtriam infra Aniſſum & vicina loca ab ipſo peractæ, ad ætatem noſtram fuerint transmiſſa. Addidit hiſce Autor paſſim eximia & memoratu digna. Reliqua laborioſe

borioſe ſupplevit. Immerito paſtoribus animarum Auſtriacis, eisque Evangelicis, inſeruntur *Chriſtophorus Wiſener*, *Pantaleon Candidus*, *Filis*, *Joannes Jacobus Schülinus*, aliique. Dubitandum vero non eſt, nonnullos eorum, eosque genuinos, in lucem nondum eſſe protractos. Sunt in manibus Rev. Autoris etiam analecta de fatis eccleſiæ Evangelicæ, per Stiriam, Carinthiam, & Carniolam, olim vigentis, vel potius diſſeminatæ. Oramus publico nomine eundem, ut pro ratione otiorum *Tomum* inde aliquem adornare dignetur, ne ea, quæ operoſe collecta ſunt, ſortem foliorum Sibyllinorum nanciſcantur, & facili opera diſſipentur. Series Presbyterorum illorum ad annos uſque 1624 & 1627 procedit, quibus invaluit illud famoſum: *Veteres migrate coloni.* De reliquo alphabeticus in Presbyteris recenſendis ſervatus fuit ordo. Eximemus paucos e numeroſiori cœtu. M. *Clementis Anomæi*
Pag. 6. nonnihil ſcriptorum exſtat. *Rupertus Artzhoferus* Flacianiſmi fuit convictus æque ac *Philippus Bartmannus*, homo pervicax & obſtinatus, & *Joannes Behem*, *Albertus Bættigerus*, aliique. *Calixti*, monachi Franciſcani, merita evangelica celebrantur.
14. D. *Joannes Fridericus Cæleſtinus* Flacianis pollicem preſſit, frater *Georgii Cæleſtini*, ſcriptor celebris. *Wilhelmus Eccius* eriſtici ingenii fuit, quod declarant ejus ſcripta. Multa tulit, pieque vixit, D. *Chriſtianus Gilbertus de Spaignart*, ſcriptor
44. haud ſpernendus. M. *Jacobus Heilbrunnerus* prima Theologiæ ſpecimina dedit in Auſtria, vir candidus, doctus, pacis ſtudio-
70. ſus, & pius. M. *Chriſtophorus Irenæus*, Flacianiſmi præco, ſcripſit multa, variisque jactatus fuit fortunæ procellis. M. *Conradus Kircherus* de Concordantiis Biblicis præclare meruit. D. *Po-*
95. *lycarpus Leyſerus*, privignus D. *Lucæ Oſiandri*, in Auſtria ſemen Evangelii ſevit uſque ad A. 1576. D. *Joannes Matthæus* invenit tandem vitæ ſuæ convenientem ſcriptorem. *Pauli Sperati* memoria attingitur. Confeſſores Evangelicæ doctri-
181. næ Auſtriaci, iique Equites, ab A. 1627 ad 1629 albo fautorum & amicorum inſcripſerunt nomina, inſignia, & ſymbola ſua theologica. Certaminibus theologicis inclaruit *Wolfgangus Waldnerus*. Omittimus de induſtria ceteros. Additur ſpicilegium,

gium, quod acta, literas, & Diplomata, complectitur. Lucernam olet, diligentiamque & usum multiplicem spirat, Index chronologicus, quo Historia Ecclesiastico-Evangelica Austriaca pertexitur ab A. 1300 usque ad A. 1736. Servet Deus verbum suum, ac ipsius S. Rev. Autoris vires vergentes confirmet, seraque & vegeta eum donet senectute.

Beyträge zur Erläuterung der Kirchen-Reformations-Geschichten des Schweitzerlandes, ꝛc.

id est,

ACCESSIONES, AD EXPOSITIONEM historiarum reformatæ Helvetiorum ecclesiæ spectantes, collectæ, notisque illustratæ, a JOANNE CONRADO FUESLINO.

Partes II.

Tiguri, apud Heideggeram & sodales, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 3.

Præfatio, accessionibus hisce præmissa, locum isagoges tuetur. Dolet primo Autor vicem eorum, qui schisma Protestantium ecclesiasticum foveant & propagent, initiisque reformationis ecclesiarum Helveticarum varios assignare nævos haud erubescant. Videtur ipsi haud omnino probari Magn. & Cel. *Valentini Ernesti Læscheri Historia motuum.* Complexus fuit idem hoc fasciculo acta chartasve *sex. Primum* occupat locum collectio judiciorum quorundam, a Senatu Tigurino ob reformationem ecclesiæ A. 1522, 1523, & 1524, promulgatorum. Cœpit Helvetica reformatio Tiguri A. 1519, *Zwingtino* duce, qui jam Glaronæ inde ab A. 1506, & Einsidelii ab A. 1516 usque ad finem anni 1518, Ecclesiasten egerat. Ne vero ex illa reformatione procrescerent dissidia, rei publicæ funesta & noxia, Senatus Tigurinus edictis responsisque suis admodum providit. Succedit eis historica expositio *Joannis Salats*, qui Lucernæ fuit ab actis publicis, de colloquio religioso, quod A. 1523, 29 Jan. fuit agitatum. Quæ a *Salatsio* vel sinistre perscripta sunt, ea Autor Cl. ex

Hegenwaldi commemoratione emendavit, vel ſupplevit. *Tertio* loco exhibetur Diſputatio de Clericorum conjugio, per *Stephanum Dær de Dieſſenhofen*, aliosque fratres, publice celebrata Baſileæ in Collegio A. 1524, 16 Febr. ac tum temporis formis publicis jam deſcripta, denuo recuſa. Credit Cl. Editor, exſtitiſſe *Andream Carlſtadium* primum, qui illud conjugium interdici noluerit, eaque de cauſa Vitebergæ A. 1521 *Concluſiones* ediderit *de Cœlibatu, Monachatu, & Viduitate.* De eodem argumento peræque anno ſequente docti Helvetiorum aliquot viri ſcripta evulgarunt. *Quarto* loco ſeſe offert *Relatio Senatus Tigurini ad eos, qui ditioni ipſorum ſuberant, de eis, quæ eo usque in religionis externo cultu & doctrina fuerant immutata.* Deſumſit eam Editor ex inedita *Bullingeri* Hiſtoria reformationis, ac inde oſtendit, quam prudenter & circumſpecte Senatus Tigurinus reformationi eccleſiaſticæ ſeſe accinxerit. *Quinto* loco exhibetur *Hiſtorica expoſitio de eccleſiaſtica reformatione urbis regionisque Bielenſis*, ex tribus fragmentis Bibliothecæ Tigurini populi collecta & conſtipata. Videtur ejus Autor exſtitiſſe Eccleſiaſtes Tigurinus, Bielæ Presbyterum agens. *Thomas Wytenbachius Zwinglinum* Baſileæ docuerat Theologiam, ejusque auſpex ad reformandos errores & abuſus fuiſſe prædicatur. Eum perhibent Bielenſes conformaſſe ad reformationem avide ſuſcipiendam. Ipſi enim cum Epiſcopo Baſileenſi & ſenatu populoque Bernenſi de ea multum egerunt. Ultimo loco exhibetur *ſecunda Collectio nonnullorum Actorum, quæ originem & deſtinationes Anabaptiſtarum Helvetiæ detegunt*, ex MStis edita. Docet Editor, hos homines nimio & inconſulto reformationis & abuſuum evitandorum ſtudio flagraſſe, ideoque in præcipitia prolapſos eſſe, via regia relicta, & æquitate neglecta, quæ vetat, quo minus exteriora pietatis adminicula, divinitus præcepta, abjiciamus. *Felix Manz, Blaurock*, aliique, eo quod homines iterato baptizarant, in cuſtodiam apud Auguſtinianos fuerunt dati & concluſi, ut audirentur prius & examinarentur. Cum ipſi eſſent convicti de ſuo errore, eum agnoverunt, promittentes, ſe in poſterum id facere omiſſuros.

Pag. 336.

Quo

Quo facto, jusjurandum de vindicta haud ideo expetenda nuncuparunt, & dimissi sunt, A. 1525. Anabaptistæ suos docebant, docendos prius esse Christi candidatos, quam baptizandos, agapas sacræ cœnæ esse præmittendas, immo nonnulli eorum, pedilavium esse præmittendum eidem, monebant. *Hubmeierus*, Pag. 339
eorum doctissimus, de anabaptismo scripsit, & paulo post *Zwinglinum* refellere conatus fuit. Nec tamen decretum fuit, ut Anabaptistæ tolerarentur. Ipsi clanculum tradiderant, magistratus sui cœtus esse deligendos, & diverso magistratui obedientiam esse denegandam. Ut Anabaptismum ipsi colore obducerent, provocarunt ad *Act. XIX, 1-5*, ubi videntur 12
discipuli, quos *Paulus* Ephesi ostendit, denuo baptizati per- 345.
hiberi. *Zwinglinus* putavit, in *Pauli v. 3: εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε, in quodnam igitur baptizabamini?* respiciendum esse ad doctrinam, olim obtentam & instillatam, non ad baptizationem. Approbat Editor hanc expositionem, ratus, hoc loco poni βαπτισθῆναι pro διδαχθῆναι, & *baptizatum esse* sonare idem ac *informatum esse*. *Philippus Marnixius* incisum quintum primus ad verba *Pauli* historica retulit, ita ut ejus sit sensus: *Illi autem, qui audierunt Joannis* adhortationem fide conjuncta in Messiam, *baptizati sunt* a Joanne *in nomen Domini Jesu*, id est, jussu Christi. Vide *Hessisches Hebopffer P. I pag. 99. Joannes* baptizavit in Jesum venientem *v. 4.* Anabaptistarum vero est, ostendere, Apostolos primosque ecclesiæ Christi presbyteros eundem hominem bis, vel crebrius, baptizasse in Jesum, cœlos ingressum, vel non nisi adultos ac elementis doctrinæ Christianæ imbutos baptizasse. Quod ipsum ostendent Anabaptistæ ad Calendas Græcas. Id vero memorabile
est, *Zwinglinum* publice docuisse aliquando, infantes haud esse 348.
baptizandos, ipsos prius esse docendos, & ad confessionem fidei edendam invitandos. Mutavit vero idem paulo post sententiam suam. Quæri potest, an exinde prima Anabaptismi Helvetici semina propullularint. Legerunt Anabaptistæ libros *Carlstadii* studiose, ac in conventiculis suis Biblia lectitarunt, additis mutuis adhortationibus. Nec solum Pontificii ejus ætatis, sed etiam oppida Helvetiorum, quæ Pontificios

dereli-

dereliquerant, igne & ferro ad tollendos Anabaptiſtas fuerunt
Pag. 376. uſi. Sufficiant vero hæc in præſens.

FRANCISCI CAROLI CONRADI, JCTI ET Anteceſſoris, Diſſertatio Academica de Jure Quiritium a Civitate Romana non diverſo.

Helmſtadii, typis Pauli Dieterici Schnorrii, 1742, 4.

Plag. 7.

Nunquam otioſus eſt elegans Celeberrimi *Conradi* calamus. Non id ſufficere Vir egregius arbitratur, ut is, cui Anteceſſoris munus demandatum eſt, viva ſolum voce ſacræ Themidos cultores informet, & ambigua cauſarum fata reſpondendo dirimat, ſed, ut ſelecti etiam præclarique argumenti ſcriptis Academiæ, cujus portio eſt, famam extendat, ab eodem requiri, ſapienter intelligit. Nec tamen multa nimis ſcribit, & infauſtum civium quorundam morem imitatur, qui, polygraphi laudem affectantes, Opuſculorum turmas quotannis in lucem protrudunt, & ſæpenumero, quicquid in buccam venerit, temeraria garrulitate deblaterant. Quæcunque enim a Viri præſtantiſſimi ingenio profluxerunt adhuc, ea lucernam olent ſingula, ampliſſimumque induſtriæ ferreæ teſtimonium perhibent. Et eam quidem ob cauſam nos dubitamus nullo modo, quin plurimis, exteris præcipue, rem facturi ſimus gratiſſimam, ſi nonnihil de indicata jam Diſſertatione dixerimus, quæ, ex intima Romanorum antiquitate petita, difficultates forte omnes removet, quibus in explicando Quiritium & Civitatis Romanæ jure acutiſſimi etiam homines implicitos ſe & afflictos ſenſerunt. Eruditiſſimus Autor §. *I ex Livio* potiſſimum & *Dionyſio Halicarnaſſenſi* præmittit, Romanos Quirites eſſe vocatos a Curenſibus Sabinis, in ſocietatem Reipubliæ receptis. *Paragr. II* antiquam formulam: *Populo Romano Quiritium*, & *Populo Romano Quiritibus*, illuſtrat. *Par. III*, Quiritium nomen non cives tantum plebeji ordinis, ſed Romanos univerſos, complecti, docet. *Par. IV*, Jus Quiritium idem eſſe, quod Jus Civi-

tatis

tatis Romanæ, evincit. *Par. V* autem, Jus Quiritium a Civitate Romana distinctum primum fuisse, autore *Plinio*, juniore, imo & *Trajano*, Augusto, significat. Inde natas eruditorum, de ratione hujus discriminis, sententias diversas §. *IV* recensere incipit, & §. *VII* argumenta *Pauli Manutii* profert, qui, Jus Quiritium Jure Civitatis nobilius quid ac plenius fuisse, sibi persuaserat. Eodem fere redeunt *Onuphrii Panvinii* commenta, de quibus Cel. Autor §. *VIII* differit, postea §. *IX* utrumque, *Manutium* pariter & *Panvinium*, solide refellens. *Par. X* argumentis probabilibus sententiam *Caroli Sigonii* firmat, qui, Jus Quiritium privata tantum jura, civitatem e contrario publicum jus, comprehendere, fuerat suspicatus. Qua occasione miras *Jac. Gutherii* argutias indicat, qui, dum charybdim vitare voluit, incidit in scyllam, ab humanissimo proinde Autore nostro §. *XII* in viam reductus, &, genuino *legis 1 §. 2 D. de rei vindicat*, ad quam provocaverat *Gutherius*, sensu eruto, recte emendatus. *Par. XIII Sigonii* sententia *Ezech. Spanhemii* assensu corroboratur. Nihilo tamen minus Cel. *Conradi*, dimissa *Sigonii* explicatione, aliam quærit, hujusque rei rationes §. *XIV* expromit. Ergo §. *XV Plinii* loca, §. *V* producta, paulo accuratius contemplatur, eundemque, optimum sui ipsius interpretem, *Civitatem* semper dicere, quam pro peregrinis petit, commonstrat. Tum §. *XVI* ad ea *Plinii* loca se convertit, quibus *Jus Quiritium* vocat, quod pro Libertis Latinis rogat; quam singularem loquendi formulam a Latinorum jure & *L. Junia Norbana* derivandam esse, §. *XVII* censet. Quo peracto, §. *XVIII* opinionem illam falsam pronuntiat, quod Civitatis appellatione *jura publica* proprie fuerint intellecta, &, qui ultimus est, §. *XIX*, quid de Quiritium prærogativa apud Francos & Germanos sentiendum sit, commemorat. Habes, Lector, præcipua politissimi Opusculi capita, ad cujus lectionem si accesseris, non sine causa nobis id laudatum deprehendes. Quam enim, jam inde ab *Actorum* nostrorum incunabulis, præscriptam nobis legem servare adhuc studuimus, ut ab odio amicitiaque vacui de libris quibus-

cunque noſtram diceremus ſententiam, ejus & in poſterum erimus memores, ſemper ante oculos habituri tritum illud: *Suum cuique.*

ESSAI SUR L'USAGE.
id eſt,
SPECIMEN DE CONSUETUDINE.

Trajecti ad Rhenum, apud Stephanum Neaulme, 1741, 8. Plag. 11½.

Conſuetudinis, uſusque diuturni, non vilis apud JCtos autoritas eſt, verum non uſque adeo ipſa ſui valet momento, ut aut rationem vincat, aut legem. Quæritur itaque *l. 2 Cod. Lib. VIII Tit. 53, quæ ſit longa conſuetudo.* Ut hanc quæſtionem ſolveret & illuſtraret Autor, Diatriben hanc publici juris fecit, cogitata ſua complexus iſagoge & *Capitibus quinque.* *Capite primo* differit de fontibus conſuetudinis, de cauſis progreſſuum, & origine ejus ad ſocietatem referenda. *Capite ſecundo* definitionem expoſuit, ac conſuetudinis naturam præcipuasque notas ediſſeruit. *Capite tertio* inquirit in ejus vim rationesque, quæ in cauſa ſunt; cur ſapiens uſui ſeſe ſubjiciat, & in limites, ad quos uſque licet ſeſe conſuetudini attemperare. *Capite quarto* pertractat tolerantiam, permiſſionem, & utilitatem, conſuetudinis in rebus politicis. *Capite quinto* comparationem inſtituit inter conſuetudinis incommoda, in ſeſe ſpectata, & inter ea, quibus ſocietas medetur. In hiſce cardinibus libri ſumma vertitur. Autor eſt M. *Matyus*, Eccleſiaſtæ Doctorisque Philoſophiæ filius. Ipſe Diſſertationem ſuam, Lugduni Batavorum hoc de argumento publicatam, jam locupletavit, acceſſionibusque reddidit amœniorem, immo ex amicorum conſiliis emendatiorem. Ampliſſimum ſane eſt uſus tyranni imperium, idque ſæpius durum & ſervile. Sed, cum ſocietati humanæ debeamus nos noſtrasque actiones permultas, non licet conſuetudini, in ſocietatem invectæ, refragari. Leges ac conventiones pro fontibus ac originibus conſuetudinis reputat. Pleræque omnino conſuetudines conventionibus tacitis innituntur. Cavendum tamen,

Pag. 4. 43. 74. 107. 141. 2. 14.

ne

ne ipſe hic uſus in leges Dei, ac officia Deo & ſocietati nobisque præſtanda, peccet. Conſenſum præſumtum cum *Chriſtiano Thomaſio* Autor exiſtimat non niſi improprie ſic dici. Liceat nobis diſſentire, ſiquidem ſingulorum conſenſio vel luculenta, vel tacita, haud ſemper præſto eſt, ubi quis infans adhuc vel judicio ad tempus deſtitutus, vel extra patriam peregre profectus, eſt, nec tamen immunis, cenſetur a muniis, vel damnis, illis præſtandis, in quæ unus & alter ſocietatis univerſæ cauſa conſenſit, ad id delectus a ſuis. Id vero nulli dubitamus, uſum legibus ipſis abolendis ſæpius ſufficere. Quis enim ignorat, legem Cinciam hoc modo evanuiſſe? Invenit unus ac alter inſtituta nova. Sunt, qui ea imitantur. Inde invehitur conſuetudo, ſimul ac ſocietates eis uti ſtudent. Cupiditatem inveniendi ejusmodi nova deducit Cl. Autor ex hominum imperfectione naturali, ex levitate ac otio ingenii, & ex mercatorum ſtudio habendi atque quæſtu. Sapientes moribus novis nec primos indulgere, nec penitus refragari, ne peccent in ſocietatis vincula, monet. Quanta ſit vis conſuetudinis in imaginationem noſtram, Cl. Autor ita oſtendit: *Quantam vim ſermo Eccleſiaſtæ non ex veſtitu, ex geſtibus ſuis, & ex loco, unde loquitur, mutuatur? Quoties admiramur verba, ex ſuggeſtu eccleſiaſtico recitata, quæ ad tædium, vel commiſerationem, nos dejicerent, ſi quis alius, ac Eccleſiaſtes, ea pronuntiaret? Num, nudæ opinioni ante captæ tanta vis inſit, neceſſum eſt, & num cultura animi popularis ſacra tam ſæpe potius ab externis momentis, quam ab oratione Eccleſiaſtæ, dependeat oportet?* Uſum appellat *regulam nonnullarum hominis actionum, quæ plerumque nec per legem, nec per conventionem, ſunt determinatæ, & a certa hominum multitudine ſervantur.* Illud *plerumque* videtur definitioni, ejusque notis certis, haud favere. Credimus itaque, *morem* (la mode) eſſe *regulam actionum, ab imitatione pendentem.* Id enim, quod lege & conventione firmatum eſt, *morem* appellamus, ſimul ac homines hoc, vel illud, agunt, hoc, vel illo, modo agendi utuntur, eo quod vident, alios, quos ſequi & imitari ſolent, ſic

Pag. 17. 20. 25. 34. 36. 43.

agere. An multi, an pauci, an ſæpe, an juſte, an injuſte, agant homines imitationi congruenter, id *morem* haud afficit, nec conſtituit. Disjungendæ idcirco hæ notiones ſunt a definitione, quemadmodum Cl. Autor monuit ipſe. Ad actionem hic etiam referri omiſſionem, nemo inficiatur. Mores ſinguli a propenſionibus hominum ſunt exorti. Plerumque haud eſt difficile divinatu, an arrogantia, an voluptas, an ſuperſtitio, an lucri cupiditas, morem genuerit hunc, vel illum. Ex conſuetudine veſtituum, rituumque, perſpicitur indoles nationum, earumque propenſio. Modu-
Pag. 51. lis vitæ mutatis, mutatur ipſe genius. Datur etiam in pietatis externo cultu id, quod Galli appellant *la mode*. Si enim Princeps ſeſe præſtat pium, multitudo, ipſi ſerviens, eundem modulum externum aſſumit. Nonne ipſa maximam partem
60. profiteretur atheiſmum, ſi Princeps ei faveret? Oportet itaque id, quod ratione nititur, diſcernere a ſpecioſo. Luxus favet ſpecioſis modulis, at rationi repugnat. Mores, initio
65. conformes rationi, degenerant ſæpius temporis decurſu. Lugentur nunc mortui, ut conſuetudini fiat ſatis. Societati ita eſt litandum, ne quid in officia, Deo, nobis, aliisque, debita, peccemus. Ut hanc regulam Cl. Autor attemperet ſingu-
68. lis conſuetudinibus, ipſe eas diſtribuit in quinque claſſes. Inde diſpicit, quomodo conſuetudines ſint dijudicandæ, tum reſpectu uniuscujusque, tum reſpectu ſocietatis, cujus ſumus conſortes. Quanta ſit vis exempli magiſtratuum, ſolide ex-
78. ponit. Tandem diſceptat, an ſatius ſit, ſocietate deſerta, uſui tyranno ſeſe ſubducere, quam vitæ modulis facere in ſocietate ſatis. Negat ipſe prius, ac confirmat poſterius copioſe. Et ex hoc quidem ſpecimine perſpicitur luculen-
107. te, quantum opis diſciplinas Philoſophiæ practicæ maneat in poſterum hoc magiſtro, cui annos viresque apprecamur numeroſas.

IDEA ANATOMIÆ PRACTICÆ, EXHIbens modum, cadavera humana rite ſecandi, cum Phi-

liatris

liatris communicata a PHILIPPO CONRADO FABRICIO, Med. L. & Physico Butisbacensi Adj.

Wezlariæ, typis Winckleriani, 1741, 8.

Plag. 10.

Ipsemet solertissimus Autor initio hujus Opusculi nos docet, Cel. Argentoratensium Professoris *Salzmanni* institutionibus id deberi, id quod plurimum facere ad ejus commendationem potest. Is enim, cum aliquando, omnem universæ Anatomiæ ambitum emensurus, sectionem singularum corporis humani partium ad *Winslovii* ductum administraret, autor *Fabricio* nostro suasorque exstitit, ut singula notaret sedulo, &, quæ vidisset audivisletque, in adversaria sua referret. Quæ postquam temporis progressu tum ex aliorum laboribus, tum propria Cl. Autoris exercitatione, confirmata magis, & novis aucta fuerunt accessionibus, ea recognovit denuo, & in tironum usus emittere decrevit. Ubi tamen jam encheireses quasdam a *Winslovio*, vel *Leisero*, descriptas esse observavit, prætermissis istis, Lectorem ad binos hos Scriptores remittit. Alia etiam, quam Cl. *Cassebohmius*, via in operis tractatione incedit, ut hinc opusculum hoc non superfluum fore videatur. Arte secandi generatim tradita, agit *Sect. I* de musculis; *Sect. II* de vasis sanguiferis, quorum colorata materia infarciendorum rationem dilucide exponit; *Sect. III* de nervis; *Sect. IV* de visceribus; & *Sect. V* de ossibus, ubi tamen generales tantum præceptiones, in Osteologiæ recentis præparatione observandas, expromit. Ceterum hæc omnia clare & perspicue enarrat, omissisque rebus alienis, quo ordine fieri singula, quæve cautiones haberi ante oculos, debeant, breviter candideque ostendit, ut hæc Epitome commendari tironibus quam maxime mereatur.

ALBERTI RITTERI, GYMNASII REGIO-IL-

feldiaci Prorectoris, Schediasma de Nucibus margaceis, vulgo Mergel-Nüssen.

Helmstadii, 1741, 4.

Plag. 2, Tab. æn. 1.

Ita nos contrahendam hanc opellæ inscriptionem bona Cl. Autoris cum venia putavimus, quæ alias longam Dedicationis formulam ad Illustrem Academiæ Nat. Cur. Præsidem, & Collegas reliquos, simul complectitur. Reperiuntur hæ nuces in præfecturis Erzensi & Sternbergensi, ad latus occidentale Visurgis fluvii sitis, quarum illa ad Ducatum Calenbergicum, hæc ad finitimum Comitatum Lippiensem, pertinet. Exstant ibi fodinæ margaceæ, in iisque stratum supra stratum, modo margæ optimæ, modo ochræ, quam, quod non apta ad terram refovendam existit, agricolæ *taube Erde* appellant. Atque in hac ipsa ochra sæpius, sed non cumulatæ, nuces istæ margaceæ inveniuntur, interdum & aratro excutiuntur, aliquando etiam, sed rarissime, crystalli minores elegantissimæ, splendidissimæ, pellucidæ, quinquangulares, sexangulares, simul eruuntur. Quemadmodum vero nec propter externam formam, nec propter structuram internam, nucum nomen ipsis convenit; ita re ipsa nihil aliud esse comperimus, quam metallum immaturum & imperfectum, vel embryonatum, fugax, radiosum, splendens, varii coloris, grave, durum, fragile, ex mercurii principiis, sed magis digestis & coagulatis, ortum, quod alias pyrites metallaris, marcasita, ovum philosophicum, Germanis *Kiess*, *Kiess-Nüsse*, *Berg-Eyer*, *Erzt-Blumen*, vocari solet. Ipse vero hic pyrites ratione internæ essentiæ vel ferreo-sulphureus, vel cupreo-sulphureus, vel sulphureo-vitriolatus, est. Deinde vero ratione coloris, præsertim interni, vel albus, vel subflavus, in eo notatur color. Denique & ratione formæ discrepat, quæ in ordinariam dividitur, id est, globosam & angularem, & in extraordinariam, quæ cellularis est, fistularis, cristata, prismatica, lamellosa, tabularis, tubulosa, botryformis, stiliformis, stellata, ovata, reniformis, & cylindracea, denique in singularem.

larem. Postquam Cl. Autor aliquot horum pyritarum exempla eximia præ aliis & pulchra, æri incisa, exposuit, usum quoque triplicem, mechanicum, physicum, atque medicum, persequitur. Mechanicus in eo consistit, quod pyrites hic cryptas, scrinia, caminos, admodum ornet, ad excitandum ignem perquam valeat, floris loco, ad metalla liquanda inserviat, & coctione sulphur, vitriolum, arsenicum, suggerat. Physicus is dicitur, quod argilla Walbeccensis, in qua frequentiores pyritæ rotundi, multo vitriolo prægnantes, continentur, fermentatione ollam disrumpat, & æmuletur massam, qua *Lemmery* ad demonstrandum terræ motum utitur; item quod argilla, ex qua prodeunt marcasitæ, aeri sub tecto per aliquot menses exposita, in frustula fatiscat, hæcque in nigrum abeant pulverem acidi odoris, ex quibus tunc vitriolum elici queat. Ad medicum quod attinet usum, pyrites, ex sale & sulphure originem habens, summe est calidus, & corrodens, hincque calefacit, siccat, discutit, humores attenuat, oculorum obfuscationibus opem fert, carnisque excrescentiam prohibet & absumit.

CONSILIUM DE NOVA METHODO PASCHALI ad perfectum statum perducenda, ac deinceps omnibus Christianis commendanda, Autore PETRO HORREBOWIO, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, in Regia Universitate Havniensi Astronomiæ Professore.

Havniæ, 1738, 4.

Alph. 1.

Quo fato acciderit, ut hujus libelli in *Actis* nostris non citius mentionem fecerimus, id profecto non satis scimus. Sed præstat, serius id feciſſe, quam nunquam. Nam ob argumenti & novitatem & gravitatem digna omnis habenda est hæc scriptio, quæ ad omnium omnino, qui ecclesiæ Christianæ curam gerunt, notitiam perveniat. Cl. Autor hocce opusculum *Christiano VI*, Daniæ Regi, dicavit, & in *XIV Capita*

pita divisit. *Caput I* de scopo scriptionis exponit. Inter omnes constat, tres omnino Christianis usu venire methodos, terminum Paschalem definiendi, quarum prima est eorum, qui adhuc servant Calendarium Julianum, & numeris aureis, antiquitus per idem disposítis, utuntur, altera eorum, qui Calendarium Gregorianum receperunt, & epactas in hanc rem adhibent. Tertia methodus est Protestantium Germaniæ, qui, rejectis cyclis lunæ & epactis, ope Tabularum *Rudolphinarum* plenilunium mensis Nisan Judæorum computandum, idque pro termino paschali, habendum esse, decreverunt. Quemadmodum hæc methodus in eo potissimum peccat, quod constitutionibus veteris ecclesiæ contraria est, quæ, non XV, sed XIV, Lunam mediam, tanquam terminum paschalem, observandam esse, sapienter sancivit; ita & reliquæ duæ methodi haud parvis difficultatibus obrutæ sunt, earumque diversitate tranquillitatem ecclesiæ Christianæ valde turbatam sæpe fuisse, non jucundis exemplis Historia nos docet. Haudquaquam vero instituit Cl. Autor, tribus istis methodis quartam addere; sed proposuit sibi, (quæ ipsius verba sunt,) pandere media, quibus sperat orbem Christianum circa hoc negotium conciliari posse, vel saltem huc sua conferre consilia, certissime persuasus, si hæc non existimentur sufficere, posse tamen aliquid sufficiens inveniri, si alii Astronomi una in commune consulere non dedignentur. Et sic aliis (quod modeste dicit) tantum occasionem dare voluit, vel hocce consilium suum, si quidem bonum videatur, suscipiendi, vel, si quidem liceat, hæc placita sua corrigendi, vel denique simile quid & melius excogitandi & proferendi. Videamus igitur, quæ sit hujus consilii indoles. Ante omnia ex probatæ hac in re fidei Autore, *Dionysio Petavio*, *Doctr. Temp. Lib. VII Cap. 6*, tres leges profert Autor, quibus methodum paschalem adstringi vetus ecclesia voluit. Prima est: Tempus æquinoctii verni populari computatione, ad accuratas tamen rationes, quantum fieri potest, directa, quærendum est. Altera: Luna XIV media, hoc æquinoctium sive comitans, sive proxime sequens, per computationem æque facilem, & æque accuratam, invenienda est, & dies, in quem inci-

inciderit hæc luna XIV, terminus paſchalis eſto. Tertia: Ipſum Paſcha celebretur die dominica, hunc terminum paſchalem proxime ſequente, ſive in eam diem dominicam inciderit plenilunium, ſive non. Quæ circa haſce leges dubia occurrere quibusdam poſſent, ea Cl. Autor partim in hoc *Capite* diluere conatur, partim in ſequentibus, & præſertim in *XIII*, ſolvit, ſed, quam vehementer omnes tres paſchales methodi contra illas leges peccent, id nonnullis exemplis Autor hoc loco declarat. Sic Proteſtantes Germaniæ una cum Gregorianis eodem modo in determinando Paſchate A. 1723 lapſos eſſe exiſtimat, cum Paſcha non celebraverint in menſe, uti fieri oportebat, ſed in menſe Ador die 28 Martii, excuſatius tamen Gregorianos, quam Proteſtantes. Illos enim cyclo ſuo imperfecto, & ſæpe ad biduum fallente, quo tamen melior nondum eſt inventus, deceptos fuiſſe, ut, lunam XIV in 21 Martii incidere, putarent, quem ipſum diem pro æquinoctiali ex inſtituto Concilii Nicæni habere debeant, & dicto anno absque errore habere potuerunt; Proteſtantes autem per tabulas ſuas aſtronomicas ſcire potuiſſe, Lunam XIV, quæ ipſis ſemper loco plenilunii quærenda eſſet, eo anno incidere in 20 Martii, ideoque æquinoctium præcedere, & inde Paſcha hujus anni 25 die Aprilis inſtituere debuiſſe. Ut ergo vitia harum methodorum corrigeret Autor noſter, primam ſibi impoſuit curam, computationem æquinoctii vernalis, quantum ejus fieri poſſit, accuratam & popularem reddendi. Popularem autem appellat, in qua non majus ſit artificium, quam quod ad ſummam duorum numerorum colligendam, eosve a ſe invicem ſubtrahendos, requiratur. Hunc igitur ad finem obtinendum cum duo inprimis aſtronomica ſubſidia neceſſaria intelligeret, accuratas videlicet tabulas ſolares, & juſtam anni tropici determinationem; ante omnia de tabulis ſolaribus, quanta fieri adhuc poteſt, accuratione, condendis ſollicitus fuit. Haſce quidem tabulas integras exſpectare nos jubet, una cum libro, quem *Adytum Aſtronomiæ* inſcripſit, quam primum licebit, edendas; partem tamen harum tabularum in *Cap. XI* hujus opuſ-

culi cum Aſtronomis communicare voluit. Exhibuit enim epochas motuum mediorum Solis & Apogæi ad meridianum Havnienſem & Romanum pro omnibus annis ſecularibus ab A. C. 0 ad annum 1500 in ſtilo veteri, & deinde in ſtilo novo uſque ad annum 20000. Retinuit autem in his tabulis motus medios Solis *Kepleri*, motus Apogæi nonnihil immutavit. Quod ad externam harum tabularum formam attinet, differunt ab aliis eo, quod in illis epochæ ſolares ad ipſam meridiem diei ultimæ Februarii ſint computatæ. Quod autem ad præſtantiam harum tabularum, eam in *Cap. II* ſpeciminibus nonnullis comprobat Autor, ex quibus apparet, calculum, ſecundum tabulas illas ductum, easdem dare adſcenſiones rectas, easdem Solis declinationes & altitudines, quas obſervationes tam ſuæ, quam *Tychonicæ*, ad certas leges correctæ, exhibuerunt. *Capite III* anni tropici longitudinem inveſtigat Autor, non apparentis, (hos enim inæquales, & ob varios aphelii telluris poſitus modo longiores, modo breviores, eſſe docet,) ſed medii. Efficit hoc inſtituta comparatione duarum obſervationum æquinoctiorum, quæ intervallo CXXXVI annorum diſſita ſunt; & definit annum tropicum medium 365 d. 5 h. 48′. 57″. 38‴. 47⁗. His præmiſſis, rationem intercalandi examinat Cel. Autor *Cap. IV.* Mathematici Gregoriani, cum æquinoctium vernum diei 21 Martii affixum cuperent, eam tamen excogitarunt intercalandi rationem, qua id minime ſunt aſſecuti. Neque ſane, ut Autor obſervat, ulla unquam lege fuit ſanctitum, ut huic diei affigeretur æquinoctium; ſed, cum æquinoctium hoc fere die contingere crederetur, hic 21 Martii dies ipſi præfigebatur. Commodum tamen videtur Autori, intercalandi rationem ad longitudinem anni tropici mediam tantisper cognitam ita exigere & conſtituere, ut æquinoctia ſecundum medios Solis motus ad eundem diem 21 Martii perpetuo, quantum fieri poteſt, reſtringantur, parvulos autem in motibus Solis, a *Kepleo* conſtitutis, errores, ſi qui fuerint unquam certo obſervabiles, ſeris nepotibus corrigendos relinquere. Oſtendit itaque, ex 6000 annis Julianis excludendos eſſe 46 dies, ut medii

motus

motus Solis quam proxime ad eundem menſis diem revocentur. Quam ob rem hocce dat conſilium, *ut ex omnibus annis ſecularibus, quando numeri ſeculorum ſunt impares, aut impariter pares, excludantur dies intercalares; quando vero numeri ſeculorum ſunt pariter pares, retineantur dies intercalares; exceptis ſingulis annis ſexies milleſimis, qui non erunt biſſextiles.* In *Capite V*, in quo Autor de tabulis ſuis lunatibus Calendariographicis diſſerit, reperimus primo inſertas duas, ad theoriam lunarem ſpectantes, particulas, ut dicit, ſibi prorſus peculiares, & in quibus maximam ſpem poſuit ponitque. Altera ad theoriam eccentricitatum, proſthaphæreſeon, & Apogæi lunaris, altera variationem Lunæ phyſicam, ſpectat. Utramque, quoniam ad negotium noſtrum non propius accedit, & a Cel. Autore potiſſimum, ut ne prorſus periret, hoc loco propoſita eſt, Lectoribus noſtris in ipſo hoc libro evolvendam relinquimus. Quod autem ad tabulas lunares attinet, de illis *Capite XII* videbimus. Hæc igitur fere ſunt, quæ methodo ſuæ paſchali Autor ab Aſtronomia petit, ſubſidia. Pergit in *Capite VI* ad ea hujus methodi momenta, quæ communi Chriſtianorum conſenſu ſtatuenda ſunt. Nimirum, quo firma & ſtabilis evadat paſchalis methodus, ſuadet primo, ut communi conſenſu determinetur aliquis meridianus, ad quem computari poſſint æquinoctium vernum, & hoc proxime, non tamen eodem die, ſequens Luna XIV completa. Varias affert rationes, quæ ipſum impellunt, ut hanc in rem commendet Chriſtianis eum meridianum, qui per Romam, Haviniam, & quam proxime per Uranibûrgum, extenditur. Secundo, quoniam feriæ pro variis circum tellurem itineribus verſus Orientem, aut Occidentem, variæ ſunt & vagæ; ut eædem figantur, omnium conſenſu ipſis præſtituendum eſſe monet terminum, unde incipiant. Convenientiſſimum ipſi videtur, dies ordiri ex parte maxime orientali inſulæ *Japan* & *freto Aniano*, ita ut, quando Americanis tranſierit meridies diei, e. g. 20 Martii feriæ primæ, mox Japanenſibus & Chinenſibus celebretur meridies diei 21 Martii feriæ ſecundæ, qui meridies deinde ver-

ſus Occidentem labatur per Aſiam ad Africanos, Europæos, atque tandem ad Americanos, ubique exiſtens meridies diei 21 Martii feriæ ſecundæ. Tertio ſuadet, ut communi conſenſu definiant Chriſtiani, cui diei accenſenda ſit certa luna, præcipue decima quarta. Quod quidem negotium facile componi poſſe videtur: quia, ut Autor monet, maxime eſt convenientiſſimum, ſingulam lunam, tanquam XIV, illi diei accenſere, cujus meridiem occupet, atque a cujus meridie incipiat. Accedit, hanc determinationem cum placitis veteris Eccleſiæ, a Concilio Nicæno proxime, apte conſentire; utpote quæ plus una vice Paſcha celebravit eadem die, ſiquidem ea dominica fuerit, qua completa fuit luna decima quarta, & proinde ante conſummatum plenilunium; quod Cl. Autor in *Capite VII* & *XIII* demonſtrat. Quare, ſi ad hanc legem ab omnibus Chriſtianis definiatur terminus paſchalis, nullum eſt dubium, quin uno eodemque die Chriſtiani, tam Romani, quam Japanenſes, ſint Paſcha celebraturi; etiamſi luna decima quarta in Romanorum meridiano, vel in ipſa nocte, media inter diem Saturni & dominicam, compleatur, in Japanenſium autem meridiano, propter differentiam ſcilicet longitudinis locorum, die demum dominica, hora v. g. nona antemeridiana, conſummetur. In *Capite VIII*, quod de limitibus, ſive menſe & ſeptimana, Paſchatum inſcribitur, Autor noſter præcipue id agit, ut antiquiſſimum canonem paſchalem, cujus in Actis Synodi Cæſarienſis injicitur mentio, a multis, præſertim a *Bucherio* in *Doctrina temporum*, male intellectum, explicet. Cui argumento, quamvis docte pertractato, immorari tamen nobis non permittit inſtitutum noſtrum, quod ad reliqua potius hujus libelli *Capita* nos feſtinare jubet. In *Capite IX* Cel. Autor ad emendationem Calendariographiæ accedit; quæ in eo potiſſimum conſiſtit, ut cum cyclis numerorum aureorum & Epactarum, tanquam minus accuratis, rejiciat etiam literas dominicales, quibus numeros ſubſtituit, quorum cyclus etiam intervallo 28 annorum completur. Et, poſtquam docuit numerum dominicalem anni dati invenire, exhi-

exhibet in *Capite X* Calendarium perpetuum pro menſibus Martio & Aprili, quod ita eſt conſtructum, ut, dato die, quo luna decima quarta paſchalis completur, datoque per præcedentis *Capitis* doctrinam numero dominicali dati anni, numerus ille dominicalis in Calendario tibi exhibeat diem illum Martii, vel Aprilis, quo Paſcha ſuum celebrare debent Chriſtiani. Hujus Calendarii explicationi addit conſtructionem machinæ, quam vocat, calendariographicæ, cuicunque ſtilo æque congruam & perpetuam. Tabulas ſolares novas ab Autore in *Capite XI* exhiberi, ſupra jam annotavimus. His autem junctas ibidem reperimus duas aliàs tabulas; in quarum altera æquinoctia verna vera pro ſingulis annis ſecularibus, donec Aphelium Telluris ad idem eclipticæ punctum reſtituatur, in diebus currentibus, & a media nocte numeratis, computata a Cel. Autoris filio, *Nicolao Horrebowio*, annum ætatis tunc temporis, quo editus eſt hic libellus, decimum ſextum agente. Diebus æquinoctialibus a latere adjectæ ſunt differentiæ temporis, quibus æquinoctium ſingulis catenis annuis retrogreditur. Altera tabula, ex priori deducta, exhibet anticipationes æquinoctii verni, ſubtrahendas ab epochis annorum ſecularium, pro ſingulis annis biſſextilibus ab A. C. 0 uſque ad annum 2000. Ex quibus duabus tabulis quomodo æquinoctii verni dati in dato ſeculo anni tempus ſit inveniendum, ibidem cum præceptis, tum exemplis aliquot, declaratur. Hoc autem invento, cum præterea ad tempus Paſchatis determinandum non niſi termini paſchalis computatione opus ſit, hanc ipſam ex tabulis adornatis abſolvere Cel. Autor ſequenti *Capite* docet. Et hæ quidem tabulæ duæ ſunt. Una exhibet ſeriem Epactarum & Epagogarum, (ſive dierum lunationis, in præcedenti anno inceptæ, in ſequentem annum excurrentium,) pro centum annis expanſis; & in hac tabula computanda retinet Autor menſem ſynodicum *Keplери*. Altera ſuppeditat Epochas pro temporibus mediis lunarum XIV Martiarum completarum, ſive terminorum paſchalium, in annis ſecularibus a præſenti ſe-

culo prorſum & retrorſum numeratis, ad meridianum Havnienſem & Romanum, atque ad ipſam mediam noctem, computatas. Ex hiſce duabus tabulis facili & brevi calculo cujusque anni dati luna decima quarta Martia completa poteſt inveniri; quæ, ſi transſcendat diem æquinoctialem, erit ipſa terminus paſchalis; ſi ante æquinoctii, diem, ſive eodem die poſt momentum etiam æquinoctii, contingat, addito menſe ſynodico invenietur terminus paſchalis. In *Capite XIV* Cl. Autor fœdiſſimum, quem dicit, nævum methodi paſchalis Gregorianæ indicat, quem in eo ponit, quod Mathematici Gregoriani volentes ac ſcientes, perperam tamen, in ipſa ſede æquinoctii verni primum terminum paſchalem conſtituerint. De quo argumento ipſum hoc Opuſculum conſultum cupimus. Habes itaque, Lector, brevem deſcriptionem methodi paſchalis *Horrebowianæ*, ex qua ſatis, ut putamus, licebit colligere, quam digna ſit hæc methodus, quæ peritorum judicum, & conſenſum eccleſiæ Chriſtianæ in re tanti momenti optantium, æquo examini commendetur.

SAGGIO DI UNA NUOVA FILOSOFIA, CON cui s'inſegna l'Arte di far Danari.

id eſt,

SPECIMEN PHILOSOPHIÆ NOVÆ, QUÆ docet artem parandi pecuniam.

Venetiis, apud Petrum Baſaglia, 1740, 8.

Plag. 13.

O cives, cives, quærenda pecunia primum. Hoc *Horatius*, hoc Autor noſter, perdocet. Conſecravit hic librum ſuum ſorori religioſæ *Mariæ Roſalbæ*, generoſiſſimæ Dominæ, monens cum *Seneca*, eum neceſſaria neſcire, qui ſuperflua didicerit. Ab ea tutelam ſcripti exſpectat, quæ paupertati & rei devotæ nomen dedit. Noluit igitur Autor illæc ingeminare: *Esquid erit pretii?* Præfatio jocis

ac

ac ſale turget. Subjunxit ei Autor monitum de erroribus & correctionibus, Criticis ſuppeditatum. *Capite primo* dolet, Pag. 14.
artem parandi numos, præcipue inter eruditos, pæne ignorari. Inde varias inſerit literas, quibus per ambages amœnas ſatiricasque delicias demonſtrat, plerosque mortalium laboribus ſaluberrimis renuntiaſſe, ac in genus vitæ voluptuoſum ac fraudulentum incidiſſe adeo, ut ſuperflua curent, & neceſſaria omittant. Inculcat illud Italorum: *Miralo tutto, e poi miralo tutto un Uom ſenza quattrin quanto è mai brutto.* Nec diſcrepat illud *Horatii: Et genus & formam regina pecunia donat.* Tandem tradit artem proficiendi ac diteſcendi ex hominum vanitate, rebus novis continuo intenta. Notat hominum curioſitatem, ſuperfluis inhiantem, œconomicarum ſcientiarum ignaram. Nec tamen titulo libri ſatisfacit. Cum enim lectoris diu patientiam fatigavit, artem promiſſam dimiſit fere intactam, ac Commentationem de hoc argumento pollicetur a ſeſe editum iri ſecundam, experimentis phyſicis refertam. Si quid cernimus in libro ſalibus fœcundo, id in eo vertitur, ut Italos Autor excitet ad diſciplinas & artes, Italicam paupertatem evertentes, numorum conciliatrices, regionibus amicas alendis ac ſuſtentandis, ipſosque tractationem dedoceat ſuperfluorum.

130. 158. 167. 188. 178.

GOTTL. FRID. GUDII, A. M. V. D. M. Laubæ Luſatorum, Demonſtratio hermenevtica, quod Chriſtus in cœna ſua στεφεωσίμῳ agnum paſchalem non comederit, recuſa, & ab objectionibus Viri Cel. CONRADI IKENII vindicata.

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 1741, 4.

Plag. 5.

Modeſtiſſime & diſtincte Pl Rev. Vir rem ſuam agit. Recenſet primo ſententias, de hac cauſa variantes. Aggregat deinceps ſe illis, qui, Jeſum non niſi vulgarem & or-

& ordinariam cœnam cum discipulis instituisse, contendunt. Attendit potissimum ad hæc momenta: 1) *agnus paschalis a Judæis sub vesperam diei XIV mensis Nisan mactandus, & in nocte, quæ vesperam illam excipiebat, diemque XV mensis ejusdem exordiebatur, comedendus erat;* 2) *il-*
Pag. 20. *lum non in alio loco, ac in templo & in urbe Hierosolymis, comedere fas erat;* 3) *soli sacerdotes pelvi sanguinem agnorum paschalium excipere, & ad altaris basin effundere, nec non agnorum adipes in altari adolere, consueverant;* 4) *Christus legi Leviticæ se subjecit, ejusque præceptis perfectissime mo-*
23. *rem gessit;* 5) *dies, quo Christus cruci affixus, erat XIV*
26. *mensis Nisan, ob Jo. XIX, 14.* Hisce præmissis, Cel. *Ikenii* sententiam aggreditur, & removere conatur. Gratum is ipsi exhibet officium, quicunque graviora fortassis momenta, sententiæ suæ inimica, cum ipso communicaverit. Spondet præterea, sese, meliora edoctum, mentem suam mutaturum, & ad palinodiam canendam promtissimum fore. Licet vero judicis personam sustinere nolimus, Virique Pl. Reverendi eruditionem ac doctrinam summis ornandam elogiis esse censeamus; bene tamen fecerit fortasse Lector, si lecta hac Dissertatione, ea etiam attente legerit, quæ nuper, ad stabiliendam opinionem maxime receptam, in *Miscellaneis Lipsiensibus Novis* disputavit Collega noster venerandus, *Jo. Christoph. Harenbergius*, cujus ut magna est his in rebus eruditio, & insignis de rebus maxime dubiis judicandi facultas, ita, quæ de argumento hoc explicatu difficili ex penu doctrinæ suæ proposuit, non dubitamus lectoribus universe omnibus se probatura, & in optimi *Gudii* inprimis animo magnam ad persuadendum vim habitura. Gratulamur ætati nostræ insignem hanc felicitatem, quod Viri docti, & ad juvandam rem sacram nobili stimulo agitati, conjunctis viribus in explicandis his, quæ sunt impedita, sed explicari maxime merentur, elaborant, &, si modo in lucem proferri veritas possit, vinci ac vincere æque glorioſum putant. Tam præclaros conatus secundet Deus, & dignissimis præmiis coronet!

✲ ✲ ✲

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio IV.

LA MYTHOLOGIE ET LES FABLES EXPLIQUE'ES par l'Hiſtoire, &c.

id eſt,

MYTHOLOGIA ET FABULÆ, PER HISTORIAM explicatæ opera Abbatis BANIERII, Academiæ Inſcriptionum optimarumque literarum adſcripti.

Tomus I.

Pariſiis, apud Briaſſonum, 1738, 12.

Alph. 1 plag. 2.

Ven. Abbati contigit, ut diem ſuum obiret, antequam laboribus ipſius moleſte diligentiſſimis juſtum pretium impertiremus. Neſcimus enim, quo fato ab Opere hoc recenſendo tam diu abſterriti fuerimus, quod, licet repetitionibus argumentorum nonnunquam abundet, figurisque æri inciſis careat, uſquequaque tamen dignum eſt, cujus in his quoque *Actis* ratio habeatur. Fatigavit jam per ætates mundi bene multas id ſtudii mortales, quo in hiſtoriam mythorum ſeculique mythici penetrare, ejusque adyta perrumpere, poſtibus cardine emotis, ſtuduerunt. Poſtquam Aſtræa terras refugit, & in aſtra ſeſe evexit, clavis ipſa Mythologiæ ſimul

videtur ſubducta eſſe. Ante elementa Alphabeti inventa videntur homines cogitata effinxiſſe per ſigna hieroglyphica, eorumque interventu hiſtoriam antiquiſſimam delineaſſe. Perſtitit inter mortales notitia qualiscunque narrationis hieroglyphicæ. At diſtincta narrationis illius cognitio aut fugit ſcriptores primos alphabetarios, aut ipſi ſacro interdicto ac terrore impediti fuerunt, quo minus ſenſum ex hiſtoria orbis evolverent, niſi forte ipſi delectati fuerint mythis exornatis, & eis potius obſcuritatem majorem, quam lumen, inferre intenderint. Tentarunt noſtra ætate varii varios aditus, ut velum Mythologiæ detraherent, & hiſtoriam orbis priſci repræſentarent illuminatam. Novimus, quanti *Hermanni von der Hardt* fuerint conatus; quid Cel. *Furmontius*, ſenior, operæ huic rei impenderit; & quantum laboris ab aliis fuerit extricandæ Mythologiæ inſumtum. Noſtrum eſt, exponere compendioſa ratione, quid ſpectet, & quorſum tendat, Ven. Abbas in *octo Tomis*, quibus idem ſaxum volvere denuo aggreſſus fuit. *Tomus* hic *primus* præter Præfationem complectitur *tres Libros*. Præfationis ſumma vertitur in laboris hujus utilitate. Autor in ea memoriam recolit *Explicationis hiſtoricæ fabularum*, quam ipſe A. 1710 *Voluminibus duobus* edidit, & quibus *tertium* A. 1715 adjecit. Paulo poſt trias hæc *Voluminum* iterata editione in lucem exiit. Laudat ipſe expoſitiones mythorum, quas *Meziriac*, *Bochartus*, ac *Voſſii*, data occaſione expromſerunt. Meminit *Diſſertationum* ſuarum, fabulis illuſtrandis accommodatarum, quæ leguntur in *Commentariis Academiæ optimarum literarum*, & Explicationum, opera ſua interpretationi Gallicæ *Metamorphoſeon Ovidii* adjunctarum. Profecit ex *Cogitatis criticis ſuper populos vetuſtos*, quæ *Furmontius* evulgavit ſenior, & quorum mentionem honorificam ſuo loco fecimus ex profeſſo. Reſpexit continuo ad ſcriptores antiquiſſimos, utraque oratione uſos, ad numos, ad inſcriptiones, ac vetuſtiſſima monumenta, nec non recentiorum Diſſertationes, quas convenienter ſcopo & modeſtiæ laudavit. Mythologiæ ſenſum primarium ex hiſtoria orbis priſca exſculpendum eſſe, exiſtimat, ratus, allegoriam & ethi-

cam

cam in eis principatum haud obtinere. Nec tamen negat, exſtare hinc inde fictiones particulares & exornationes, quarum ſenſus hiſtoricus fruſtra exquiratur. Diſtinctionem, qua *Varro* differre putat tempus incognitum a mythico, & hoc ab hiſtorico, ad Græcos reſtringendam eſſe, ſibi perſuadet. Deos, ſeu Heroas, Græcorum pro Regibus Heroibusque Ægypti ac Phœnices habet, unde Græci originem, colonias, religionem, moresque, nacti fuerint. Coloniis iſtis permixtos fuiſſe ſacerdotes aliquot, hieroglyphicæ hiſtoriæ peritos, quis inficiabitur? Oraculo Dodonenſi Pelaſgorum in Græcia ætate præſedit fœmina Ægyptia, nec ipſi Pelaſgi norant Deos ſuos, quippe peregrinos. Hoſce ex Ægypto traductos fuiſſe, Noſter non dubitat. Jovem ac Titanas, & utrorumque bella, Græciæ debere ſua incunabula, largitur. An vero Patriarchæ Ebræorum lateant in Deorum antiquiſſimorum hiſtoria, definire haud audet. Reſtare genuinas apud Græcos in ipſa mythica ætate hiſtorias, it comprobatum ex itinere Argonautarum, bello Centaurorum ac Lapithorum, laboribus *Herculis*, gemino Thebarum bello, ipſoque bello Trojano, licet haud neget, Græcos hiſce hiſtoriis affudiſſe pigmenta. Nullus dubitat, ſcriptores exſtitiſſe inter Græcos ante *Heſiodum* & *Homerum*, ſuſpicatus, hos in cauſa fuiſſe, ut vetuſtiores cœperint jacere neglecti. Tum vero oſtendit, quomodo mythi antiquiſſimi inter Græcos per manus interventu ſacrorum fuerint propagati traditique. *Tomus I Libros* continet *tres*. *Primo* præmittuntur ea, quæ ad propoſitum ſpectant, nominatim Iſagoge & *Capita ſeptem*. Iſagogen paulo poſt curatius inſpiciemus. *Caput primum* edocet lectorem, quid ad Mythologiæ ſtudium aliquid notitiæ præſidiique conferat, quinam ſcopuli ſint evitandi, & qua ratione in fabularum explicatione ſit verſandum. *Capite ſecundo* Ven. Abbas, fabulis haud meras ineſſe allegorias, ivit comprobatum. *Capite tertio* fabulas diviſit in partes convenientes. *Capite quarto* ſubminiſtravit de fabularum origine conjecturas. Idem argumentum *Capite quinto* perſecutus fuit æque ac *ſexto*; idque *ſeptimo* tandem ex *Ovidii Metamorphoſibus* confirmat. *Libro ſecundo*

cùndo ſeſe ad theogonias veterum evolvendas accingit, nominatim Chaldæorum, Phœnicum, Ægyptiorum, Atlantidum, Græcorum, *Ovidii*, Chinenſium ac Indorum, Braminorum, Americanorum, quibus nonnihil de gentium & Poetarum religione adjungit. *Libro tertio* exponit de origine ac progreſſu idololatriæ, & de exordio & originibus cultus religioſi, ad ſimulacra & errores graviores deflectentis. Idololatriam a veneratione, aſtris exhibita, deducit. In evolvendis idololatriæ progreſſæ articulis ſeſe oſtendit operoſum. Tum vero de gentium templis, de aris, lucis, & aſylis, de ſtatuis, ſacrificiis ac victimis, de cultus religioſi inſtrumentis, de ſacerdotibus & ſacrificiorum miniſtris, de feſtis Græcorum ac Romanorum, de ſupplicationibus, de lectiſterniis thenſisque, de evocationibus Deorum, rituque devovendi, nec non de cerimoniis religioſis, quas fundationi urbium adhibere erat ſolenne, commentatur. Hoc eſt *Tomi primi* argumentum. Index vero unus, isque univerſalis, *Tomo VIII* acceſſit. Libet porro, quid Autor in *Iſagoga* de Mythologiæ nucleo & ſumma ſentiat, cognoſcere. Deſignat vero ipſe per Mythologiam nihil aliud ac fabularum notitiam, nec non religionem extraneam myſteriorum ejusdem, cerimoniarum, cultusque, quo pagani Deos Deasque proſecuti fuerunt, cognitio-
Pag. 5. nem. Commendat ob hanc notitiam Poetas veteres, inprimis tragicos, *Ovidium*, *Antonium Liberalem*, *Diodorum Siculum*, *Apollodorum*, *Hyginum*, alios. Mythos tamen omnes eſſe hiſtorici argumenti, negat, largitus, exiſtere etiam aliquas argumenti phyſici, allegorici, moralis, immo apologos. Fabulam de Narciſſo, omnesque apologos, indicia ſymbolica eſſe doctrinarum moralium, fatetur. Dan-
7. tur etiam fabulæ Mileſiæ & Sybariticæ, ad delectandum concinnatæ. Dantur mixtæ, quarum fundus eſt hiſtoricus; ornamenta autem fictionum adjectarum ſpectant ad Phyſicam ac moralem Philoſophiam. Ineſt Mythologiæ religio Polytheiſtarum. Quare interpretem ejus legiſſe oportet opera Philoſophorum, ac inprimis primos Chriſtianæ eccleſiæ doctores, ac inter eos *Auguſtinum*, *de Civitate Dei* commentatum.

tatum. Tum vero recenſet Ven. Autor ſcriptores, qui argumenta religionis paganæ ſingularia ex profeſſo tractarunt. Omiſit vero B. *Joannis Gothofredi Lakemacheri Antiquitates Græcorum ſacras*, Helmſtadii A. 1734, 8, evulgatas. Lætatus fuiſſet Autor, ſi cognoviſſet, *Lakemacherum* docuiſſe *pag. 110*, quomodo ex civitatibus Dii Deæque fuerint facti. Exponit idem deinceps, quid Mythologi veteres ac novi præſtiterint, ac breve de eis facit judicium. *Natalem Comitem* laudat, notans tamen in eo negligentiam, ad hiſtorica elementa cœcutientem. Examinat ſyſtemata mythologica haud una, primo Platonicorum recentium, qui, allegorias & phyſicas doctrinas in fabulis latere, contenderunt, *Platone* præeunte; hinc *Athan. Kircheri*, qui fabulas univerſas ex Ægypti hieroglyphicis deducere conatus fuit; tum *Samuelis Bocharti*, qui fabularum originem ex vocibus Phœniciis, in alium ſenſum detortis, exſculpere ſtuduit; porro eorum, qui hiſtorias & doctrinas ſacrarum literarum in fabulis ſeſe credunt detexiſſe, quod merito repudiat; tandem illorum, qui, unam amplexi tabulam, haud dubitarunt omnem Mythologiæ compagem ex ea ſuſpendere. Approbat potius eorum ſententiam, qui fabularum originem ex priſca Hiſtoria, quam Poetæ pervetuſti ornando corruperint, credunt repetendam. Quo fine vetuſtiſſimos Poetas, qui exſtant, recentiori ſcriptorum nubi præfert, quippe qui denuo adjecerunt aliquid de ſuo. Fabulas ab uno tempore & ab uno ingenio profluxiſſe, merito inficiatur, ſiquidem gentes olim cultiores certatim hinc inde mythos invenerunt, quæ diverſitas ex nominibus Deorum hominumque, quibus fabulæ ſcatent, facilis eſt dijudicatu, niſi eadem fabula apud gentes diverſas ſub nominibus diverſis occurrat. Argonautarum iter, *Herculis*que labores, in numero hiſtoricorum eventuum cenſet. Monet vero, arte eſſe opus ad fictiones annexas inde ſejungendas. Imperium, quod Titanes tenuerunt, vaſtum fuit, & longe lateque patuit per Phrygiam, Thraciam, Græciæ partem, inſulam Cretam, aliasque ad Hiſpaniam uſque provincias. *Pezronus* ſibi perſuaſit, vaſtiſſimum hunc principatum ſucceſſu temporis tripartito

Pag. 9. 13. 16. 18. 22. 26. 31. 33.

Digitized by Google

diviſum fuiſſe, ac ex eo fabulam de imperio inter *Jovem,*
35. *Neptunum,* ac *Plutonem,* diviſo emanaſſe. Applaudit *Lactantio,* cujus ſunt hæc: *Non res ipſas geſtas finxerunt Poetæ, ſed geſtis addiderunt quendam colorem rebus.* Suffragatur certe *Lactantio Pauſanias,* nec non *Cicero* ipſe *Lib. V Tuſc. Quæſt.* Docet deinde Autor artem, qua allegoriæ & fictiones queant a vero diſcerni, ratus, id, quod fidem excedit, ornamentis poeticis deberi. Fabulas diſtribuit in hiſtoricas, philoſophicas, allegoricas, morales, mixtas, & ad placendum in-
52. ventas. Fabulam *Homeri* de *Ate* inſerit fabularum numero, quæ partim ſunt allegoricæ, partim morales. Crediderimus, ſubeſſe antiquam de corruptionis peccatique primordiis tradi-
56. tionem. Mythorum originem deducit ex vanitate, literarum defectu, falſaque Oratorum eloquentia. Addit: *Si conaremur hodieque hiſtoriam heroum noſtrorum ex plurima Panegyricorum parte componere, aut ex orationibus funebribus; ipſa ad minimum æque foret fabuloſa & dignitati proxima, ac hiſtoriæ illæ antiquiſſimæ compages.* Notat prodigioſi amorem in *Valerio Maximo, Dione Caſſio, Tito Livio, Plinio, Sandovallo,*
62. *Mezerajo, Pereſixio,* ac expeditionum cruciatarum ſcriptoribus. Negat eo ipſo, eos, qui omnia in majus evehunt, nævosque omittunt, vel incruſtant, *publici rationem habere uſus.* Nec omittit originem fabularum, quas ex regionibus remotioribus attulerunt peregrinatorum ac mercatorum cœtus. Et quis neſcit, quantum origo fabularum debeat ingeniis Poe-
65. tarum, pictorum, ac artis ſcenicæ hominum? Autor nil in-
76. tereſſe exiſtimat inter *Mercurium, Thaut, Teutaten,* ac *Hermen.* Monet porro, a Poetis ex uno heroe factos fuiſſe complures, & ex nonnullis feciſſe illos nonnunquam duntaxat unum. Perſuadet ſibi præterea, ignorantiam Phyſices ac Phi-
82. loſophiæ exſtitiſſe matrem fabularum fœcundam. Et quis ambiget, origines coloniarum & artium ipſis materiem fabulis ſuppeditaſſe? Gentes enim inventores legum & artium cœlo adſcripſerunt, quorum cultum adjuverunt, ſibi quippe lu-
86. croſum, ſacerdotes. Cupiditate flagrabant proceres deducendi genus ſuum a Diis. Addit itaque idem, Poetas falſis

genea-

genealogiis condendis ac exornandis vacasse. Nec eos prorsus refellendos judicat, qui, fabulas aliquot e literis sacris male intellectis exortas esse, tradiderunt. *Inachus* certe, *Cecrops*, *Danaus*, *Cadmus*, e Phœnice in Græciam transfretarunt. *Huetium* tamen, & Autorem operis *Conference do la Fable avec* Pag. 91.
l' Histoire sainte, *Fürmontium*, aliosque, plus justo hanc opinionem protendisse, animadvertit, siquidem Judæi sacra sua occultarint, finitimisque fuerint inviſi. *Deucalionem* esse *Noachum*, largitur. Ostendit inde, quantum discrepent eorum opiniones, qui fabularum fere omnium origines e sacris literis arcessunt. Ignorantia Chronologiæ & progenitorum quamplurimis mythis inveniendis præbuit occasionem. Id enim, quod gentes ignorarunt, fingendo conati sunt supplere. Doctrina de creatione fuit in chaos conversa, *Jubal* in *Apollinem*, *Thubalcain* in *Vulcanum*, *Abel* in *Pana*, &c. Conditores gentium & urbium assignati fuerunt mythicis abyssis. Et quot fabulæ ex ignorantia linguarum exortæ sunt? *Samuel Bochartus* hujus rei multa suppeditavit exempla. Addit Autor fabulas, quæ ex ignoratione aliorum verborum succreverunt. Fabula de *Itade* Ægypto debet incunabula. Autor in familia *Chami* & *Canaanis* putat latere primam mythorum originem. Idololatriam pro vehiculo fabularum habet. Ignorantiam Geographiæ & rei nauticæ peperisse fabulas satis multas, idem copiose docet. Amores quoque fœminarum adulterini velo mythorum tecti fuerunt. *Ovidii* fabulas aliquot Autor ex Phœnice & Ægypto deducit, plurimas Græciæ transcribit, pauculas credit originis esse Latinæ. Tum vero se ad theogonias gentium convertit exponendas. Primordia capit a Chaldæorum theogonia, quam asservavit *Syncellus* ex *Beroso*. Vocatur primus homo in ea ζῶον ἄφρενον. Credimus, legendum esse εὔφρενον, siquidem is reliquis impertiit notitiam literarum, scientiarum, & artium elementa illis insævit. In theogonia hac Autor credit latere historiam creationis *Mosaicæ*, ac speciminis loco subjicit evolutionem. Decada heroum exponit de decem primis Patriarchis. *Sisuthri*, qui Chaldæorum est *Noachus*, ætate orbis terrarum fuit inundatus. Theogoniam

95. 111. 117. 128. 134. 138. 141. 148. 151.

goniam Phœnicum Autor ex *Sanchoniathonis* fragmento *Euſebiano* deſcripſit. Credit tamen, *Philonem* interpolaſſe priſcum *Sanchoniathonis* monumentum. Addit, id opus eſſe indicium atheiſmi Phœnicum, quantum de productione omnium rerum in eo legitur. *Toutum*, Ægypti magiſtrum, aſtrolatriæ fuiſſe autorem, perſpicitur ex *Sanchoniathone*, qui ex illius doctrina deſumſit dogmata ſua, & nihilo minus narrat, primos parentes, *protogonum* & *æona*, ſolum ſolem, veluti
Pag. 156. cœli dominum, religioſe coluiſſe. Vocatur ille *Tot* in ſacris literis נֶכֶר, ejusque ſectatores בְּנֵי נֵכֶר. *Hypſuranius* dicitur beſtias immolaſſe duabus petris, vento ignique conſecratis. Ejus & *Memrumi* liberi traduntur parentibus defunctis cultum præſtitiſſe religioſum. *Thot* ſcilicet affectavit antiquitatem idololatriæ, a ſe inventæ, ac diluvii memoriam callide prætermiſit. Noſter animum induxit ad credendum, decem
161. generationes primas, a *Sanchoniathone* recenſitas, per *Caini* poſteros eſſe computandas, quarum duas omiſerit *Moſes*. De theogoniæ ipſius authentica veritate haud videtur dubitaſſe. Addit tamen, eam a Phœnicibus ſucceſſu temporis fuiſſe ad-
173. ditionibus depravatam, Græcisque anſam ſimilium theogoniarum ſuppeditaſſe. Hinc ad theogoniam Ægyptiorum tradendam deſcendit, uſus inprimis autoritate *Diodori Siculi I, 7*, oſtenditque, in ea æque Deo locum haud eſſe, quod ipſum ex *Porphyrii* & *Diogenis Laertii* teſtimoniis it comprobatum.
179. Duumviris his accedit *Euſebius*, *Socratis* teſtimonio uſus, *Præp. Evang. Lib. I pag. 27.* Grandes maximique Ægyptiorum Dii fuerunt *Sol*, *Chronos*, *Rhea*, *Zevs*, *Hera*, *Hephæſtus*, *Heſta*, & *Hermes*. Dolendum eſt, quod *Diodorus* & *Herodotus* Græca nomina ſubſtituerunt priſcis Ægyptiis, nec, Numinum Ægyptiorum Græcorumque qualis fuerit differentia, addiderunt. Græci enim externis rebus ſemper aliquid aſſuerunt,
181. licet eas primum fuerint ſecuti. Aſtrolatria & heroum cultus religioſus in theogonia Ægyptia utramque paginam fecerunt. Poſthæc Autor theogoniam Atlantidum perluſtrat, quam ſolus *Diodorus III, 4*, exhibet, & in qua æque dominatur
189. aſtrolatria. Subjungit ei Græcorum theogoniam, *Herodoti*

haud

Digitized by Google

haud oblitus, qui, Deos Græcorum ex Ægypto veniſſe, tradidit. Decerpit illam ex *Orpheo* ac *Herodoto*. *Orphei* doctrinam derivat ex Philoſophis Pythagoricis, ex *Damaſcii* libro περὶ ἀρχῶν, ac *Timothei* Chronographi compendio Coſmogoniæ *Orphicæ*, ratus, eam unitati Dei faviſſe, ſi *Timothei* fide ſit ſtandum. Ex hoc ſpecimine facillimum eſt judicatu, quonam in pretio libri, a *Banierio* diligentiſſime elaborati, debeant eſſe apud æquos rerum æſtimatores.

Zuverläßige Nachricht und Unterſuchung von dem Alterthum der Stadt Zürich, und von einer neuen Entdeckung merckwürdiger Antiquitäten einer bisher unbekanten Stadt in der Herrſchaft Knonau, ꝛc.

id eſt,

ACCURATA ENARRATIO ET INVESTIGATIO antiquitatis Tiguri, & novæ inventionis antiquitatum memorabilium oppidi cujusdam, olim in dominatu Knonau ſiti, exhibita a JO. JAC. BREITINGERO, Prof. Tiguri.

Tiguri, ſumtibus Heideggeri et ſocietatis, 1741, 4.

Plag. 11½, cum Tab. æn. 3.

Tiguri homines a Tigurinis deſcendere, quorum jam *Cæſar* meminit, arbitratur Cel. Autor, idque conſtare monumentis, quæ in pago Tigurinorum hodieque reperiuntur, ſibi perſuadet. Monumenta ejusmodi detecta fuerunt A. 1709 Pag. 12. prope Winterthur in monte, ſeu colle, Limperg, quæ exſtant in *Journal des Sçavans Tom. XLV A. 1709 pag. 427*, in Cel. *Schelhornii Amœnitatibus Hiſtoriæ Eccleſ. liter. Tom. II*, in P. *Bernardi Montfalconii Corpore Antiquitatum Tom. II Tab. 189 pag. 418*, ac exponuntur in libro, *La Religion des Gaulois, Lib. II Cap. 34 pag. 442*. Alia antiquitatis rudera fuerunt prope Kloten, duabus horis inde a Tiguri urbe, A. 1724 reperta, quæ deſcripta tunc fuerunt in *Novellis literariis Tigurinis pag. 181*, & peculiari Commentatione Cel. ac Ven. ſenis,

Joannis Baptiſtæ Ottii, nec non Cel. Autoris, illuſtrata ſunt.

Pag. 14. *Breitingeriana*, hoc eſt, luculenta, *Commentatio in antiqua monumenta, in agro Tigurino nuper eruta*, exſtat in Cel. *Schelhornii Amœnitatum literariarum Tomo VII pag. 1 - 75.* Anno tandem 1741 detecta fuerunt varia antiquitatis monumenta prope villam *Lunneren*, quæ in præſenti libello Cel. Vir expoſuit, ſuisque conjecturis illuſtravit. Recenſebimus illa ſuccincte. Impudica Dei commentitii icon, oſſium nonnihil, Romani aliquot numi, ſceleta hominum, ad orientem reſpicientium, ſcutella,
15. affabre facta ex terra uſta, cui inſcriptum EPONA, verſicoloria corallia, inſtrumenta ferrea, rubigine conſumta, cineres, interque eos oſſa ambuſta ac fragmina ſepulcralium urnarum, duo cultri, rubigine fere conſumti, duæ ornamentorum orichalceorum particulæ, annulus minor ex orichalco, urna ſepulcralis pulchrior ac major ex argilla fictili nigra, clavi ferrei, vitri liquefacti particulæ, culter ferreus incurvus, vitrum, & numi aliquot, ab edaci vetuſtate conſumti, veſtigia
17. furni figulini, fragmenta urceorum anguſto orificio, patellarum fragmenta, veſtigia domus balneatoriæ, ſeu vaporarii, ac templi, in loco, qui *Iſenberg* vocatur, aliaque hic in cenſum veniunt inventa. Videtur *Iſis*, ſeu *Luna*, ibi quondam
21. culta fuiſſe. Corpora mortuorum partim ſepulta, partim concremata, ibi fuiſſe, facile hinc eſt intellectu. Vel diverſitati
25. gentium, vel diverſæ ætati, id tribuendum. Apta vero olim viventibus inſtrumenta cum mortuis fuerunt ſepulta, teſtibus *Servio* ad *Æn. X, 827*, & *Pomponio Mela II, 2*, Illuſtravit hunc morem *Trogilius Arnkiel Monum. Cimbr. I, 22, 23*, & *III, 7.* Cel. Autor ſibi videre videtur in icone illa *Priapum*, ſeu
29. *Oſiridem*, adjutus a *Diodoro Siculo V, 1*, & *I, 2*, qui cum *Plutarcho* refert, *Oſiridem* mortuis præſidere, eisque relevationem
32. praebere, creditum. *Eponam*, ſeu *Hipponam*, equis, equilibusque præſidere exiſtimatam, Helvetiis fuiſſe notam, perſpicitur ex Inſcriptione Solodurenſi. Hipponæ meminerunt *Plutarchus* in *Parallelis minoribus Cap. 29 pag. 312*, & *Apulejus Metam. III pag. 96.* *Eponam* memorat *Tertullianus Lib. I adverſus gentes Cap. 11*, haud ſecus ac *Minucius Felix pag. 32*, &

Pruden-

Prudentius adverſus Unionitas pag. 277. Hipponæ meminit *Juvenalis Sat. VIII v. 157.* Noſter, *Hipponam* ab *Epona* diſtin- Pag. 35.
guendam eſſe, monet, &, hanc pro Dea topica ac tutelari habendam eſſe, ratus, reſcribendum eſſe apud *Tertullianum, Minucium*, & *Prudentium, Hipponam*, ſuſpicatur. Locum *Eponam* putat a ſeſe inventum fuiſſe in *Bonſtetten*, quaſi *Eponſtetten*, 38.
ſitum in pago Tigurino, & duabus horis a Lunnera disjunctum. Coralliorum vincula & annulos fœminis demortuis fuiſſe propria, docet. Numi adjecti videntur naulum *Charonti* dandum exhibuiſſe. De vaporario adjungit Cel. Vir perpauca. Non 42.
dubitamus, quin monumenta complura ex agro Tigurino in lucem ſint proditura, quibus ſi æque felix & peritus antiquitatum cultor obtigerit judex, Helvetiam Romanam inde non parum illuminatum iri, læti vaticinamur.

HISTORIA PRÆFECTURÆ SACRORUM Thomanæ, quam Præpoſituram vocant, in incluta Lipſienſium urbe, a primis initiis uſque ad ejus commutationem facta ſacrorum reformatione, ex memoriis rerum veterum ſcripta a M. JUSTO CHRISTIANO THORSCHMID, Paſtore Annaburg.

Lipſiæ, in Bibliopolio Lanckiſiano, 1741, 4.

Plag. 10½.

Autori Pl. Rev. lubuit Lipſiam noſtram illuſtrare ac labores ſuos theologicos diſtinguere operis ſubſecivis hiſtoricis. Edidit ille jam olim *Antiquitates Plocenſes*, & partem *Antiquarii Eccleſiaſtici Saxonici.* In præſens *pag. 24* ſpem injicit evulgandi *Commentarii ad Catalogum Bibliothecæ Paulinæ Fellerianum*, illuſtraturus hiſtoriam Saxoniæ eccleſiaſticam & literariam. Inſcripſit hanc Hiſtoriam Theologis ac Oratoribus ſacris Eccleſiæ noſtræ Thomanæ, Viris ſcientia & virtute multijuga præſtantiſſimis. De S. *Thoma* in dedicationis formula diſſeruit ſolide & jucunde. Exercitationem ipſam quatuor temporis periodis diſtinxit, earumque tractationi ſubjecit Appendicem

literariam *Thomanam*, & Indicem ſatis copioſum, dolens, ſibi copiam *Annalium Thomanorum* haud fuiſſe factam, quos olim
Pag. 3. *Georgius Horn*, *de Seslach*, quem alii *Haslog* nominant, procurator monaſterii Thomani, ſcripſit. Præfectura ſacrorum Thomana conſtitit olim ex Præpoſitura Conventus Canonicorum Regularium Ordinis S. *Auguſtini*, quæ per emendationem ſacrorum in ſacerdotium primi ordinis ac Paſtoratum ampliſſimum fuit converſa. Fundavit Præpoſituram *Theodericus*, filius *Ottonis Divitis*, Miſniæ Marchionis, ipſe Marchio Miſnienſis & orientalis, cui *Juditha*, Thuringiæ Landgravia, conjux contigerat. Hic monaſterium S. *Thomæ* ſacrum eſſe voluit, deinde etiam S. *Joanni* Evangeliſtæ Sanctoque *Auguſtino* conſecravit, & quinque altáribus ornavit, quorum ſingula indulgentiis Pontificum Romanorum largaque manu fuerunt aucta & locupletata. Præpoſitum primum egit *Conradus* quidam. Monaſterii initia in annum incidunt 1213. Confirmarunt illud Imperatores *Otto IV*, *Fridericus II*, & *Adolphus Naſſovicus*, nec non Pontifices *Honorius III* & *Joan-*
9. *nes XXII*. *Wernherus* A. 1219 monaſterio Præpoſitus datus fuit, cui adjuncti erant Prior, Cuſtos, Curator, aliique, qui Conventum ac Capitulum & Communitatem conſtituebant. Deſideramus Scholaſtici munus. Succeſſerunt *Wilhelmus*,
14. *Eckardus*, *Hertvicus*, *Albertus*, *Nicolaus de Peſna*, *Nicolaus*, qui veſtitum liberiorem Canonicis ſuis indulſit, & cui *Bonifacius IX* A. 1395 confirmavit jus, Magiſtros ſcholarum conſtituendi, Scholaresque ad cantus in divinis beneficiis ad-
24. hibendos, ac inde amovendos. *Petrus* Præpoſitus in chartis publicis ſuis formula *Dei gratia* fuit uſus, licet Marchionum ditionis eſſet monaſterium illud, *Thomæ* ſacrum. Diplomata integra Autor haud inſeruit tractationi, ſed ſummam eorum ſignificavit, indicatis ſimul Autoribus, qui ea in lucem protraxerunt. De veſtitu Canonicorum regularium *Auguſtini*, ac eorum ſcholis, aliisque memoratu dignis, idem paſſim erudite diſſeruit, laudatis Autorum teſtimoniis, apud quos iſthæc copioſius exponuntur. Modeſtiæ divinæ ſpecimen dedit *Henricus Schuzmeiſter de Orlamunde*, qui Epiſcopali dignitate

tate Merſeburgenſi ſeſe abdicavit, ut Præpoſituræ Thomanæ præeſſet, quietioris vitæ ſtudio inductus. Confirmata fuit Academia noſtra, A 1409 exorta, Diplomatibus in *Refectorio* Pag. 26.
Canonicorum Regularium Cœnobii S. Thomæ in Lipzk, quemadmodum docent literæ, quibus Principes fundationem communierunt. Præpoſiti id potiſſime egerunt, ut ſaluti Academiæ conſulerent, ac egenorum miſeriis ſubvenirent. Suſpicionem Autor injicit nobis, pulſum campanæ matutinæ pre- 30.
catoriæ, diebus ſingulis peragendum, A. 1447 juſſu *Friderici Placidi* Lipſiæ originem cepiſſe. Rogamus lectores noſtros, ut exquirant, an mos ille, in dies campanam precatoriam ciendi, ex hoc inſtituto profluxerit; an exempla exſtent antiquiora. *Regens Burſæ*, ſeu *Burſarius*, dictus fuit Se- 33.
culo XIV præfectus Collegii, qui plerumque erat Doctor Theologiæ, ſeu Juris. Omittimus Præpoſitos ac Regentes Burſæ in præſens. Id tamen prætermittere nefas foret, D. *Ambroſium* 44.
Rau, Præpoſitum inde ex A. 1530, inclinaſſe ad reformationem Theologiæ & eccleſiæ corroborandam. Ipſe certe A. 1539 haud obſtitit, quo minus Collegium ſuum in ſeminarium Evangelicæ doctrinæ commutaretur. Juvat addere an- 48.
notationes aliquot ex Autoris Bibliotheca, ad annales typographicos, & hiſtoriam renaſcentium Lipſiæ literarum, facientes. En libros formæ, quæ dicitur quarta: *Aurelii Prudentii*
Martyr Romanus, impreſſus per induſtrium Calcographum Mel- 65.
chiorem Lotterum A. 1513; *Richardi Sbrulii, Equitis Forojulienſis, Theocharis, impreſſa per Jo. Hanaw* A. 1513; *Fr. Baptiſtæ Mantuani ſecundæ Parthenices opus, tribus Libris conſtans, impreſſum Lypſig per Baccalaur. Martinum Herbipolenſem*, A. 1510; *Ejusd. contra Poetas impudice loquentes Carmen, impreſſum Lipzk, per Baccal. Martin. Herbipol.* A. 1515; *M. Tullii Ciceronis familiares Epiſtolæ breviores, Lipſic. impreſſit Wolfg. Monocenſis, in platea Grymenſi, e regione D. Pauli*, A. 1514; *D. Jo. de Rytſcher Dialogus de S. Rom. Imperii rebus ad Fridericum Saxoniæ Electorem, Torgau*, A. 1504 *impreſſit Lyptzk Melchior Lotter; Coccii Sabelliti Epiſtolæ, impreſſum Liptzk, per Baccal. Martinum Herbipol.* A. 1511. Gratula-

Digitized by Google

mur Autori tractationem, frugis optimæ plenam, ac solidissime scriptam, exspectaturi ex ipsius diligentia dapes complures, salivam tam benigne moventes.

PATRIARCHÆ JOSEPHI RELIGIO AB CRIMINATIONIBUS Basnagii vindicata; Dissertatio, habita illustres inter Academicos a P. CASTO INNOCENTE ANSALDI, O. P. Eam vero typis committendam curavit A. J. D.

Neapoli, excudebat Felix Carolus Mosca, 1738, 8. Plag. 9.

Basnagius in annotationibus ad *Cunæi* Historiam Judaicam *Cap. 7* exquirere conatus fuit causam & originem, e qua simultates Ægyptiorum adversus Hebræos fluxerunt. Credit, sese invenisse eam in religionis diversitate, quæ distinuerit Ægyptios, ipsumque *Josephum* Proregem, a Judæorum religione. *Basnagii* verba Gallica, in Latinum translata, sic habent: *Moses, qui Ægyptiorum mores apprime callebat, eorum quippe sapientia imbutus, Patriarcham Josephum carnes cum fratribus haud comedisse tradit, neque id alia de causa factum, nisi quod Ægyptiis cum Israelitarum gentibus comedere prohibitum esset, quæ illis erant horrori. En antiquum religionis discrimen, quod quidem ante Israelitarum in Ægyptum iter atque introitum radices egerat, eoque processerat, ut id unum alteri redderet invisum, & in convicia civilis vitæ transiret. Patriarchæ Josephi religioni famæque minus iste consulit sacri Codicis locus, quo dicitur, Hebræos Ægyptiis fuisse abominationi. Inde enim apparet, Josephum sese Ægyptiorum moribus accommodasse. Equidem adventus fratrum in Ægyptum Patriarcham debuisset a simulatione criminosa arcere, avitamque ad religionem reducere. At consilium hoc ipsi videbatur minus opportunum, quod ob rem familiarem distulit. Interfecta sunt animalia ad instaurandam exteris fratribus mensam. Neque enim opus illa erant animalia Ægyptiis, aut certe haud sine superstitiosis ritibus adhibebantur. Quos cum Israelitæ aversarentur, Ægyptiis cum Hebræis mensæ societas haud erat.* Hæc verba *Ansaldus* appellat *criminationem pice nigriorem*, caute-

tus,

tus, 1) in ſacro Codice haud tribui *Joſepho* ullam idololatriæ ſpeciem; 2) *Ex. II* laudari *Joſephum* ratione pietatis in Deum, Deique erga illum gratiæ; 3) *Philonem* in *libro de Vita Joſephi* doctrinam ejus veram & pietatem in unum Deum defixam concelebraſſe; 4) Ægyptiorum turbam, cum Iſraelitis verſus montem Sinai egreſſam, deſideraſſe carnes in cibum ex conſuetudine avita; 5) *Joſephi* ævo in Ægypto animalia cultu religioſo nondum fuiſſe affecta. Nec tamen inficiatur Autor, dari Autores bene multos, qui exiſtiment æque, animalia pro Numinibus fuiſſe ab Ægyptiis habita, eo etiam tempore, quo *Joſephus* convivio fratres excepit. Quibus vero repugnant *Grotius*, *Cunæus*, *Malvenda*, *Fonſeca*, *Toſtatus*, *Petrus de la Haye*, & *du Hamel*. *Moſis* profecto ætate animalia quædam diviniora fuerunt exiſtimata, quam ut ea Iſraelitis intra Ægyptum immolare liceret. Κακοζηλία Iſraelitarum, ad Sinai vitulantium, id ipſum ſatis aperte demonſtrat. *Apin* certe, hieroglyphicon potiſſimum Ægypti, multi putant exſtitiſſe *Joſephum* ipſum. Sunt, qui *paternum* arbitrantur Ægyptiis dictum fuiſſe *Api*. *Herodotus* vero Apin ignorat. *Tacitus* hunc judicat *Joſepho* longe recentiorem. Ægyptiorum vetuſtiſſimam idololatriam in corpora cœleſtia tantum tetendiſſe, Autor ſuſpicatur. Sol & Luna certe olim iſthic ſub *Oſiridis* & *Iſidis* nomine culti fuerunt. Exiſtimat porro, dynaſtiam paſtorum Arabum fuiſſe Iſraelitarum, in Ægyptum venientium, eorumque turbæ, dominatum. *Diodorus Siculus* & *Herodotus* eam dynaſtiam ignorant tacentque. *Manetho* eam primus memoravit. *Baſnagius* inde collegit, eam prorſus effictam eſſe. Conſecutionibus illius vim eſſe nullam, credit Autor, repetens cum *Joanne Lightfooto Clerico*que cauſam odii, in Ægyptios exerciti, ex calamitate, quam Deus *Pharaoni* immiſit ob *Saram* correptam. *Joſephum* haud comediſſe cum fratribus putat, eo quod dignitas Proregis commercio illi viliori repugnaverit, *Chryſoſtomo* ſuffragante. Quem morem ipſe exemplis orientalium illuſtrat. Et hic quidem eſt argumentorum numerus modusque, quibus Pl. Rev. *Anſaldus* cauſam *Joſephi* & peroravit, & propinione ſua vindicavit.

Pag. 5. 9. 21. 25. 35. 37. 47. 60. 87. 101.

COM-

COMMENTATIO HISTORICO - THEOLOGICA de Joanne Duræo, pacificatore celeberrimo, maxime de actis ejus Succanis. Pro ſummis in Theologia honoribus in Academia Julia, præſidente JO. LAURENTIO MOSHEMIO, Theol. D. & Prof. Primar. reliqua, habita ab CAROLO JESPER BENZELIO, Sacr. Reg. Majeſt. Suecicæ a ſacris aulicis & Conſiſtorio.

Helmſtadii, 1744, 4.

Alph. 1 plag. 1.

Licet *Petrus Bailius Diction. hiſt. & crit. P. I pag. 1043, Jo. Chriſt. Colerus* in *Hiſtoria Jo. Duræi*, qua ea inprimis, quæ & *Bailius* & *Godofr. Arnoldus* tradiderunt, diligentius inveſtigantur & explicantur, *Ant. Guil. Bœhmius* in *der Engliſchen Reform. Hiſt. Lib. VI Cap. 10 pag. 944*, atque alii, fuſius jam de celebri illo pacificatore, *Joanne Duræo*, ſcripſerint; non tamen actum egit, quin utilem potius laborem ſuſcepit, Ven. *Benzelius*, eandem hiſtoriam ac vitam retractans. Tot enim vera ab eo plenius dicuntur, tot falſa emendantur, tot ſingularia proponuntur, ut eum deinceps ſolum allegaſſe ſufficiat. *Duas* autem in *Partes* inſtitutum illud diſpeſcitur. *Altera* vitam *Duræi* narrat, ubi ab A. 1628 ad A. 1661 multum juvit Autorem ejusdem Epiſtola, ad Principem aliquem imperii A. 1662 Tiguri apud Helvetios data, qua ſuccincte itinerum & actionum ſuarum, pacis cauſa ſuſceptarum, ordinem, omiſſis tamen, quæ dedecori eſſe potuiſſent, propoſuit *Duræus*. *Altera Pars* explicat, quænam apud Suecos idem tentarit ac geſſerit, quibus patronis & adverſariis inter eos uſus fuerit, quem denique exitum ipſius habuerit conatus. Natus eſt *Jo. Duræus* Edinburgi apud Scotos. Patrem habuit cognominem, celebrem ac diſertum ibidem verbi divini miniſtrum, acerrimum partium Presbyterianarum defenſorem, Genevenſis ſcholæ ac diſciplinæ aſſertorem fortiſſimum, unde & a *Jacobo* Rege poſt initia Seculi XVII Scotia pulſus, atque in exilium miſſus eſt, ex quo, ad mortem uſque, Lugduni Batavorum parvi gregis

Pres-

Presbyteriani, ex Anglis & Scotis compositi, Pastorem egit. Filius, in Anglia pariter aliquando moratus, nominatim A. 1624 in Academia Oxoniensi Bibliothecæ Academicæ opes sibi per aliquod tempus colligere laboravit. Aliquot annis post Elbingam Prussiæ commeavit, ut sacerdotis in parvo Anglicorum & Scoticorum mercatorum cœtu munere fungeretur. Eo vix venit, cum magnum illud consilium de Protestantibus pacis vinculo colligandis, quod per totum postea vitæ tempus mente volvit, conciperet, non repente quidem & temere, sed paulatim & post longam deliberationem. Erat tum Elbinga sub ditione *Gustavi Adolphi*, Suecici Regis, Polonorum potestati erepta. Constituerat is ibi summum provocationum tribunal, eidemque *Casp. Godemannum*, Consiliarium intimum, præfecerat. Mittebat hic A. 1628 binos viros, alterum aulæ Consiliarium, alterum Gymnasii Rectorem, qui libellum, a se compositum, *Duræo* offerrent, in quo modum controversiæ de S. Cœna inter nostros & Reformatos componendæ ostenderat. Huic is invitationi libello de S. Cœna peculiari respondit, & valde se *Godemanno* probavit. A. 1630 Elbingam venit *Thomas Roe*, sive *Rowe, Jacobi I* legatus ad Regem Suecorum extraordinarius, ut cum regni Suecici Cancellario *Axelio Oxenstiernio* de maximi momenti negotiis deliberaret. Is *Godemanni* ac *Duræi* consilium admodum probavit, atque *Oxenstiernii* auxilium imploravit. Hic, *Duræo* arcessito, quicquid posset se auxilii laturum promisit. Eodem anno in Angliam, ubi tum *Carolus* infelicissimus ille regnabat, profectus *Duræus* est, & in ea antistiti primario, atque aliis deinceps, consilium suum aperuit. Hæc inter publicas literas a nonnullis accepit, ut & a Presbyterianorum doctoribus viginti. Anno post convenerant mense Martio jussu Principum suorum Theologi quidam utriusque partis Hassiaci, Brandenburgici, Saxonici, apud Lipsienses, de pace sancienda. Acta hujus colloquii cum accepisset Noster, suorum consilio, ad *Gustavum* in Germaniam profectus est. Reperit eum Herbipoli in Franconia, qui desiderio ipsius annnebat, & eum simul cum Austriæ ministris, *Fabricio* & *Jo. Matthiæ*, colloqui

jubebat. Posterior, postea Stregnensium antistes constitutus, æque εἰρηνοποιοῖς libellis inclaruit, multasque sibi pariter molestias concitavit. Multis laboribus exantlatis, a *Gustavi* morte, A. 1733 in Angliam redibat, ibidemque sequenti, Puritanis relictis, Presbyter cœtus alterius inauguratus est, quare sibi *Guil. Laudum* propitium reddidit, neque exigui momenti auxiliatorem. Inde Belgas ad pacem sollicitare laborarunt ejusdem studiosi, sed minimo pariter cum emolumento. Ita vero rediit in Sueciam, ad antiquum Mæcenatem, *Duræus*, ibique, per integrum biennium subsistens, consilia sacri & civilis ordinis viris persuadere sua laboravit. Idem ipsius fuit apud Danos institutum; sed pari utrobique successu. Hinc in Saxonia inferiori nominatim apud primarium antistitem ac rempublicam Bremensem, itemque apud Duces Brunsuicenses ac Luneburgenses, eandem volvebat rotam. Cum autem anno Seculi quadragesimo in Angliam rediret ad nova ibidem præsidia colligenda, cum *Carolo I* spes illius anno post maxime decollarunt, intestinis bellis sacrorum curam fere suffocantibus. Adeoque *Duræus* a Rege in Bataviam ablegabatur, ut ejus filiæ, *Mariæ*, *Guilielmo II*, Principi Arausionensi, nuptæ, a sacris domesticis esset. Eodem deinceps anno 1644 officio illo, bona superiorum venia, se abdicavit. Quanquam itidem alia, per intervalla, tum munera, tum itinera, obiit. At novis turbis implicabatur, tum Puritanorum & episcopaliun, tum aliis. Redibat inprimis ad Presbyterianos, qui vocantur, atque magno inter illos pretio habitus, qui Reformatos & nos conjungere volunt, perquam gravem se ac molestum iis, qui ab antistitum partibus steterunt, exhibebat, simulque *independentibus*, aut *fratribus congregationalibus*, fortiter restitit. Neque tamen in majore occupatione fatigabatur, præsertim cum Theologi Anglicani atque ipse *Cromwellus* A. 1654 eandem fulcirent. Reformatos jam inprimis cœtus jungere laboravit, præcipue ad Helvetios se conferens, antequam iterum nostros Theologos adiret, qui primam semper exceptionem habebat, vocem *Duræi* non esse totius Reformatorum cœtus. Rediit igitur nunc paulo paration

ratior ad eosdem, atque etiam conditiones pacis non solum scripto complectebatur, sed et harmoniam confessionis Protestantium publici faciebat juris. Denuo cunctis a consiliis depulsus, tutum Cassellis, quod *Hedwig Sophia*, Comes Hassiæ provincialis, liberaliter concedebat, hospitium repetiit. Nihilo minus novum tentamen instituit, edendo explicationem divinitus *Joanni* factæ patefactionis, sermone Gallico A. 1674 publicatam. Atque etiam alia propemodum ad mortem usque pericula fecit; quæ quo tempore ipsum exceperit, non omnino liquet. Saltem A. 1678 adhuc erat superstes, ac, nonagenario majorem ipsum decessisse, *Jo. Chr. Colerus* ex *Sam. Pomario* notavit. Hæc sunt fere, quæ præcipue *Caput prius* proponit. Acta Suecica, tanquam singularia, qui desiderat, is ægre carebit hoc scriptore nostro.

ELEMENTA MATHESEOS, AD MECHANICAM Philosophiam in privatis scholis tradendam & comparandam accommodata, Autore P. F. FORTUNATO A BRIXIA, Ord. Min. Ref. Prov. Brixiæ Lect. Theol. Script. Ordinis, & in Brixiana Acad. Publ. Mathes. & Nat. Phil. Prof.

Brixiæ, 1740, 8 maj.

Plag. 11, cum Tab. 4 æri incis.

Doctiss. Autor qui in veriore Philosophia & Mathesi, ore scriptisque docendis, laudabilem diu jam posuit operam, hoc libro nec perfectos formare vult Geometras, nec ea singula tradere, quæ ex mathematicis ad omnem Physicæ recentioris ambitum animo concipiendum sciri debent, siquidem ipse monet, recentiorum studiis eo deductam esse naturalem scientiam, ut nemo ne quidem extremis labris illam degustare possit, nisi in addiscendis Geometriæ & Algebræ elementis meliorem vitæ partem improbo labore triverit. Tantum igitur in Opere hoc dicendum existimavit, quantum sufficit, ne quis in amœniori Physices parte plane hospes existat. Prima Arithmeticæ vulgaris elementa supponit; de literali pauca

habet, quæ proportionum theoriæ intelligendæ ſatis ſunt, conicarum Sectionum theoriam ſummis tantum labiis attingit, quod nimirum non niſi pauca ex iis, quæ ab hiſce curvis dependent, naturæ phænomena in ſcholis privatis explicentur; utque fine ſuo primario potiretur, omnem adhibuit operam, ne opuſculum in nimiam molem, tironum terriculamento, excreſceret. Itaque de libro hoc plura dicere nobis non licet, quod non novis quidem inventis literarum reipublicæ prodeſt, concinnitate tamen ordineque, quo palmaria Matheſeos puræ effata tradit, & demonſtrationibus, pro brevitate libelli, captuque tironum, ſat rigoroſis, laudem omnino meretur.

ABREGE' DU MECANISME UNIVERSEL, &c.

hoc eſt,

MECHANISMUS UNIVERSÆ NATURÆ, DISCURSIBUS & QUÆSTIONIBUS PHYSICIS BREVITER EXPOSITUS, QUIBUS CAUSÆ NATURALES ATQUE IMMEDIATÆ PHÆNOMENORUM MAXIME STUPENDORUM EXPLICANTUR, DEMONSTRATIONIBUS FUNDATIS IN OBSERVATIONIBUS & EXPERIMENTIS ACADEMIARUM REGIARUM PARISIENSIS & LONDINENSIS, AUTORISQUE IPSIUS. Opera MORINI, Sacerdotis, Profeſſoris Philoſophiæ in Collegio Regio, quod Caſtris (Chartres) floret.

Pariſiis, 1740, 12.

Alph. 1, cum 4 Tab. æri inciſis.

In tanta copia Compendiorum phyſicorum, quæ Gallia edidit, neque fieri forte poteſt, ut omnia enumeremus, neque, omnia a nobis enumerari, ad ſcientiæ naturalis incrementum multum conferret. Attamen non deerimus Lectoribus noſtris, breviter indicando libellos, qui, ſi non multum novi forte contineant, poſſint tamen interdum ad elementa doctrinæ cognoſcenda ſatis eſſe idonei. Ejus generis eſt is, quem præ manibus habemus, in quo ſi quis nova inventa, diligentiſſimis-

que

Digitized by Google

que naturæ ſcrutatoribus inaudita, quærat, cogitare debet, opus non alio fine ab Autore publici juris factum, quam ut tempori parcat, ab auditoribus in dictatis ex ore præceptoris excipiendis impendendo. Ceterum concinno ſatis ordine Autor palmaria Phyſices capita *novem Sectionibus* exponit. *Prima*, quantus ſtudii phyſici ſit uſus, quantaque jucunditas, oſtendit, præferendo illud, quod non poſſumus, habita ratione generis vitæ Autoris, mirari atque laudare, quoad utilitatem, in Theologia etiam, Logicæ peripateticæ, innumeris quæſtionibus de univerſalibus, categoriis, æquipollentia, & ſimilibus, refertæ. Utilitatem enim ſcientiæ ex perfectione æſtimandam dicit, quam menti conciliat, aſſuefaciendo illam meditationibus, juſtisque ratiociniis, experientiam vero docere, hominem veris Logicæ præceptis, de methodo jungendi ideas aſſuetum, nihil niſi de quo certo conſtet, ſumentem, phænomenorum quotidianorum cauſas phyſicas explicantem, & ubique in judiciis ſuis rationi atque experientiæ innixum, absque multa cognitione anteprædicamentorum, prædicamentorum, & poſtprædicamentorum, felicius ratiocinari acutiſſimo Peripatetico, avide abſtractiones aranearum telis ſubtiliores devoranti. Ipſe ad exempla ſibi nota provocat, ſtudioſorum, quos, cum nunquam omnes Commentatorum edidicerint, nunquam profundam ſubtilis *Scoti* ſubtilitatem exhauſerint, admirati tamen fuerint eorum in Sorbonna condiſcipuli. Hoc ſcriptoris, in ea regione degentis, ubi religio ipſa ſcholaſticis ſubtilitatibus aliquam conciliat autoritatem, judicium ut huc poneremus, facit, quod in noſtris terris, libertate methodoque philoſophandi a præſtantiſſimis ingeniis tam egregie oſtenſis, videamus tamen multos, qui ſibi aliisque magna Philoſophiæ lumina judicantur, in metaphyſicis logicisque ſpinetis continuo oberrare, ipſique Phyſicæ, ſi quando, ne non ex aſſe Philoſophi videantur, illam attingunt, quoniam, quæ vera pulchraque in hac ſcientia ſunt, Matheſeos non ſatis gnari, intelligere non poſſunt, horridam illam præteritorum ſeculorum barbariem denuo inducere.

Sed, ut ad Autorem redeamus, ille, his præmiſſis, naturæ, cui voci cum illuſtri *Boyleo* ſignificatum, quem decet, jungit, vires in genere explicat, immenſamque triplicis, in mundo cœleſti, mundo elementari, & effluviis inviſibilibus, obtinentis, mechaniſmi potentiam docet. *Tertio Capite* (*Diſcurſus* vocat) mundi ſyſtemata, ſphæram, & faciliora quædam ex Aſtronomicis Problemata, exponit. *Copernicanam* hypotheſin reliquis præfert, ea, quæ ex ſacris literis ſolent in contrarium afferri, ſecundum apparentiam interpretatus. Humanum corpus *ſequenti Capite* contemplatur, adductis breviter celebriorum Anatomicorum de motu cordis, digeſtione, muſculorumque operationibus, ſententiis. *Quintum Caput* affectiones aeris exponit, experimentis, ope gravitatis elateriique aeris inſtituendis, quædam a ſe inventa addens, quibus uberius recenſendis, non eſt, quod immoremur, cum notum ſit, poſſe, has vires variis modis applicando, innumeros effectus produci; quibus, ſi vel oculi paſcuntur, vel uſus aliquis vitæ communis obtinetur, ſcientiæ tamen naturali, quatenus incognita myſteria naturæ inveſtigat, non utitur cognitis, novum incrementum non accedit. De lumine & coloribus agunt *duo*, quæ ſequuntur, *Capita*, ubi quoque ſucceſſivam lucis propagationem ex Academicorum Pariſienſium obſervatis Autor explicat. Sed de coloribus *Malebranchii* ſyſtema probat, experimentis novis ſatis, ut ſibi videtur, innixus, in quibus vero, niſi oppido fallimur, nihil eſt, quod vel ipſius ſententiam confirmet, vel *Newtonianam* evertat. Lucem modificatam colores efficere, priſmatis experimento probat, quaſi *refringi* in radiis lucis eſſet *modificari*. Eam partium conſtitutionem, quæ omnes radios lucis vivide reflectat, albedinis cauſam dicit, ut contrariam nigredini. Poſt album colorem luci puræ proximum colorem flaveum ponit, deinde rubrum, viridem, cæruleum, violaceum, nigrum. Eos vibrationibus lucis inæqualibus differre, ut vibrationibus aeris inæqualibus ſoni differunt, ut flavi vibrationes copioſiores ſint, vibrationibus rubri, & ſic ordine pergendo per reliquos, pronun-

Digitized by Google

pronuntiat, non probat. Experimenta enim colorum, ex confusis variis liquoribus genitorum, quid pro Autoris sententia faciant, non perspicimus. Alcalica infusum Heliotropii violaceum reddere, acida rubescens, credit inde esse, quod illa, diminuendo elaterem partium, debiliores reddant vibrationes, hæc, rotundiores efficiendo moleculas, vividiorem colorem, puræque luci propiorem, creent. Quæ ita comparata esse existimamus, ut, quam probatione omni destituantur, facile quivis perspiciat. Quid enim est, unde constet, debilitare alcalica elaterem partium? Quis, nisi, *Cartesianorum* felicitate adjutus, invisibilia pingere didicerit, novit, rotundiores fieri moleculas ab acido affuso? *Newtonianis* vero inventis, in quibus ceteroquin multa egregia esse lubens fatetur, opponit principiis physicis contrariam esse, quam statuit Anglus, actionem in distans, corporumque exsertam in lumen attractionem, deinde incredibilia esse supposita, lucis ex radiis diversorum colorum, diversarumque reflexibilitatum & refrangibilitatum, constantis, inprimis cum applicentur phænomenis crystalli Islandiæ explicandis, ubi pro situ, quem diversa latera unius ejusdemque radii respectu crystalli habeant, nunc ordinaria, nunc extraordinaria, refractio contingat. Sed, dum horum absurditatem ostendere laborat, sumit pro verosimili, lucem, utpote sub æqualibus semper angulis incidentem & reflexam, ex particulis sphæricis constare, horum autem globulorum partes laterales diversas proprietates habere a partibus non lateralibus, id esse rem ab omni veritatis specie remotam. Hoc, nisi fallimur, est ex supposita *Cartesiani*, aut *Malebranchiani*, systematis veritate *Newtonianum* destruere. Rursus gratis sumi a *Newtono*, radios, in prisma incidentes, parallelos esse, & æqualiter inclinatos, cum a diversis disci solaris punctis proficiscantur, & adeo non mirum sit, si diversis modis reflectantur atque refringantur. Quasi vero non idem cum unico radio tenuissimo, qui ab unico disci solaris puncto proficiscitur, fieret, possetque concipi, radios, pro punctorum solis, a quibus emanent, diversitate, ita comparatos esse, ut

qui

qui alia obliquitate incidant, (ſiquidem diverſa hæc obliquitatis attendi meretur,) refracti alios colores referrent. Id eſſet diverſos colores non quidem unico radio compoſito, ab unico diſci ſolaris puncto proficiſcenti, tribuere, ſed radios, prout a diverſis punctis exeunt, aliter aliterque tinctos cogitare. Pergit Autor, etſi radii omnes eodem modo incidere ponantur, tamen non poſſe æqualiter reflecti, aut refringi, quoniam in exitu non omnes ſimiles conditiones reperiant. Violaceos enim, in parte concava curvaturæ, aut inflexionis radii refracti, exiſtentes, minus eſſe ſuffultos exterioribus, rubeosque in convexitate extremos maxime omnium ſuffulciri. Hæc & ſimilia, non magis intelligibilia, Autor *Newtono* objicit. Denique ad experimentum *Mariotti* provocat; ex radio rubeo atque violaceo alios denuo colores ſeparantis. Nam, quod, hos radios non ſatis adhuc ſeparatos fuiſſe, *Newtoniani* contendant, *Gaugerio*que repetenti experimenta *Newtoniana* omnia ſucceſſiſſe, prius in tanta diſtantia, in quanta *Mariottus* radium exceperit, dici non magis poſſe, quam *Gaugerium Mariotto* opponi.

Hæc fuſius exponere libuit, non quod vera, aut nova, nobis videantur, ſed quod in graviſſima hac quæſtione ſpecimen ratiociniorum Autoris præbitura ſint. Ceterum, ut in recenſendo Autoris opere pergamus, ex theoria ſua, Iridem & halones coloratos circa ſolem & lunam explicat, deinde de magnete agit, poſt ignis effectus contemplatur, tum culinaris, tum artibus variis chymicis excitati. Hæc ſequitur conſtructio facilis inſtrumentorum, quibus in hoc curſu utitur, cum modo, illis utendi, finemque faciunt operis quæſtiones variæ phyſicæ. Ex eo pauca admodum rectius uberiusque diſci poſſe, quam ex libellis phyſicis apud nos vulgaribus, nemo eſt, qui non videat.

DE THERMOMETRIS MENSURÆ CONSTANTIS Commentatio, Autore CAROLO GUSTAVO A BERGEN, Med. Doct. & Prof. Publ. Ord.

Fran-

Digitized by Google

Francofurti ad Viadrum, typis Philippi Schwartzii, Acad. Reg. typographi, 1745, 8.

Plag. 5, cum Tab. æn. 1.

Notas ignis, quæ ſub ſenſum cadunt, Cel. Autor exiſtimat eſſe *lumen* & *calorem*, ingenue faſſus, ignem huc usque perfecte definiri haud poſſe. Calor efficit rarefactionem, ſeu corporum in majus volumen expanſionem; frigus ex adverſo corpora in minus volumen coarctat, ſeu condenſationis cauſam continet. Quærit Autor, an phænomena attritus & electricitatis ſint ignis terreſtris centralis progenies. Calorem, qui animantibus vivis ineſt, habet idem pro effectu compoſito ex attritu humorum circulantium, & calore ambientis medii, quo circumdantur, adeoque eum in ingenitum ac adſcitium dividit. Frigus dubitat per privationem caloris definire, ratus, haud deſiderari rationes, quæ comprobent, in frigore dari quidpiam poſitivum, ſcilicet motum, quo elementa rerum corporearum continuo verſus centrum corporis gelu rigentis tendunt. Videtur vero hic motus non ad frigoris indolem per ſeſe conſideratam ſpectare, ſed ad leges gravitatis, vim æquipondii ſectantis, quod per frigentia corpora imminuitur, ſiquidem deſinunt inibi calentes exiſtere particulæ gradus majoris, quæ condenſationem per rarefactionem adverſantem impediunt & tollunt. *Fluidum elaſticum*, hoc judice, eſt id, *cujus vires, volumen ejus augentes, vel minuentes, agendi virtute æquales ſunt.* Inde it comprobatum, aerem eſſe *corpus fluidum elaſticum*, ideoque fieri inde capacem rarefactionis ac condenſationis. Inde colligit, experientia adjutus, dari perpetuum caloris & frigoris in corporibus duumviratum ac viciſſitudinem, a ſtatu ſolis in horizonte & gradu caloris intra atmoſphæram pendentem, omni fere temporis momento variantem. Modum, quo calor per corpora diſtribuitur, oſtendit expediri per ſpatiorum menſuram, non ſecundum corporis denſitates. Experimentum *Fahrenheitii*, a *Bærhaavio* confirmatum, eum in finem repetit, ac novum addit. En hoc: *Filo ſuſpenſum & calefactum globum metallicum immergo aquæ, proxima globo incaleſcunt,*

Pag. 4. 6. 8.

maxime in ratione diſtantiæ a globo, reliqua rarefient. Minus probatur Autori ſententia Cel. *Hambergeri*, qui communicationem ignis & caloris, in vicina corpora propagatam, ex principio cohærentiæ, qua ſpecifice leviora tendunt verſus ſpecifice graviora, deducere conatus fuit, credens, calorem ſemper tranſire in corpus ſpecifice gravius. Repugnant enim huic ſententiæ experimenta, per oleum ac aquam inſtituta, quibus convincimur, oleum ad gradum 600, aquam ad 212 gradum, ebullire. Quo ipſo docemur, augmentum caloris non ſemper in ratione denſitatis ac gravitatis ſpecificæ vel naſci, vel propagari. Pergit Autor hunc in
Pag. 9. modum: *Corporum rarefactio eſt ſignum ignis præſentis.* Pronuntiatum hoc pateſcit ex thermometris ac pyrometris *Muſchenbræckii* & *Ellicoti.* Diſtinguit thermometrum meteoro-
12. logicum a chymico, ac thermometrum a thermoſcopio. Thermometrum genuinum primus adornavit *Daniel Gabriel Fahrenheit*, Gedanenſis, natus A. 1686, ac defunctus A. 1736, cui *Rœmerus*, phyſicis ac aſtronomicis acutiſſime amicus, congelationis ac ebullitionis terminos in conficiendis thermometris ſuggeſſerat, ſi fides eſt Cel. *Hanovio* in *Memorabilibus Gedanenſibus. Fahrenheit* ſcientiam ſuam A. 1714 Berolini Societati Regiæ comprobavit. Poſtea egit Amſtelodami, multum ibi cum *Bœrhaavio* verſatus. Dolendum ſane, quod vir hic eximius artificium, conficiendi thermometrum ejusmodi, ne
13. morti quidem vicinus prodidit cuiquam. Sunt tamen, qui, id ſibi ab illo manifeſtatum eſſe, dictitant, ac thermometra *Fahrenheitiana* publice vendunt, nominatim *Grahamus* Londini, ac *Prinzius* Pariſiis. Cel. Autor ſuam hanc deſcriptionem genuini ac harmonice reſpondentis thermometri debet tum propriæ meditationi, tum ſedulæ ſcriptorum *Bœrhaavii* ac *Muſchenbræckii* lectioni. Ipſe, problema ſuum reſoluturus, jubet attendere 1) ad requiſita vaſis, ſeu vitri, quod liquorem thermometri continet, 2) ad requiſita fluidi, ad thermometrum, conficiendum ſelecti, 3) ad modum replendi thermometrum,
15. & 4) ad modum ſcalam applicandi, ſuosque in gradus diſtinguendi. Differt indoles vitri pro officinarum vitriariarum diverſitate. Venetum eſt ductilius, Bohemicum magis rigidum.

dum. Ex hac differentia exoritur facultas, vel facilius difficiliusque, vel citius ſeriusque, exhibendi dilatationem ad ſenſum. Prædicat Autor vitrum, in Marchia Brandeburgica hinc inde paratum, quippe Bohemico rigidius, licet hermetica ſigillatio in hoc vitri genere difficilius producatur. Vitrum thermometricum conſtat ex tubo cylindrico & vaſculo interiori, liquorem thermometricum majoris copiæ continente. Hujus vaſculi figuram ſphæricam minus favere fragilitati, largitur; præfert tamen cylindricam ac lentiformem, ut Pag. 17.
caloris vis in eam celeriorem poſſit edere effectum. Lens etenim æque ac cylindrus, ad ſphæram molis ejusdem collati, ſuperficiem obtinent majorem. Expedit, ait Noſter, ut tu- 18.
bus & vaſculum ejusdem ſint craſſitiei, non ſolum propter faciliorem afferruminationem, ſed etiam eapropter, ut æqualitas detur inter effectum caloris in ſuperficiem tubi & cylindri, vel ſphæræ. Anguſtior liquoris thermometrici cavitas propter vires cohæſionis & attritus liquoris ad tubi vitrei latera nullius fere uſus eſt, inprimis quo levius ſpecifice fuerit fluidum thermometricum. *Muſchenbræckius* exigit caviditatis 19.
diametrum $2\frac{1}{2}$ pedum ac ultra uſque ad triplum. Monet ſimul Noſter, longitudinem ſcalæ & ſpatium liquoris thermometrici percurſum ſemper pro ratione cavitatis auctæ decreſcere. Longitudo thermometri major facit ad uſus chemicos, præcipue ſi loco hydrargyri adhibetur ſpiritus. Negat ipſe, exiſtimandum eſſe, thermometrum unius pedis longum haud æque, ac aliud 3, vel 4, pedum, eſſe poſſe accuratum. Non po- 20.
ſtulat, ut ſolliciti ſimus multum de ratione capacitatis vaſculi ad tubi capacitatem, dummodo provideamus, ut tubus thermometricus ſit tam longus & tam capax, ut liquor, durante gelu rigidiſſimo, vel frigore artificiali ſummo, nunquam 21.
finem longitudinis emetiatur. Hanc vero curam expedire diſcimus, ſimul ac recordamur, liquida, diverſis vaſis contenta, invicem habitudine ſic eſſe inſtructa, ut inter capacitates eorum ſtereometricas detur proportio. Optimas fluidi thermometrici notas deinde recenſet Autor haud perfunctorie. Commendat hydrargyrum. Spiritum vini, aqua mix- 22.

tum, & calore imbutum, recuſat ferre, vel laudare. Ob ſenſibilitatem ſummam, ſi quis eam velit conciliare, ſuadet, ut periculum fiat adhibito *Frobenii* æthereo, ſeu luminoſo, liquore.
Pag. 26. Hydrargyrum adhiberi cupit a ſordibus deſtillatione depuratum, vel ex cinnabari reſuſcitatum. Addit hæc: *Hic Mercurius in crucibulo caleſiat terreo, donec in eo eſt, ut fumet paulo poſt. Quo facto, includatur illico recipienti, & retrahatur aer, relinquaturque ſub vacuo aliquamdiu, donec refrixerit. Mercurius, ſic purgatus, ſervetur in vaſe ſicco, puro, clauſo, ad uſum.* Præcipit porro Vir laudatiſſimus modum, quo thermometra
29. mercurialia ſunt replenda. Monet, nil aeris ſupra ſpiritum, vel hydrargyrum, eſſe relinquendum. Artem, qua aer ille ſit expellendus, idem addit. Tandem ipſe ſe ad quartum momentum exponendum accingit, ad ſcalæ applicationem. Momentum hoc in conſtruendis vulgaribus thermometris eſt fa-
32. cillimum; at in thermometris menſuræ conſtantis, ſive ea ſint meteorologica, ſive chemica, multo difficillimum. *Muſchenbræckii* ac *Bærhaavii* præcepta, ad hanc rem facientia, dilaudat Noſter, ac ea ſequitur. *Fahrenheitius* in ſcala ſua perpetuo ad terminos ebullitionis & congelationis aquæ attendit, atque priori adſcripſit numerum 212, poſteriori autem 32; reliquos vero gradus infra trigeſimum ſecundum per frigus artificiale, variorum ſalium cum glacie miſtura deſignavit. *Fahrenheitius*, ut punctum congelationis inquireret, thermometrum ſuum aquæ, in glaciem abeunti, immiſit, ac altitudinem
35. graduum 32 notavit. Noſter autem leviſſimæ congelationis notam in pruina poſuit, eamque pro primo factæ glaciei puncto habens, adſcripſit ſex integris gradibus ſupra punctum
37. congelationis aquæ numerum 32. Apparatum adjicit porro reliquum, ac punctum ebullitionis deſignare docet. Thermometrum qui ejusmodi conſtruxerit, is machinam habet, cujus calor unus ad alterum in ratione lineæ rectæ ad rectam
39. comparari poteſt. Cur vero ſcala terminis congelationis & ebullitionis notatur? Scilicet eo, quod, aqua eo usque calefacta, ut ſemel ebulliat, majus caloris incrementum non capit, quocunque tandem ignis gradu majori urgeatur. Me-

talla

talla certe ſemel fuſa majorem ignis gradum haud ſuſcipiunt. Addit nihilo minus Autor duos caſus, in quibus exceptioni a regula eſt locus, & quorum notitia corollariis eſt fœcunda. De puncto congelationis aquæ ita diſſerit idem, ut indicet rationem, cur pruinam pro leviſſimo frigore glaciali, ſeu puncto leviſſimæ congelationis, aſſignaverit. Indicat præ- Pag. 47.
terea rationem, cur Phyſici diverſas computationes inſtituerint thermometricas, gradibus frigoris hiemalis A. 1709 & 1740 definiendis intenti. Salia tradit eſſe concreta naturalia, quorum ope frigus ſummum producatur, licet rationem, 56.
cur frigus tantum inde oriatur, haud exponat. Nævos thermometri Florentini ediſſerit. Recenſet modos, quos Phyſici ad illis medendum deſignarunt. Docet conſtructionem thermo- 59.
metri *Fahrenheitiani* harmonizantis meteorologici. Addit tandem aliquid de thermometris chemicis, ac figuram triplicis 70.
thermometri conſtantis, ejusque elaborationis. Diſcent hinc poſteri, ad quantum perfectionis gradum ætas noſtra ſtructuram deduxerit thermometrorum, & quid reſtet excogitandum atque tentandum.

Verſuch einer nähern Entdeckung und beſſern Zuſammenhangs der luſtigen Phyſicæ Ænigmaticæ, &c.

id eſt,

TENTAMEN CLARIORIS DETECTIONIS, Meliorisque connexionis, in jucunda Phyſica Ænigmatica inſtruendæ, confirmatum a J. F. B. O. G. S. C. D.

Stolbergæ, ſumtibus Autoris, 1740, 4.

Alph. 1 plag. $\frac{1}{2}$.

Theologia mythica ethnicorum quibus occaſionibus fuerit progenita ac enata, definitu videtur difficile. Percenſuit eam in *Theogonia Heſiodus*. Non igitur inutilem Autor impendit operam huic parti antiquitatum orbis priſci, quippe quæ in cœlos ipſos ac ſidera olim fuit ſubvecta, ac imagines globi cœleſtis opplevit. Certant Critici de theogo-

niæ ſenſu, ac Phyſices ænigmaticæ ſcopo vetuſtiſſimo inde a ſeculis ducentis, & adhuc ſub judice lis eſt. Qui in ea ſunt hæreſi, ſidera figuram componere, ex qua nomen & appellationem trahunt, illi procul dubio a janua aberrant. Deſeruit hanc expoſitionis viam Ill. Autor, novamque ſibi multo cum labore & ingenio aperuit. Arcanam interpretationem Theologiæ mythicæ quondam Prophetæ, Sacerdotes, ac Principes, ſibi reſervarunt ſoli. Multitudini reliquæ libitum fuit credere, mythos ſenſu proprio in Theologia accipiendos eſſe. Noſtro viſum eſt probabile, eos ſpectare ad Phyſicam agreſtem, & ad res, quæ cuique in oculos incurrunt. Id cum Phyſicis olim minus veriſimile videretur, ipſi *Homeri* ac *Heſiodi* mythos theologicos cœperunt dente circumrodere theonino, cavillisque exponere. Repugnarunt ſacerdotes, rati, Phyſicorum haud eſſe, in arcana & adyta mythorum penetrare, multo minus eis illudere. Compoſita ſunt carmina Græca, ac Poetis *Homero* vetuſtioribus ſuppoſita, ut novis Philoſophorum inventis conſenſus ac autoritas vetuſtioris ætatis favere videretur. Inde implicata ſententiarum diverſiſſimarum de ſenſu mythorum *Homeri* ac *Heſiodi* prodiit multitudo. Hiſtorici vetuſtiſſimi mythos repetierunt, licet expoſitiones eorum vel ignorent, vel evolvere vererentur. *Herodoti* ars in eo fuit verſata, ut Philoſophos inter ac Theologos mythicos medium teneret. Tum vero alii cœperunt in theogoniis hiſtorica, alii ethica, alii phyſica, exquirere ac invenire. Multi, triplicem hanc viam ſimul ingreſſi, diſſidentia in unum alterumque corpus coire juſſerunt. Mythorum evolutæ deſcriptiones ex eo in infinitum variarunt, ut tandem arena ſine calce & ſcopæ diſſolutæ reſtarent. Id in dubium revocari non poteſt, priſcos terrarum incolas rationem externorum ſenſuum habuiſſe potiſſimum, nec e veſtigio & quaſi per ſaltum ſpeculandis rebus, quæ ſenſibus externis haud patent, mentem appuliſſe. Judicia proinde ipſi fecerunt de cœli, ſolis, ſtellarumque, phænomenis, prouti hæc a quotidianis ſenſorum formis fuerunt profecta. Vixerunt ipſi ætatem ſuam

ſine

ſine vi Regum potentium, qui regiones ditioni ſuæ ſubjecerant bene multas. Gaviſi ſunt iidem circa generis humani primordium in libertate ptorſus naturali ac patrumfamilias moderatione ſub cœlo, ſub ſole, ſub luna, ſub XII menſium decurſu. Veritatem religionis divinitus revelatæ homines huc illuc diffuſi intra aliquot progenies dedidicerunt, & ob continuas hominum fere æqualium turbas, feritati amicas, obliti ſunt. Stoici eam ob cauſam ſibi perſuaſerant, mythos orbis priſci congruere ſenſui phyſico, ac mortales primos, vitæ poſtorali addictos, rebus ſublimioribus, ſenſibus quippe externis mancipatos, intentos haud fuiſſe. In horum caſtris militare, ſibi præclarum ac conveniens duxit Noſter. Dolendum eſt, quod libri Stoicorum veterum interciderunt, ac vix aliquot reliquiæ apud *Ciceronem* aliosque Autores reſtant; quæ tamen nec prorſus invicem conſonant, nec complexum omnem corporis exhibent ſpectandum. Quis vero interpretum nævos vertet vitio verbis ac figuris Autotum ipſis? Ætas mythica erat ænigmatum mater. Senſibus externis ac phantaſiæ honorem habuerunt mortales primi. Cultura judicii luculentior ac ars ſevere & conciſe cogitandi ſerius aperta, & in uſum traducta fuit. Ænigmatibus certabant *Simſon*, Regina Sabæ, *Salomo*, primi Græcorum ac Ægypti Muſagetæ. Ingenioſa, quæ cum rebus ſub ſenſum cadentibus concinebant, ad palatum erant orbi priſco. Indolem cogitandi ſemper ſomnia imitantur. At vetuſtiſſima ſomniandi ratio fuit ſymbolica, ac ad phyſicas quotidianasque obſervationes congruit. Recole animo, ſi id dubitas, ſomnium *Joſephi*, e *Jacobo* nati, ſomnia *Pharaonis* duo, ſomnium hominis Gideonitici; ſomnium *Nebucadnezaris*, ac aliorum. Recogita uſum ſymbolorum, Prophetis antiquiſſimis familiariſſimorum. Recordare libidinem Judæorum, ad gentium Deos ſymbolicos oculisque obvios deflectentium. Si id feceris, indolem priſci orbis non amplius requires. Patres eccleſiæ primæ de Theologia mythica ſenſerunt durius, fatemur. Ipſis vero res erat cum gentibus, quæ dudum amiſerant ſenſum mythorum phyſicum, & quæ hiſtoricam expoſitionem

tionem ſectabantur. Diſputandum erat cum his, prouti opiniones horum erant refellendæ ac proſternendæ. Quid vero multiplices variæque illæ nuptiæ aeris, telluris, maris, ac Deorum, inde progenitorum, ſibi volunt? Videntur ſubeſſe naturalia, atque recenſioni creatarum rerum *Moſaicæ* haud abſimilia. Complexum ac conjugia rerum phyſicarum atque temporis III. Autor pro unica habet clave; qua penetrare in *Heſiodi* liceat theogoniam. Annum olim in tres partes fuiſſe diviſum, quarum unam, ſcilicet æſtatem, Cœlum, hiemem Saturnus, ac ver Jupiter, moderatus ſit, arbitratur. Tribuit deinde duodecim lunas decreſcentes Cœlo, totidem Saturno
Pag. 35. creſcentes, totidemque Jovi plenas pro numero menſium. En ſchema:

In menſe.	Ex *Cælo* lunæ decreſcentes.	Ex *Saturno* lunæ creſcentes.	Ex *Jove* lunæ plenæ.
Februario	*Oceanus*	*Neptunus*	*Lucina*
Martio	*Coeus*	*Jupiter*	*Mars*
Aprili	*Creus*	*Maja*	*Venus*
Majo	*Hyperion*	*Eurinome*	*Proſerpina*
Junio	*Japetus*	*Alcmene*	*Diana*
Julio	*Thea*	*Latona*	*Apollo*
Auguſto	*Rhea*	*Semele*	*Vulcanus*
Septembri	*Themis*	*Prudentia*	*Minerva*
Octobri	*Mnemosyne*	*Veſta*	*Bacchus*
Novembri	*Phœbe*	*Ceres*	*Hercules*
Decembri	*Thetys*	*Juno*	*Hebe*
Januario	*Saturnus*	*Pluto*	*Mercurius*
XII menſes.	XII lunæ decreſcentes.	XII lunæ creſcentes.	XII plenilunia.

Græcis vetuſtiſſimis in more poſitum erat, menſes a diebus decem ad aliorum decem dierum initia ſupputare. Triplicando igitur dinumerarunt ipſi ſuos XII Deos majores, ac

XXXVI

XXXVI Decanos inde compoſuerunt. *Homerus* ipſe ſecundum hanc lunæ diviſionem diſtribuit belli Trojani tempora in tres decadas. Fuerunt & Ægyptiis Dii XXXVI, octo primores duodecim medii, ac ſexdecim poſtremi, *Herodoto* teſte. Initium ac finem theogoniæ *Heſiodeæ* Noſter omiſit, ſiquidem utrumque indicat eſſe minoris uſus, corruptumque, & ſuppoſititium. Rationem vero habet globi cœleſtis ac æquinoctiorum, prouti ætas *Heſiodi* videtur id poſtulare. Non vacat in præſens translationem ipſam theogoniæ *Heſiodeæ* Germanicam attentiori cura perluſtrare. Inſeruit ipſe partem ex primo Operum ac Dierum libro de quatuor mundi ætatibus. Nomina Deorum ac Dearum Græca evolvere, ac pro Pag. 56.
nexu doctrinarum ſuarum interpretari, ſtudet. Multum ineſſe probabilitatis huic expoſitioni, ultro ac aperte confitemur. Subjecit *Heſiodeæ* mythologiæ breviora ſua cogitata de ænigmatibus ac arte hevretica *Homeri*. Monuit Ill. Vir in limine, *Virgilium* non intellexiſſe mythologiam *Homero* familiarem, licet, *Homerum* plerumque & veriſimilitudine, & modeſtia, & opinionum philoſophicarum recentium uſu, ac evitatione offendiculorum, quæ naſcuntur ex *Homerica* de Deo- 93.
rum bello rixisque lectione, *Homero* eſſe ſuperiorem, largiatur. Idem errores *Ulyſſis* ab *Homero* exiſtimat accommodatos fuiſſe numeris curſus ſolaris ac lunaris ſacris. Re- 94.
ditum *Ulyſſis*, procosque partim occiſos, partim ſervatos, ingenioſe evolvit, omniaque ejusdem itinera, mythice olim propoſita, perſequitur. Adjung[illegible] *Ulyſſi* erranti *Appendicem*, 96.
de inventione imaginum in ſphæra cæleſti inſcriptam. Originem earum Ill. Autor ex conditione telluris ac tempore, quo illæ ſunt excogitatæ, arceſſit. Cancer certe ſolſtitium ac ſolis receſſum deſignat. Leo æſtum vimque aeris vehementiorem delineat ex inſtitutione primi inventoris. Virgo videtur denegatam ulterius terræ fertilitatem indicare. Libra *Themidis* ſignum eſt damnantis tellurem ad hiemem tolerandam. Scorpius ſtimuli venenati morbos denotat acutos, eosque autumnales. Sagittarius ferarum dejiciendarum eſt ſignum. Aquarius inundationum eſt teſtis. Eadem porro ratione 144.

Autori visum est, figuras cœlestes reliquas ad temperiem ar-
Pag. 147. ticulorum anni attemperare. Adjecit Commentationi epistolam, ad Virum Cel. *Christophorum Augustum Heumannum* datam, qua summam theogoniæ *Hesiodi* enucleatius evolvere conatur. Id vero ponit fundamenti loco, *Hesiodum* 1) tempore mythico vixisse, vitamque egisse pastoralem; 2) nihil tribuisse introductioni Deorum novorum, utpote prohibitæ ac interdictæ; 3) Diis annumerasse Tellurem, Noctem, Diem, Cœlum, Pontum, Flumina, Auroram, Solem, Lunam, Astra. Exinde satis patere credit, theogoniæ argumentum in Physica quadam agresti versatum fuisse. Nec tamen inficiatur, restare in *Hesiodo* reliquias historiæ antiquis-
151. simæ, rebellionem Satanæ, *Japetum*, & alia. Animadvertit, *Hesiodum* sex menses adscendentis solis propter majorem vim pro masculis habuisse, sex vero solis descendentis menses pro fœminis, designantibus quippe minorem vim ac virtutem in fructibus terræ sensim sensimque emorientem. Omnes Deos apud *Hesiodum* Deos esse politicos & rerum inventores, candide negat. Prima orbis nati secula haud ignoraverunt mortes suorum. In *Mose* nihil legitur de Regibus, vel inventoribus, inter astra ac numina collocatis. Id vero inibi gentibus Judæis confinibus exprobratur, quod ipsi, deserto numine non adspectabili, cœlum, solem, lunam, astra, ac vires naturæ creatæ, Deo uni ac vero substituerint, *Deut. IV, 15-19, XVII, 3.* Primus *Alexander Magnus*, hoc judice, in Deorum
152. numerum recipi desideravit. Addidit Noster ad extremum, in hypothesi sua telam theogoniæ cohærere, in reliquis opinionibus aliorum haud æque. Succedit huic *Epistola physi-*
155. *ca vulgi juxta ordinem, sensus externos tangentem, in Theogonia Hesiodi, ænigmatibus mirificis, ingeniosis, sed petulantibus & superstitiosis, depicta, ad filum generationum & qualitatum apparentium, se ipsam ex improviso ostendens, & sponte evolvens.* Decerpemus inde floseulos pauciores. *Chaos*, eo judice, est infimus aer, nos ambiens, halitumque nobis præbens; *terra* denotat solum, quod calcamus; *tartarus* designat inferiora terræ, quæ superficiem sulciunt; *amor*, seu *harmo-*

nia,

Digitized by Google

nia, notat priorum copulationem ac nexum. Inde generantur varia. Ex *Chao* circa vesperam gignitur erebus, seu crepusculum, & nox nigra. Quando noctem excipit di- Pag. 156.
luculum & dies, tum oriuntur æther, seu illuminata aura superior, diesque undique expansus. Ex horizonte terræ prodeunt, ac sensibus sese offerunt, cœlum, seu arcus cœli, terram ambiens, montes porro alti, eorumque latera, Nympharum receptacula, nec non pontus ac maria, frugibus gignendis inepta. Deinde ex diebus pluribus gignuntur menses & 157.
anni tempora per mutuum cœli terræque complexum in annua circumvolutione. Ita terra, cum cœlo concumbens, generat menses diversæ indolis, diversorumque conjugiorum, nempe *Oceanum* per Aquarium Zodiaci, *Cœum* per pisces, *Creum* per arietem, *Hyperionem* per taurum, *Japetum* per geminos, *Theam* per cancrum, *Rheam* per leonem, *Themin* per virginem, *Mnemosynen* per libram, *Phœben* per scorpionem, *Thetin* per sagittarium, & *Saturnum* per capricornum. *Cœlum* ac *terra* gignunt tempore æstivo Bronten, Steropen, Argen, Cyclopes, tonitruum, fulminum, turbinumque, symbola, item Cottum, Briareum, Gygen, qui designant imbres validos, catarrhactas, & inundationes per conglobationem nubium, multorum torrentium impetum, ac congeriem petrarum lapidumque, ad viscera terræ redeuntium ob gravitatem. Primo statim conspectu intelligimus, opinionem, ab Autore electam, ac tantisper assumtam, sua sese probabilitatis specie commendare. Evolvimus Commentationem hanc omnem, nec deprehendimus in hypothesi proposita quidpiam inæquale, pugnans, contortum. Omnia inibi fluunt, mutuoque sese fulciunt subsidio. Quod ipsum indicio est, hypothesin hanc in seriem lusuum ingenii rejiciendam, sed porro excolendam, esse. Persuasit sibi Vir doctissimus, in historia hexaemeri *Mosaica* latere totidem novilunia. Quæ opinio cum nonnullis lectoribus, præcipue Theologis, parum verosimilis, sacroque Codici non satis accommodata, videretur, iique dissensum suum Autori per literas significassent; huic tandem visum est, imputationum minus benignarum nebulas

diverberare. Edidit eo fine Diatribam reſponſoriam, 2½ plagulis quadruplicatæ formæ conſtantem, eamque inſcripſit *Abwendung ungleicher Gedancken über den eigentlichen Sinn und Meynung der Harmonie zwiſchen den ſechs Schœpfungs-Tagen in der jœhrlichen Wieder-Erneuerung der Geſtalt der Erden.* Prodiit ea A. 1741 in lucem. Non pendet Autoris expoſitio in theogoniam *Heſiodi* ab opinione, ad hexaemeron *Moſaicum* translata. Illa itaque retineri poteſt, licet hanc haud admittas. Nec tamen de poſteriori nobis ea ſedet ſententia, quaſi ipſa nequeat ferri, vel cum orthodoxia componi. Id unum adjungimus, poſteriorem illam ob alia argumenta haud una nobis improbabilem videri.

JO. LUDOVICI SCHLOSSERI, PASTORIS ad D. Cathar. Hamburgenſis, & Scholarchæ, Vindicatio Novi Fœderis locorum ex libris hiſtoricis, quorum integritatem V. Cl. JEREMIAS MARKLANDUS, Collegii D. Petri Cantabrig. Socius, correctionibus, quas ſuis in Lyſiam conjecturis inſperſit, ſuſpectam reddere non dubitavit.

Hamburgi, literis ſumtuque Jo. Georg. Piſcatoris, 1742, 4° Plag. 7.

Floret Hamburgum, uti eruditiſſimorum virorum abundantia, ſic inter illos Theologis eccleſiæque rectoribus incomparabilibus. In his S. R. *Jo. Lud. Schloſſerus* loco non poſtremo nominandus eſt, ſive doctrinam & eruditionem, ſive eloquentiam & flumen orationis, ſpectes. Præſens libellus audaciam Criticorum in emendando Codice divino reprehendit, &, poſtquam *Er. Schmidium* a criminationibus *Car. Chriſtiani Wittichii* vindicaſſet, de conjecturis *Jer. Marklandi*, magni nominis Britanni, juſtum fert judicium. Cum ante ſex fere annos Cel. *Taylor* novam *Lyſiæ*, Oratoris Attici, editionem Londini in forma quaterna appararet; *Jerem. Marklandi* conjecturas in *Lyſiam* immiſcuit, ne quidquam lectu

Pag. 2, 3.

ctu dignum novo operi deeſſet. Et optime profecto nominis ſui gloriæ *Marklandus* conſuluiſſet, ſi circa *Lyſiam* ſeſe occupaſſet unice, nec criticam falcem in alienam meſſem immiſiſſet. Sed tentavit, oblata ſibimet occaſione, varios Scripturæ divinioris locos, & ſæpe de lectione communi, *mendo* Pag. 4. *fœdari textum, erratum eſſe, absque dubio aliter eſſe legendum, nullam conſtructionem ineſſe* Φράσει, &c. immodeſte pronuntiavit. Motus igitur rei indignitate Ven. *Schloſſerus*, octo loca librorum N. T. hiſtoricorum, male tractata, egregie prorſus vindicavit. *Primus* eſt in *Matth. V, 19*: Ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. *Marklando* τὸ οὗτος diſplicet; quapropter commutationem τοῦ ω in ο fingit, & ὅτως ſcribendum eſſe contendit. Fundamentum correctionis in commate antecedenti collocat, e quo cenſet verba: καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους, huic ſententiæ parti reſpondere. Ven. *Schloſſerus* & emendationem rejicit, & robur ipſius evertit. Nam primo, 5. τὸ ΟΥΤΟΣ nec ulli antiquorum Codicum probari, nec textui majorem ἐνέργειαν conciliare, notat; ſimulque eos jure optimo reprehendit Criticos, qui, quid potuerit ſcribere vetus Autor, non quid ſcripſerit, inveſtigant. Præterea, vocabulum οὕτω in *com. antec.* prorſus eſſe ſenſui conficiendo neceſſarium, non æque in poſteriori, demonſtrat, quandoquidem in priori loco ad eam ſpectat docendi rationem, qua λύσις fit τῶν ἐντολῶν, i. e. qua legum præ- 6. cepta ſolvuntur ac violantur. Neque enim eorum ſubſcribit 7. interpretationi Rev. *Schloſſerus*, qui ex ſuo ingenio, ſine ullo idonei Autoris teſtimonio, λύειν νόμον convertunt *explicare legem*, cum & in plurimis Scripturæ S. locis ſignificatio violandi, peccandi in ſanctitatem autoritatemque Dei, cohæreat Φράσει *Jo. V, 18, VII, 23, X, 35*, (vid. *Libanius Ep. 53, Iſocrates Trapezit. pag. 533, Alciphron Lib. I Ep. 32,*) & *Ariſtoteles Polit. Lib. V Cap. 7* expreſſis doceat verbis, κινεῖν νόμους de magiſtratibus dici, de civibus λύειν. Sane ex ſimilibus rationibus dicendi λύειν αἰνίγματα, ἀπορήματα, ζητήματα, &c. duci cum *Vrimoeto* & *Hombergio* conſecutio nequit, quemadmodum

nec Latinæ linguæ præcepta patiuntur, phraſes *ſolvere nodos*, *ænigmata*, *quæſtiones*, ad hanc *ſolvere legem* applicare.
Pag. 9. Quod autem ad pronomen ὅστις attinet, id Rev. *Schloſſerus* non inficiatur ad ſenſum haud facere, ſed abundare credit cum efficacia, Græcis Scriptoribus perquam familiari. Vid. *Matth. X, 22, XXIV, 13, XXVI, 23, Marc. VIII, 35, XII, 10, XIII, 13, Luc. IX, 24, 48, Joan. VII, 18, XV, 5, Actor. XVII, 24, Rom. IX, 6, Galat. III, 7, 2 Jo. v. 7, Iſocrates Orat. ad Phil. pag. 216, de Pace pag. 392, Memnon* apud *Photium Cod. 224, Xenophon*
8. *Cyropæd. I, 9.* His poſitis, talem repræſentat verſiculi totius ſenſum: Quicunque ipſemet violabit præcepta Dei, eamque præceptionis rationem tenebit, qua efficitur, ut diſciplinæ ejus male ſanæ alumni credant, ſe ad obſervationem legum ejusmodi in minimis referendarum haudquaquam obligari, vel certe, obſervatione omiſſa, exiguam culpam contracturos, ille minimus erit in regno cœlorum; quicunque autem & obſervabit ipſe, & alios docebit, præcepta Dei, is ſane maximus
10. reputabitur in eodem. *Alterum*, quod tentavit *Jerem. Marklandus*, oraculum optimi Servatoris, iisdem redditum verbis apud *Matth. X, 31*, & *Lucam XII, 7*, reperitur: Μὴ οὖν φοβηθῆτε, πολλῶν στρουθίων διαφέρετε. Offendit Anglum vox πολλῶν, quam cenſet in πολλῷ mutandam eſſe, & ita reddendum Chriſti effatum: *Vos multo præſtantioris naturæ eſtis, quam*
11. *paſſeres.* Tria affert emendationis ſuæ pondera *Marklandus*, primumque e locis *Matth. VI, 26, XII, 12, Luc. XII, 24*, ubi πόσῳ interrogativum idem, quod πολλῷ, affirmativum infert, alterum ex conſenſu *Theophylacti*, tertium ex concinnitate ſenſus, lectioni vulgari adhærentis, indeque emergente multorum paſſerum & animæ hominis æſtimatione comparata, repetit. Singulis reſpondet Ven. *Schloſſerus*, & ad primum notat, tantam haud eſſe vim φρούτους, διαφέρειν πόσῳ, & πόσῳ μᾶλλον, ut alium omnem probatum verbi uſum excludat;
12. ad alterum reponit, Bulgariæ Præſulem ſæpius erraſſe, eique hoc loco unius *Chryſoſtomi* autoritatem poſſe opponi; tertium denique miratur in mentem veniſſe acutiſſimo Viro, cum non docere veritatem abſconditam, ſed notam auditoribus

ribus ad animum revocare, voluerit Servator, id quod vel ex
antecedentibus apparet, ubi passim ἓν, δύο, πέντε, τρεῖς memorantur, & in fine, his omnibus longe præstantiores esse homines, adjicitur. *Tertius* locus est *Luc. V, 13*: Ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι καὶ ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε νηστεύσουσιν. *Th. Beza*, cum in unico Codice τὸ καὶ omissum observasset, vel abundare, vel transponendum, atque cum τότε construendum esse, suspicabatur. *Jo. Frid. Hombergius*, suffragante *Jo. Christoph. Wolfio*, ad τότε referendum, & ideo intermedia verba παρεμβέσεις includenda, censebat. *Jer. Marklandus*, ejici eo, quo reperitur, loco, vult, & ad τότε collocari, quia secundum lectionem vulgarem nec usum præstare, nec venustatem, cum τότε autem conjunctum in aliis quoque N. V. locis, e. g. *Matth. IX, 15*, *Marc. II, 23*, deprehendi, censet. Ven. *Schlosserus* inconcinna putat ejusmodi remedia, cum & καὶ in variis venustissimorum Græciæ Autorum locis abundet, & in N. T. non pleonasmi solum generatim, sed & speciatim τὸ καὶ *Jo. VI, 51*, *1 Thess. IV, 5*, *1 Jo. I, 3*, occurrant, immo καὶ illud Atticorum ἐξηγητικὸν huc applicari, & locus sic explicari, possit: *Veniet tempus*, nimirum *quando auferetur sponsus, tunc jejunabunt*. Similia exempla sunt apud *Aristophanem* in *Plut. v. 28*, *Hesiodum* Ἐργ. *Lib. II*, *Max. Tyrium Diss. XXXII pag. 319*, & in N. T. *Jo. X, 12, 33*, *1 Pet. I, 3*. *Quartus* locus est *Lucæ XXIV, 47*: Καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ΑΡΞΑΜΕΝΟΝ ἀπὸ Ἰερουσαλήμ. Ven. *Schlosserus*, intemperantis animi esse, putat, cum *Marklando*, *Th. Bezæ*, *Er. Roterodami*, *Lucæ Brugensis*, *Jo. Pricæi*, & *Jo. Millii*, partes secuto, voci ἀρξάμενον denegare sensum, ejusque in locum ἀρξαμένων substituere, inprimis cum eadem sit utriusque lectionis notio, si vel τὸ κηρυχθῆναι, vel τὸ κήρυγμα, intelligas, & *incipiente prædicatione*, vel simpliciter *initio facto in urbe Hierosolymarum*, Latine reddas. Quemadmodum, genitivos absolute a Græcis poni, tralatitium est; ita & aliis casibus participiorum inprimis impersonalium aliquando uti Atticos, loca *Act. II, 29*, *XXVI, 3*, *Max. Tyrii Diss. XXXII init. Herodiani I, 14*, docent.

Pag. 13.
14.
15.
16.
17.
18.

Pag. 20. docent. *Quintus*, qui *Jer. Marklando* ſuſpectus viſus eſt, locus legitur *Jo. XXI, 25*: Οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. Credit enim, vel χωρήσειν, vel χωρῆται ἄν, reſcribendum. Miratur Ven. *Schloſſerus*, *Marklando* haud occurriſſe locos ipſius *Lyſiæ Orat. XIII pag. 237, Orat.* 21. *XXV pag. 432, Orat. XXVIII pag. 456*, aut *Thucydidis V, 22*, qui omnes explicari nequeunt, niſi vel aoriſtos in futura mutatos, vel τὸ ἄν excidiſſe, ſtatuatur. Poſtulat igitur ſponſorem Venerandus ſacrarum literarum vindex ejus doctrinæ, quam audacter ſatis profert in medium *Marklandus*. Male profecto antiquorum Autorum libris conſuleretur, ſi quævis locutio, a dictione vulgari paululum ſejuncta, falſitatis ideo 22. arguenda eſſet. Quid? quod ellipſis τῷ ἄν in Græcis ſcriptoribus paſſim legatur; & in conſtructione verborum ἡγέομαι, οἴομαι, φημὶ, ἐλπίζω, & ſimilium, cum aoriſtis infinitivis, his futuri ſignificatio, omiſſo etiam τῷ ἄν, ſit tribuenda. Vid. 23. *Luc. II, 26, VI, 34, XXIII, 8, Act. XXVI, 7, Palæphatus Incredib. Cap. 32, Herodianus I, 10, 12, 16, II, 2, Iſocrates Trapezit. pag. 533, Alciphron III Ep. 3, Polyænus Strateg. V, 12, VI, 1, VII, 28, Ælianus* Ποικ. *XIV, 30, XII, 1, XIII, 20, Hiſt. anim.* 30. *IX, 33, Oppianus* Ἁλιευτ. *III, 495, Diogenes Laert. II, 34. Sextus* locus ex *Act. VII, 58*, eſt petitus, & ad *Stephani* protomartyris ſupplicium ſpectat: Καὶ ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐλιθοβόλουν. *Marklandus*, ineptam, clamat, ταυτολογίαν, ſacris indignam libris, hic occurrere, ſi vulgaris lectio retineatur, cum in ſequentibus demum veſania interfectorum *Stephani* loco congruo 32. tradatur. Emendat igitur ἐλιθολόγουν, eamque ſuſpicionem ex ritu lapidibus obruendi maleficos inter Ebræos illuſtrat. Ven. *Schloſſerus*, non opus eſſe hac opera, reſpondet, præcipue cum iterationes conſimiles in Scriptura S. paſſim reperiantur, *Marc. II, 19, XI, 28, Luc. XXIII, 44 ſeq. Jo. I, 7, XXI, 20 ſeq. 1 Cor. XV,* 36. *51 ſeq. 1 Jo. I, 18.* In loco *ſeptimo Act. XVII, 11*: Οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, a *Theophylacto*, *Chryſoſtomo*, & *Oecumenio*, ſic allegato, cur εὐμενέστεροι corrigat *Jer. Marklandus*, judicante *Schloſſero*, alia eſſe ratio nequit, quam quia τὸ εὐγενὴς dubitat de morum & animi præſtantia dici poſſe; quod

quod tamen ad eum ipſum locum prolixe notarunt *Th. Beza, Abr. Calovius, Jo. Clericus, Jo. Chr. Wolfius*, atque oppoſitus ſigni- Pag. 38.
ficatus τῆ ἀγενῆς apud *Dionyſium Halic. Ant. Rom. Lib. XI pag. 703*
magis adhuc corroborat. In eodem *Actorum Apoſt. Capite com. 14* 39.
criticam exercet *Jer. Marklandus* tyrannidem, phraſin πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν ſollicitans, & Θεσσαλίαν reponens, ſimulque pro confirmanda ſuſpicione Scholion Codicis *Bezæ* Cantabrigienſis, narrationis nimis vagæ determinationem, nec non ſignificatum particulæ ὡς, quo *propoſitum* notat, allegans. Eruditas hic etiam ſumit Ven. *Schloſſerus* vin- 45.
dicias. Scholion Catabrigienſis libri, notat, ad illuſtrandum textum nihil conferre, quandoquidem ex eo, quid propoſitum fuerit Apoſtolo, æque facile intelligi, ac e communi lectione, non poſſit. Vagam negat dici narrationem poſſe, cum eventus declaret, *Paulum* eo tempore vel Athenas, 43.
vel per urbem Athenarum Corinthum, abiiſſe, non directo tamen & ſolito itinere, ſed excurſione mare verſus facta, eo tendiſſe; quare nec opus fuerit, geographicum addere maris nomen, quod facile eſſet intellectu, maris Thermaici ſinum intelligi. Similia loca ſunt apud *Xenophontem Cyrop. I Cap. 3, Strabonem Geogr. Lib. V, Plutarchum* in *Themiſt.*, *Maximum Tyrium Diſſ. XLI pag. 451, Conſtantinum Porphyrog. de Them. Imp. Or. Lib. I Cap. 2.* Significatum τῆ ὡς pro ficto & in cere- 42.
bro *Marklandi* nato Ven. *Schloſſerus* optimo jure habet, cum ea particula Autoribus Græcis ſæpiſſime, ſi præpoſitionibus ἐπὶ, πρὸς, εἰς, præmittatur, & in ipſismet illis, quos excitavit *Marklandus*, locis, abundet, nec in ullo *animi propoſitum* declaret, immo rectius per Latinum *verſus* explicanda ſit. Vid. *Alciphron Lib. I Ep. 39, Heliodorus Æthiop. I pag. 34, Polybius V, 80.* Sexcenta exempla poſt *Jac. Gronovium ad Polyb.* collegere *Lud. de Dieu, Lamb. Bos, S. Raphelius, Jo. Conr. Schwarzius.* Tam egregie tam exiguo libello de variis librorum N. T. hiſtoricorum locis meruit Ven. *Schloſſerus*, cujus incomparabiles dotes ad prolixiorem libelli recenſionem nos incitarunt. O utinam otia ſua locis librorum dogmaticorum, a *Marklando* injurioſius tractatis, vindi-

candis in posterum impenderet Vir Celeberrimus, quod
Pag. 47. ab alio quopiam fieri cupit, ipse præstaret!

MENON. NICOL. CARSTENS, ECCL. Cathedr. Lubec. Meditationum subsecivarum Specimina tria.

Lubecæ, sumtibus Petri Boeckmanni, 1743, 1744, & 1746, 4.

Specimen I plag 6, Spec. II plag. 3, Spec. III plag. 5.

Specimen primum exhibet *Commentationem de prudentia & circumspectione in tractatione Historiæ Eccl. N. T. sedulo adhibenda. Specimine secundo* suppeditantur *conjecturæ de Asiarchis, Paulo quondam amicis, Act. XIX, 3, commemoratis. Speciminis tertii* parte priori exponitur *de Parallelismo cum religione Judaica V. T. a vate* Jesaia Cap. 1 *delineata, & Romanensi, sive Papæa,* quo corruptissimus religionis Judaicæ status exhibetur & explicatur. *Specimen primum* complectitur *Sectiones duas. Priori* cautiones generales, *posteriori* speciales, edisseruntur. Generales sunt hæ: 1) *Deponatur omne studium partium una cum præjudicio sectæ & servitute humana.*
5. Veteres sectam vocabant quoque optimam sentiendi vivendique rationem. 2) *Ad intelligenda Patrum scripta, solliciti simus, necesse est, de lingua eorum authentica, de philosophicis, quibus dediti fuerunt, sectis, & earum placitis, ac denique de*
13. *adminiculis criticis.* 3) *Scriptores Historiæ Eccl. veteres cum grano salis sunt legendi.* Cautelæ speciales huc redeunt: 1) *Merita Patrum agnoscenda quidem sunt; errores tamen & vitia illorum non sunt reticenda;* 2) *Patres primi numerum hæ-*
27. *sium & hæreticorum plus justo multiplicarunt;* 3) *quæcunque a Patribus de hæresibus proprie sic dictis referuntur, ea neque statim sunt credenda, neque etiam temere rejicienda;* 4) *Concilia*
31. *veneratione sua debita non sunt privanda;* 5) *Concilia neque omni necessitate & utilitate sunt defraudanda, neque tamen si-*
34. *mul ab omnibus nævis absolvenda;* 6) *magna circumspectione opus est circa Martyrologia, ita ut concedamus quidem, exsti-*

tisse

Digitized by Google

tisse *quosdam Martyres vere tales;* simul tamen numerum eo- Pag. 36.
rundem non ultra, *quam par est, extendamus.* Hisce regu-
lis Pl. Rev. Autor illustrationes & exempla passim ex penu
Historiæ Ecclesiasticæ adjungit. Nolumus tamen cum ipso 39.
Perpetuam & *Felicitatem* Martyras Montanistis accensere,
quemadmodum *Sam. Basnagius* ipsum præivit. *Specimine se-*
cundo Asiarchæ in censum & sub examen vocantur. Asiar-
chas *Strabo* ad Tralles in *Geographia Lib. XIV* memoravit.
Fit eorum mentio in documentis literarum vetustissimis, in 5.
antiquissimis Principum legibus & edictis, in marmoribus et
lapidibus apud *Gruterum*, *Reinesium*, *Seldenum*, alios, nec
non in ipsis antiquis numismatibus apud *Ezechielem Spanhe-*
mium de Præstantia & usu Numismatum Diss. VIII pag.
692 seq. Asia in N. T. est regionis circa Ephesum & Lydiam
propriam mediæ tractus. Ad hanc itaque spectarunt Asiar-
chæ. Hos Noster suspicatur uno eodemque tempore ex- 9.
stitisse plures, eosque constituisse collegium decemvi-
rale, eos fuisse viros autoritate & divitiis spectabi-
les, non civilis & politicæ tantum conditionis, nec sa-
cræ modo, sed utriusque ordinis, discriminis causa non-
nunquam a provincia, cui speciatim præfuerunt, cogno-
minati *Bithynarchæ*, *Paphlagarchæ*, *Mysiarchæ*, *Ioniarchæ.* 13.
Apud *Modestinum* Ασιαρχία, Βιθυναρχία, & Καππα-
δοκαρχία, inter summa gentium sacerdotia numerantur.
Addit Noster, quemlibet Asiarcham habuisse quidem suam
sibique assignatam provinciam, in qua ludos & certamina 14.
theatralia ediderit, & sacra pariter ac civilia moderatus sit,
quemlibet eorum præterea per maximam anni partem in pri-
maria ejusdem provinciæ urbe resedisse; totum tamen Asiar-
charum collegium certis subinde & statutis temporibus Ephesi
convenisse, quo unus alteri consiliis eo melius subvenire po-
tuerit, & ut casus, in re sacra & civili oborti, vel dirimeren-
tur, vel dijudicarentur, & ut eorum præsentia ludis ac cer-
taminibus Ephesinis theatralibus majus decus, splendorem
ampliorem, & eis autoritatis plus, conciliaret. *Specimine III*
Autor usum & abusum paralleliſmi, inter errantes instituti,

Pag. 11. enarrat, locum *2 Pet. II, 15, & Apoc. II, 14, 15*, illuſtrat, formam religionis Judaicæ, quæ nucleum amiſerat, deſcribit, ac cum ea in contentionem adducit eum cœtum, quem Romano-Catholici efficiunt ac conſtituunt. Noſtrum eſt, optare, ut *Specimina* ſua Cl. Autori libeat continuare, licet paralleliſmorum dogmaticorum cupiditatem haud præ nobis feramus, nec, illos in convincendo multum valere, affirmemus.

Vernünftige Warnung für dem Irrthum von Gleichgültigkeit derer Gottesdienſte, oder Religionen, ꝛc.

id eſt,

PRÆMONITIO RATIONALIS CONTRA ERROrem de indifferentia religionum, ad confirmandos fideles, ac ad conſervandam communem quietem, adornata a SAL. ERN. CYPRIANO, D. Editio altera.

Gothæ, impenſis Jo. Andreæ Reyheri, typographi aulici, 1744, 8.

Plag. 14.

Irrepſerunt in nonnullas Germaniæ partes, qui, cultum divinum, publice longoque examine præmiſſo receptum, conturbare, ſuarum eſſe partium, exiſtimarunt. Hoſce ut ad veritatem reduceret, Herrenhutianos exterminaret, ac Fanaticis aliis obicem poneret, Theologus, qui nunc inter cœlites triumphat, graviſſimus cordate & maſcule in arenam deſcendit. Præfationem is tractationi præfixit ſatis copioſam, qua docuit, humanam vitam eſſe ad æternam & perennem durationem iter, in hac vita viatores ſibi perpetuos objicere cruciatus non minus in civilibus negotiis, quam in ipſis ad religionem attinentibus momentis, præcipue per Fanaticos ætatis noſtræ, eosque
9. Indifferentiſtas. *Senecæ* illud eſt egregium *Ep. 103: Rari ſunt caſus, etiamſi graves, naufragium facere, vehiculo everti: ab*
15. *homine homini quotidianum periculum.* Fanatici perpetuis turbis conflandis & foris & domi ſunt dediti. Quackeri in nece regia *Caroli I Stuarti*, Regis Angliæ, promovenda primas tenebant. Imaginarius Dei afflatus, quem Fanatici jactant, *Henricum III* & *IV* in Galliis enecavit, ac Principem Arauſicanum

canum *Wilhelmum* e medio ſuſtulit, Fanaticorum prima converſionis ad Chriſtum ſemina ſolent eſſe bona & divina. At, dum ipſi plus, quam Deus mortalibus promiſit, a Deo exſpectant, & nævos nonnullorum Chriſtianorum faſtidiunt, eosque integris eccleſiis tribuunt, invitis literis ſacris, iidem inciduht in contemtionem aliorum, in errores, in veſanum alios emendandi ſtudium, in ſectas, in abſurdiſſimas actiones. Ipſi, Pag. 19.
veluti in eccleſia preſſa, conventicula effingunt domeſtica, ſynodos eccleſiaſticas & munia ſacra ſeorſim invehunt, ac res publicas in rebus publicis effingunt, libellis recens procuſis utentes, quibus examinandis Eccleſia Evangelica haud vacavit.
Iidem in conventibus ſuis judicia & cenſuras exercent. No- 21.
lunt ipſi ferre verbum *pœnitentiæ*, *Buſſe*. Evertunt ipſi jura collegialia, ſibique rapiunt, quæ ob ordinem eccleſia noſtra Principibus, qui ſummæ rerum præſunt, tradidit. Eorundem Epiſcopi mittunt literas ſulminantes, ac indulgentiis refertas, in quibus ab ipſorum imperio ne unus mortalium quidem pendet. Ipſi per anfractus & latibula eludunt Principum ac
magiſtratuum ſanctiones. Emendant ipſi, prouti jactant, tem- 23.
pora, nec tamen doctrinam Codicis ſacri ac ſalubrium verbo- 25.
rum typum ſequuntur. At colligunt ipſi in ſocietatem ſuam homines cujuscunque farinæ, ut numerus ſuorum ita invaleſcat, ut periodus nova in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſit inchoanda. Sunt ipſi in cauſa, ut athei religionem Chriſtianam rideant magis. Et quis *Edelmanni* Herrenhutiani ignorat miſerandum inter Antiſcripturarios ſtatum? Conventiculorum domeſticorum eventus animadverterat, ac tandem deplorabat, D. *Spenerus*. In Anglia & Belgio fœderato tolerantur diſſen- 33.
tientes & a religione recepta diſcrepantes homines, at non qua cives, ſed qua inquilini, & privatim quieteque religioni ſuæ ſtudentes. Fanatici vero recentiores ea conditione 37.
non ſunt contenti, turbaturi quippe omnia. Separatiſmi infelicitatem nuntiant Anabaptiſtæ Monaſterienſes, *Jacobus Naylor*, aliique homunciones, quorum fanaticiſmus perniciosus annis poſt paucis intercidit. *Labadii* ineptiæ eo pro-

grediebantur, ut ipſe ludibrio eſſet univerſis. Fanaticis In-
Pag. 49. differentiſtis convenit ſatis bene cum Indifferentiſtis atheis. Hi bis cum Deo menſam adeunt, ac ab eo ſatiantur, totum tamen diem repudiant Deum, & in caſtris ſatanæ militant. Hi *virtutem* crepant, licet nec Deum, nec conſcientiam, nec legem ſolide convincentem pellentemque, habeant. Hæc & complura alia pronuntiata ſolide peroravit B. Conſiliarius Evangelicus, mor-
59. tis beatæ tunc ſtudioſiſſimus, ac jurisjurandi ſui obſervanter colendi avidus. Edidit librum hunc, ejusque perpauca exemplaria, ſumtibus ſuis. Tractationem ipſam B. Heros Dei in *Capita* diſtribuit *novem*. *Primo* expoſuit opinionem *Spinozæ*, & aliorum Indifferentiſtarum. *Secundo* oſtendit, Indifferentiſmum rectæ rationi repugnare. *Tertio* docuit, eum adverſari quieto vitæ civilis ſtatui. *Quarto* ſignificavit, eum voluntati Dei in V. T. recluſæ contrariari. *Quinto* demonſtravit, eum fundamento religionis Chriſtianæ evertendo favere. *Sexto* oſtendit, hominis in viribus haud eſſe ſitum illud, quo poſ-
84. ſit cardinem & formam ipſam religionis determinare, nec conſiderati eſſe hominis Chriſtiani, ejusque Evangelici, libros
119. confeſſionis ſuæ ſymbolicos conviciis lacerare. *Septimo* docuit, ſcepticiſmum doctorum virorum religioſum a recta ra-
140. tione diſcrepare. *Octavo* convicia improborum ac deriſum, orthodoxiæ gravem, in gratiam proterviæ ſeculi propius contemplatur. *Nono* oſtendit, Deo ingratum eſſe hæreſes ac ſchiſmata in eccleſia ſua formandi ſtudium.

MICHAELIS JOSEPHI MOREI CARMINA.

Romæ, typis Jo. Zempel, prope montem Jordanum, 1740, 8 min.

Plag. 10.

Manet ſua gloria vatibus Italis; dumque alibi abjecta jacet Poeſis Latina, generoſisque animis perperam indigna cenſetur, ſuperbit ſemper felix iſthæc regio eruditis, qui non ſolum juſtum illi pretium ſtatuere ſolent,

Digitized by Google

lent, ſed et ipſi carmina pangunt feliciter. Horum in numero eminere jam videtur *Michael Joſephus Moreus*, qui vel hoc nomine famam meretur immortalem. Dedicavit ſpecimina ſua *Friderico Chriſtiano*, Poloniarum Regis ac Principis Saxonum Electoris Filio natu maximo, quem ſummum literarum ſtatorem ſperamus ſinguli atque exſpectamus. Eſt enim ex Arcadum numero Poeta noſter, & pleraque horum in cœtu, nonnulla quoque præſente *Friderico*, qui *Luſatii* nomen inter Arcades ſumſit, recitare ſolitus fuit. Eminentiſſimas autem illius virtutes ita inter alia, quo ſingulare nominatim carmen ſpectat, laudibus ejus conſecratum, celebrare nititur: *Virtutes tuas ceteras una maxime benignitas illuſtrare videtur, quanquam fuit hæc quidem omnium, cum Romæ fuiſti, vox et conſenſus; qui, licet in ſe Auguſtæ ſtirpi non imparem animi altitudinem, egregiam indolem, & ingenium, regalem munificentiam, ſingularem denique pietatem, vehementer ſuſpicerent, capiebantur tamen neſcio quomodo humanitate hac Tua, & clementia: credo, quod virtutes ceteræ, in regali faſtigio poſitæ, ita admirationi ſunt, ut timeri etiam velint; humanitas una eſt, & benignitas, quæ ita diligi mavult, ut, dum ſociarum virtutum veluti obliviſcitur, eas hominibus jucundiores, atque adeo admiratione digniſſimas, videatur efficere.* Nec vero minus, quæ cum lectore præfationis ergo loquitur, notatu nobis digna videntur. Ita vero ſe habent: *Primum omnium, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ſe eſſe filium, ideoque, ethnicorum quæcunque redolent religionem, poetice accipienda, Autor declarat. Deinde, ut celeberrimæ Arcadum Academiæ (cui a triginta ferme annis nomen dedit) inſtituto inſerviret, perpetuum ſtili tenorem, & perfectam, maxime in Eclogis, veterum imitationem, fatetur, aliquando ſe non ſervaſſe. Tum, ſe plurima, admonet, ſuorum carminum ante editionem rejeciſſe, non pauca etiam ipſo editionis tempore; utinam plura! niſi quod vel argumenta, vel cauſæ etiam aliæ, fuerunt impedimento. Poſtremo, menda plurima irrepſiſſe in editionem, non negat; verum aut ea calamo ſuſtulit, aut*

Lectoris

Lectoris ingenio ac judicio, ut Æ pro OE, Ch pro C, E pro Ae, I pro Y, & alia hujusmodi, emendanda relinquit. Carmina pleraque vel carmine elegiaco, vel heroo, ſunt concepta. Unum legimus Sapphicum, ſanctiſſimo Jeſu Chriſti domini noſtri præſepi, quod in Baſilica S. *Mariæ* majoris de urbe una cum ſacris ejusdem incunabulis religioſiſſime colitur, votum, duo Adonica de inanibus mortalium ſtudiis, unum Aſclepiadeum, atque unum denique vel alterum Hendecaſyllabicum. Primas tenent Eclogæ atque Epigrammata. Illarum de argumentis præclare canit Poeta *pag. 30*, atque ſola illis *paſtoria* tribuit. Horum autem, cum brevia ſint, vel unum exemplum proferamus. Legitur illud *pag. 80*, atque ſic habet:

Odimus æſtatem tum, cum calor opprimit artus,
Ipſaque cum longe eſt grata videtur hiems.
Tum, cum ſævit hiems, contractis frigore membris,
Optatur, quem nos ſprevimus ante, calor.
Sic æſtas, ſic tranſit hiems; miſer & ſibi quisque,
Vivere dum properat, mortis anhelat iter.

Sunt præterea, quæ nobis placuerunt, ex Italico præſertim ſermone poeticæ converſiones, ut nec, qui ſubjungitur, indicem Arcadum, quorum in hisce verſibus aliqua fit mentio, ſane copioſum, atque Arcadicorum nominum interpretationem, obliviſci debemus. Patebit indidem, quot quantique viri ſocietati illi nomen dederint, quippe inter quos ipſi Pontifices atque Reges eminent. Ad externa libri ornamenta figuræ quædam æneæ minores, ab antiquis maxime gemmis exſculptæ, jure quodam ſuo referentur. Nos, qui humaniorum literarum incrementis, ex quacunque demum regione veniant, ex animo gaudemus, &, quousque illæ florebunt, bene futurum rectiori doctrinæ & ſublimioribus ſcientiis, læti auguramur, Clariſſimo horum Carminum Autori hæc feliciſſimi ingenii pulcherrima ſpecimina ſtudioſe gratulamur, &, ut porro egregiis, quas natura ipſi dedit, facultatibus ad perficienda nobiliſſima quæque utatur, literarum cauſa, quibus multum ipſe dare præſidii & honoris, ſi velit, poteſt, amice eum, ſed vehementer, rogamus.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio V.

Des vortreflichen Jüdiſchen Geſchichtſchreibers FLAVII JOSEPHI ſämtliche Wercke, ꝛc.

hoc eſt,

PRÆSTANTISSIMI JUDAICI HISTORIOGRAPHI, FLAVII JOSEPHI, Opera cuncta, nempe XX Libri Judaicarum Antiquitatum, II adverſus Apionem, unus de Martyrio Maccabæorum, ac unus, quo vitam ſuam expoſuit, nec non VII ejus Libri de Bello Judæorum cum Romanis, ac adjuncta Deſcriptio Egeſippi de Excidio Hieroſolymorum una cum Anacephalæoſi ejusdem. Omnia cum Græco textu avthentico ſolicite contulit, ac denuo tranſtulit in Germanicum, Præfationem præfixit loco ſaluberrimæ Introductionis in Opera JOSEPHI, argumenta & breviaria adjecit, paralleliſmum Biblicum adjunxit, Chronologiam, Indicem, Mappam geographicam, tabulasque Numiſmatum Palæſtinorum, & reliquas figuras, addidit, una cum animadverſionibus ac illuſtrationibus, JOANNES BAPTISTA OTTIUS, Canonicus & Archidiaconus Capituli Tigurini.

Tiguri, ſumtibus Geſnerorum fratrum, Conradi Orellii ac ſocietatis, 1736, fol.

Alph. 11 plag. 15, Fig. æn. 11.

Conata eorum, qui *Joſephum* in nationum ſingularum ſermonem linguasque convertunt, quin laudemus, nobis haud valemus temperare. Et, licet hujus translationis uſus magis ad palatum Helvetiæ ac Helvetiorum futurus ſit, quam Germanorum, quippe qui ornatiorem & cultiorem amant linguam, tamen ii, qui rerum non minus, quam verborum, curam agunt, ex hac editione fructus percipient haud contemnendos. Præfatio eſt loco *Introductionis*, cui ſi ea præcideris, quæ de editione librorum penes veteres, de eorum librariis, criticis, ac reliquis rei librariæ adjutoribus, ipſisque recitationibus, hic diſſeruntur, cetera ad *Joſephum* referri poſſe, non dubitabis. Recenſet enim Codices *Joſephi* tum manu-
Pag. 7. ſcriptos, tum editos, nec verſiones omittit. Diſſertationem *Boſii* ex toto prodiiſſe credit. Immiſcet editiones & *Hegeſippi*, & *Joſephi Gorionidæ*. Progreditur deinde ad fontes, e quibus *Joſephus* ſua decerpſit, Græcorumque ſcriptores, ab eo commemoratos, indicat; deſignat pronuntiata politica & ethica, quæ *Joſephus* paſſim intexuit; diſſerit porro de numis Græcis, Romanis, ac Samaritanis, quibus & *Joſephi* & Judæorum hiſtoria, luce quaſi, ornatur. Si figuras, æri inciſas, inſpicimus, eas non eſſe paucas, deprehendere licet. *Prima* exhibet turrem Babelis; *ſecunda* arcam *Noachi*; *tertia* altare ſuffitus ſacri; *quarta* tabernaculum fœderis; *quinta* altare holocauſtorum intra tabernaculum; *ſexta* templum *Salomonis* ſecundum ſpeciem externam; *ſeptima* adytum intimamque ædem templi *Salomonis*; *octava* ſacerdotem gregarium Judaicum in ſuo habitu; *nona* ſummum Pontificem, ornatu præſtantiſſimo cinctum; *decima* Phariſæum; *undecima* aheneum lavacri lebetem; *duodecima* unum ex decem lebetibus *Salomonis*, ſtatumine ſuo innixis, currum referente; *13* mare aheneum; *14* arcam fœderis, eique imminentem columnam nubis & ignis; *15* aureum candelabrum, lychnis ſeptem inſtructum; *16* map-

mappam geographicam Palæſtinæ, quæ errores majorum noſtrorum ac commenta denuo apponit, veluti *Adrichomii* cramben dudum bis coctam; *17* turrim, qua Romani in obſidionibus fuerunt uſi; *18* actionem *Herodis*, latrones in ſpeluncis invadentis; *19* machinam, qua Romani ſaxa graviſſima in urbes obſeſſas projecerunt; *20* urbem Hieroſolymam ex mente *Jo. Cocceji*. Numos Samaritanos fere XL delineatos repræſentavit Autor, paſſim videlicet collectos. Vitam, quam *Joſephus* ſcripſit ipſe, præfixit, eique ſubjunxit duo momenta. Primo inquirit, an *Joſepho* fuerit ſtatua olim Romæ collocata; deinceps brevibus ſtricturis exponit teſtimonium *Joſephi* de Chriſto. Prius *Hieronymus* in Catalogo de Scriptoribus eccleſiaſticis ex *Euſebio* protulit. *Ruffinus*, translator *Euſebii*, addidit ſuum *perhibent* per modum dubitationis. Error ex Iudice *Euſebii* enatus, qui, *Joſepho*, Patriarchæ nempe in Ægypto, eique defuncto, ſtatuam fuiſſe poſitam, ſcripſerit. De teſtimonio *Joſephi*, Chriſtum attingentis, ſuum judicium Autor non penitus expromit, licet facile appareat, id ei videri genuinum, quem in finem XXIV argumenta attulit. Præcellere Noſter *Joſephum* credidit teſtimoniis doctorum Talmudicorum; perhibentem, ſeſe ſua ex Ebræorum libris deſumſiſſe. Nobis ut ſecus videatur, ſatis multa efficiunt. Qui enim, *Joſephum* Ebraica multum verſaſſe, exiſtimant, næ illi oppido falluntur. De *Epaphrodito*, *Neronis* liberto, Grammatico Chæreenſi, cui famulatus fuit *Epictetus*, *Enchiridii* ſcriptor, nonnulla commentatur Autor. Protevangelium *Joſephus* de ſerpente naturali, ejusque adverſus homines iracundia, expoſuit, quam interpretationem merito notatam judicamus. Singularis eſt opinio, Deum *Caino* gratiam homicidii haud feciſſe. Columnas *Sethi* Noſter in commentorum ſerie percenſet. Sed eum haud attingit fontem, ex quo *Joſephus* Chronologiam ſuam deſumſerit, quæ ea, quam Ebraicus Codex exhibet, longe eſt diffuſior. Arcam *Noachi* in montibus Gordiæis conſediſſe, diuque, ni noſtra ætate, ſupereſſe, credit idem, plus juſto innixus *Benjamini Tudelenſis* itinere, maximam partem ficto. Approbat *Joſephum*, qui angelos, quorum fit mentio

Pag. 29.
30 ſeq.
2.
5.
5.
8.
10.

Gen. XVIII, 5, non re vera, ſed in ſpeciem, ediſſe exiſtimavit.
Pag. 25. Obſervat paſſim, *Joſephum* gentis ſuæ malefacta Romanos ce-
41. laſſe; hiſtoriam *Moſis* fabula una & altera exornaſſe; exiſtimat,
47. mare rubrum, quod tranſierint Judæi, 15 milliaria fuiſſe latum; *Joſephum* miraculo illi vim intuliſſe; *Moſen* minus recte dixiſſe
50. facundum; cultum Leviticum Meſſiæ exſortem finxiſſe. Dari-
59. cos, credit Autor, æſtimandos eſſe pondere, non icone & figura
62. numiſmatica; aves שלו per *coturnices* exponit, ratus, *Plinium*
67. ei rei afferre lucem in *H. N. Lib. X Cap 33*. Quæritur,
77. quid deſignet vox *Agre* in numo, quo *Jupiter Caſius* repræſentatur. Commentatori noſtro nil occurrit ſolidi, quo quæſtionem ſolvamus. *Agre* fortaſſis denotat *Arcen*, ſeu Petram, urbem. Agræos, Nabatæis finitimos, memorat *Strabo Lib. XVI pag. 728*. Ipſe *Ottius pag. 83*, per eam, refert, intelligendam eſſe Philadelphiam, non Petram. De cetero illud inprimis laudandum putamus, quod Autor ubique *Joſephum* ad cynoſuram ſacri Codicis examinat, ejus errores notat, opiniones aliorum fide-
117. liter affert, ac lectorem in veritate retinere laborat. *Jeph-*
145. *tham* immolaſſe filiam ſuam in holocauſtum, arbitratur. Phraſin, *tegere pedes*, exponit per id, quod alias dicitur *opus naturæ peragere*. Dormiendi periphraſin cum *Theodoro Haſæa*
149. credimus potius ei formulæ loquendi ſubeſſe. De ἐγγαστριμύθοις nec *Joſephus*, nec Commentator, recte fuerunt edocti.
161. Urbem *Amath* eſſe Antiochiam, quod Pl. Rev. *Ottius* ſtatuit, eis fit veriſimile, qui norunt, Amatham in finibus Palæſtinæ borealibus circa Damaſcum eſſe quærendam. Subeſt indubie *Heliopolis*, quam nunc vocant *Balbec*. חַמָּה ex חֻמָּה, *calore*, &
193. *æſtu*, qualis ineſt ſoli, dicta eſſe videtur. *Tadmoram*, a *Salomone* exſtructam, eandem exſtitiſſe ac Palmyram, ſenſit quidem *Joſephus*, quem alii in eo ſequuntur. Sed de eo liceat admodum dubitare. Quidni intelligimus urbem Chazazon Tamar, ſeu Engada, quæ alias nude appellatur Tamar. Quam Autor Paralipomenorum vocat *Tadmor*, ea vocatur *1 Reg. XI* Thamar. Quis ignorat, Engada ſita fuiſſe בַּמִּדְבָּר, *in deſertis*, in locis, quæ vocantur tritiſſimo more in ſacris literis deſerta? Et quis credat, *Palmyram* a palmis fuiſſe dictam? Conditores urbium

urbium circa Euphratem ætate *Salomonis* num Latinam adhibuerunt linguam, quæ tum vix ad Janiculum erat exculta? Ii etiam perhibentur in ſacris literis urbes condidiſſe, qui eas muniverunt, murisque firmioribus cinxerunt, aſſentiente editore ad *p. 201.* De Theuda Commentator nonnulla ſubmonuit, ad *Joſephum* cum *Luca* conciliandum. Ad *Simonem Maccabæum* omnes numos Samaritanos referendos eſſe, exiſtimat. *Capharnaum*, quod *Joſephus κώμην* appellat, judicat eundem eſſe locum, ac illum, qui creberrime in N. T. memoratur, licet *Hadrianus Relandus* dubitaverit, cuius fluctuatio ubique tanti non eſt, ut, duo loca, cognominis ejusdem, exſtitiſſe, credamus. *Joſephum Flavio Veſpaſiano* prædixiſſe diadema imperatorium, Noſter ita exponit, ut vaticinium illud fere abeat in fumum. Ex qua promulſide perſpicitur haud difficulter, quanta ſeges ſelectiſſimarum rerum a Commentatore hinc inde fuerit in conſpectum prolata. Index lucernam olet. Tantus labor ut bene eveniat Editori, ex animo precamur, addentes illud, eum nobis fore augurii loco, ut plura in poſterum ab ingenio et induſtria Viri indefeſſi nobis liceat exſpectare.

Pag. 490. Tom. II pag. 6. 115. 110.

BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS ECCLESIASTIQUES, &c.

hoc eſt,

BIBLIOTHECA AUTORUM SECULI XVIII, loco continuationis, ſeu ſupplementi, ad Bibliothecam ELLIÆ DU PIN.

Tomus I & II.

Pariſiis, impenſis Pralardi & Quillavii, 1736, 8.

Tom. I Alph. 2 plag. 2, Tom. II Alph. 2 plag. 2.

Celeberrimus & poſt mortem commemorabilis *Ludovicus Ellies du-Pin Bibliothecam Autorum eccleſiaſticorum* A. 1710 finivit. Negotia ejus alia ac obitus ipſe, quo A. 1719 menſe Junio vitam clauſit, fuerunt impedimento, quo minus laborem reſumſerit atque continuaverit. *Pinius* ætatis jam erat provectioris, cum operam ſuam in adornanda illa Bibliotheca

Digitized by Google

collocaret, nec ideo in aſſiduitate ſua quidquam paſſus fuit deſiderari. Deinde modo hunc, modo illum, continuationes moliri, fama dictitavit. *Ceillierius*, Benedictini Ordinis decus, idem ac *Pinius* ingreſſus eſt inſtitutum, ſiquidem edere cœpit *Autorum ſacrorum et eccleſiaſticorum Bibliothecam, ſeu Hiſtoriam* (*L'Hiſtoire des Auteurs ſacrés & eccleſiaſtiques*). Sed quantum adhuc labor ipſius incomparabilis a Seculo XVIII. eſt disjunctus? Autor itaque, maturandam eſſe continuationem, ratus, hoc condidit opus. Scopus *Pinii* vertebatur in eo, ut exſtaret notitia & epitome operum eccleſiaſticorum, præcipue eorum, quæ principatum tenent, per ſingulorum Seculorum decurſiones. Eapropter vitam Autoris brevem, judicium de ejus ſcriptis, editionesque varias, indicavit. Ac eum tramitem ad hiſtoriam anni 1700 uſque inſtitit. In *II Voluminibus*, quibus ab A. 1700 ad A. 1710 opus ſuum deduxit, nil de Autoribus diſſeruit, ac de reliquo ſeſe ita geſſit, ut facile pateat, opus hoc poſtremum fuiſſe a feſtinabundo exortum, magisque adfectum, quam perfectum. Ultima Seculi XVII Volumina eodem laborant nævo. Autor ſolicite cavit, ne in eodem clivo ſudaſſe deprehenderetur. Ipſe primordium capit ab ipſo *Pinio*, ejusque ſcriptis. Id, quod reſtat in *Volumine* hoc *primo*, id ſupplemento *Bibliothecæ Pinianæ* inde ab A. 1700 uſque ad A. 1710 eſt deſtinatum. *Voluminis ſecundi* pars magna eodem redit. Non eſt, quod, de ſcriptis Proteſtantium hic aliquid dictum fuiſſe, ſuſpiceris. Continuator ſequitur *Pinii* exemplum, Autorum Pontificiorum recenſione contenti. Ipſe ſummam exponet ſcriptorum, et ita judicabit, ne quem violet, nec, ſeſe ullum judicium ex tripode pronuntiaſſe, affirmet. En *Voluminis primi* argumenta. Præmittitur introductio, *Pi-*
Pag. 1 ſeq. *nii* vitam & libros complexa. Differitur nominatim de ejus
methodo diſcendi Theologiam, de libello ſupplici ad Præſidem
28. *primum directo ſuper nova Conciliorum per P. Harduinum edi-*
30. *tione*, de ejus *tractatione ſuper excommunicationibus de Ana-*
92 ſeq. *lyſi Apocalypſeos*, de *commentatione philoſophica ac theologica*
118. *ſuper amore Dei*, & de *Bibliotheca Autorum, ab eccleſia Roma-*
128. *na disjunctorum, ex Seculis XVI & XVII.* Excipiunt hæc

ſcripta

ſcripta *tractatio theologica ac philoſophica de veritate, & correctiones & additiones ad ultimum Volumen Bibliothecæ Autorum eccleſiaſticorum Seculi XVII.* Sequuntur vitæ & recenſiones ſcriptorum *Franciſci Timoleonis de Choiſy*, Academici Francici, *Petri Le-Nain*, Monachi Ciſtercii, *Lud. Ant. Muratorii*, Pag. 148. Doctoris Collegii Ambroſiani, *Gummarii Huyghens*, *Zeger-Bernardi van-Eſpen*, *Jacobi Marſolierii*, Canonici Regularis 170. eccleſiæ cathedralis in Uſez, *Matthæi Petit-Didierii*, Monachi Bened. Congreg. S. Mauræ, *Joannis Le-Pelletier*, Laici Rothomagenſis, *Lazari Andreæ Bocquilloti*, *Natalis d'Argonne*, *Caſpari Juvenini*, *Franciſci Amati Pugeti*, *Claudii de-Vert*, Benedictini Cluniacenſis, *Benedicti Bacchinii*, *Petri Cuſtantii*, *Jacobi Joſephi du-Guet*, *Auguſtini Calmeti*, *Jacobi Le-Long*, *Thoynardi.* Hæc ad additiones & emendationes pertinent. Sequuntur deinde emendationes & additiones ad *II Volumina* Bibliothecæ Seculi XVIII, 224 ſeq. quæ ad libros & ſcripta ſunt referendæ. Recenſentur enim hic ſcripta, quorum mentionem *Pinius* plane omiſit. Dabimus catalogum, & deinceps paucula memoratu digniora eidem ſubjungemus. En ſcripta, a *Pinio* prætermiſſa: 1) Literæ ſelectæ *Rich. Simonii* *). Aſteriſco notabimus libros Gallicos. 2) Diſſer- 243. tatio P. *Jacobi Echardi*, Ord. Fr. Præd. qua rurſus ſummam Theologiæ *Thomæ* vindicat; 3) Collationes eccleſiaſticæ Diœceſeos Lucon;* 4) Diſſertatio ſuper S. *Dionyſio Areopagita*;* 5) Epiſtolæ duæ ad P. *Turneminium*; * 6) R. P. *Joannis Dezii* 279. de reconjunctione Proteſtantium cum eccleſia Romana;* 7) 280. Antiprobabiliſimus, ſeu Commentatio theologica, Probabiliſmi examen fidele continens, Autore *Joanne Gisberto*, Jeſuita;* 8) 282. Diſſertatio nova de eo tempore, quo religio Chriſtiana in Galliis fuit ſtabilita;* 9) Tractatus de Statu & capacitate Eccleſiaſticorum, quantum ad Ordines & Beneficia attinet;* 10) 284. tria Opuſcula de Prædeſtinatione, Reprobatione, & Gratia actuali, Autore Cardinale *de Lauria*; * 11) Commentatio *Balthaſaris Francolini*, Jeſuitæ, adverſus Rigoriſtas ſic dictos; 12) Tractatus ſpirituales P. *Segneri*, Jeſuitæ, ejusque vita;* 13) Hiſtoria 287. dogmatica religionis - - Autore M. *Joanne Claudio Sommervio*; 289.

14) Re-

Digitized by Google

Pag. 292. 14) Retractatio ecclesiastica, consecrata Cardinali *Noallio;* * 15)
299. Epistolæ *Sammarthani;* * 16) Theologia Amoris mora-
303. lis, per *Henricum de S. Ignatio;* * 17) Martyrologium Roma-
num & Martyrologium universale, Gallice conversum, Autore
305. *Chastelanio*, seu *Castellano,** qui obiit A. 1712, 20 Martii; 18) *Lu-
cius Cæcilius de Mortibus persecutorum*, cum Dissertatione La-
tina, Autore P. *Nicolao le Nourry*, Paris. 1710. Additur hic
non epitome, quam *Pinius* jam dederat, sed judicium Ephe-
310. meridum, Hagæ Comitum emissarum, *Tom. VII Art. 1.* 19)
Vita Clericorum, Diaconorum, Presbyterorum, - - Autore
314. *Gerhardo de Ville-Thierry;* * 20) Infidelis adductus ad reli-
gionem per lumen rationis, Autore P. *Lamio;* * 21) Opera *Ire-*
442 seq. *næi*, per *Renatum Massuetum* edita. Tandem de Novo Testa-
mento Græco *Milliano* etiam differuit Autor, non ob autorem
Millium, sed ob *Ludolfum Küsterum*, qui id Roterodami re-
cudendum curavit A. 1710. Hic enim in communione Ro-
manæ ecclesiæ obiit. Repetuntur ea compendiose, quæ *Kü-
sterus* in Præfatione, seu Dissertatione, nova de variantibus le-
ctionibus, earumque usu, exposuit. Omittimus reliqua. Ea enim,
quæ sunt alicujus momenti, scripta in hisce *Actis* fuerunt com-
memorata suo loco ac tempore. Adiungemus catalogum eo-
rum, quos *Pinius* post annum 1710 edidit, librorum. Hosce
sic habe: *Histoire ecclesiastique du XVII Siecle*, I, II, III, IV,
Voll. 8, Paris 1714; *Histoire de l' Englise en abregé, depuis le
commencement du Monde jusqu'à présent*, à Paris, 1712, IV Vol.
12; *Analyse de l' Apocalypse*, à Paris, 1714, II Vol. 12; *Traité
historique des Excommunications & des autres Censures*, à Pa-
ris, 1715, 12; *Methode pour etudier la Theologie*, à Paris, 1716,
12; *Traité philosophique & theologique sur l' amour de Dieu*, à
Paris, 1717, 8; *Continuation du Traité de l' Amour de Dieu*,
1717; *Bibliotheque des Auteurs separés de la Communion de
l' Egliſe Romaine du XVII Siecle*, II Vol. 8, à Paris, 1718, 1719.
Paulo post abiit e vita *Pinius*. Post mortem ejus Parisiis A. 1731,
3. 12, prodiit ejus liber: *Traité theologique & philosophique de la
Verité*. In fronte libri falso vocatur locus impressionis Ultra-
4 seq. jectum. Biographia *Pinii*, quam Autor exhibet, *Frickianam*
& reli-

Digitized by Google

& reliquas multis parasangis post se relinquit. *Rollinus* defuncto *Pinio* hoc posuit epitaphium: *Hic jacet Ludovicus Ellies du Pin, sacræ Theologiæ Parisiensis Doctor, veritatis cultor & indagator non otiosus, vetera Ecclesiæ monumenta indefesso labore illustravit. Regni jura & Ecclesiæ Gallicanæ libertates acriter non minus, quam erudite, propugnavit. Immensæ in omni genere lectionis & doctrinæ laude conspicuus, idemque animo miti ac modesto, nihil in omni vita visus est oblivisci, quam injurias. Ecclesiæ munitus Sacramentis, obiit sexto die Junii R. S. H. MDCCXIX, ætatis vero LXII.* Pag. 6.

In *Tomo* hujus *Bibliothecæ secundo* argumenta & breviaria scriptorum aliquot proferuntur. Inseritur vita celeberrimi quondam *Tillemontii pag. 64 seq.* ex qua delibare nonnulla est animus, simul ac scripta, hic sub limam, seu leges compendiorum, vocata, perlustraverimus. Initium enarrationis arcessivit Autor a libro, qui *officia Episcopi* pertractat. Pergit deinde ad *Politicam, ex verbis sacri Codicis collectam.* Succedunt *ad tirones, in Academiis & Episcoporum seminariis Theologiæ alumnos, institutiones theologicæ, quas excipit Clericus Belga, Clericum Romanum muniens, adversus notam nimii rigoris. Francolinum* nuper notæ nimii rigoris propulsandæ studuisse, & eo fine opus magnum edidisse, alibi significavimus, addita illa, quæ ecclesiam Romanam circa absolutionem peccatorum distinet, controversia. Exponitur deinceps a Nostro summa scripti, quod Abbas *Boilavius* composuit, dicti: *Pensées choisies*, id est, *cogitata selectiora.* Recensetur porro *Reginaldi* (Antonini) *de mente sancti Concilii Tridentini circa gratiam ex se ipsa efficacem, opus posthumum.* Sequuntur *Statuta, seu decreta, synodalia Bisuntinæ Diœcesis*, in compendium redacta; nec non *Helioti* Opera spiritualia (*Oevres spirituelles*); item *Dissertationes historicæ, chronologicæ, geographicæ, & criticæ, in sacra Biblia*, a *Lud. Ellies Du-Pin* contextæ, *Tom. I*, 8, 1710, Parisiis editæ. Autor, aliis occupationibus distractus, nihil præterea addidit, nec *Tomi* plures subsecuti fuerunt. *Tomus* hic in eo versatur, ut historia *Mosis* vindicetur ab hominum impiorum & criticorum audacia. Opusculum constat Dissertationibus quin-

30 seq. 101 seq. 153. 199. 212. 301. 325. 351 seq.

que. Prima complectitur hiſtoriam creationis, Chronologiam,
Pag. 364. & deſcriptionem mundi in ſe a creatione uſque ad diluvium univerſale. Paradiſum poſuit ad canalem, quem formant Tigris & Euphrates ſimul juncti verſus locum, ubi canalis hic in duos alios ſeſe diffundit. Is, qui *Evam* a Deo abſtraxit, ex ſen-
363. tentia *Pinii* fuit ſerpens naturalis, a dæmone animatus & impulſus. In diſceptanda quæſtione illa, quæ de creationis tempore, ra-
365. tione anni quadripartiti, ſolet inſtitui, eſt ſatis longus, ac, illud
367 ſeq. fuiſſe vernum, ſuſpicatur. Secunda Diſſertatio comprehendit hiſtoriam, a diluvio ad diſperſionem gentium. Tertia Diſſertatione expoſuit de conſtructione turris Babel, de confuſione linguarum, de diſperſione nationum generali, de poſteris *Saræ*, *Chami*, & *Japheti*, de duratione mundi a diluvio ad *Abrahami*
370. natalem, ac de differentia inter verba Ebraica & translationes. *Cainanem*, inter *Arphaxadum* & *Salam* Seculo quarto inter-
373. jectum, pro minus genuino habet. Quarta Diſſertatio vitam
408. *Abrahami* complectitur. Quinta continet hiſtorias *Iſaaci*, *Jacobi*, & *Eſavi*. Autor poſthæc ſeſe confert ad librum, qui de *uſura*, *lucro*, *et emolumento*, *ex commodatis redundante*, inſcriptus eſt, Pariſiis A. 1710, 12, editus. Anonymus in eo ex
434. veteris eccleſiæ doctrina adverſus *Renatum de la Bigotiere* diſputat. Sequuntur *regulæ de miniſterio ſuggeſtus ſacri*, *ac lite-*
467. *ræ de quæſtione*, *an Anachoretæ*, *qui dicti fuerunt Therapeu-*
509. *tæ*, *Chriſtiani exſtiterint*. Succedit ſumma libri, qui ita fuit inſcriptus: *Inſtruction ſur les diſpoſitions qu' on doit apporter aux Sacremens de Penitence et de l' Euchariſtie*. Libro hoc aſce-
548. tico exponuntur officia eorum, qui ſalubriter ſacra cœna uſuri
562. ſunt. *Pſalmi in formam precum redacti* recenſionem ſibi conciliarunt opinione noſtra copioſiorem. Adjungitur eis expoſitio libri, qui *compendium legis novæ*, *in duobus magnis præceptis comprehenſæ*, *uno amoris erga Deum*, *altero amoris erga proximum*, *& præcepto precum contentæ*, appella-
592. tur, editus A. 1711 & 1712, Pariſiis, 8. Attentionem majorem merentur Opera *Joannis Damaſceni*, a P. *Michaele le Quien* A. 1712, Pariſiis, in folio Græce & Latine edita. Reſtat nobis vi-
66. ta *Sebaſtiani Nani Tillemontii*, quam a *Michaele Troncheto A.*

1706

1706 Nanneti, & A. 1711 Coloniæ auctiorem, in forma duodecima editam fuisse, novimus. Tantum non credideramus, vitæ *Tillemontii* plane novam datum hic iri expositionem. Verum, si ita sensissemus, recantare opinionem fuissemus jussi, simul atque ab Autore admoneri nos intelligeremus, sibi posteriorem *Troncheti* editionem probari, quippe ex qua resumserit dapes, quas cum lectore suo communicaverit. Quo ipso nobis otia fuisse facta, rati, id unum addimus, *Tomo II* suffixum esse Indicem, utrique *Tomo* communem. Nisi *Tomi* subsecuturi scripta majoris momenti sint daturi, saliva lectoribus haud facile movebitur. Cohibemus jam judicium nostrum, sperantes meliora.

L'ADAMO DEL CAMPAILLA, &c.
id est,
ADAMUS, SEU MUNDUS CREATUS, Poema philosophicum D. THOMASII CAMPAILLA, Patricii Modicani, cum summis materiarum, quæ singulis cantilenis continentur. Latino carmine epico in gratiam eruditorum extraneorum expressit
D. JOSEPHUS PRESCIMONE, Consiliarius Regius.

Messinæ, ex typographeo regio, 1728, fol. min.

Alph. 3.

Jacobus de Mazara & *Echebelz* in Præfatione, lectoribus destinata, de *Thomasii Campillæ* progenitoribus, dignitate, doctrina, & scriptis, differunt. Philosophiæ arcana abstrusiora *Thomasius* feliciſſime cum laurea poetica conjunxerat. Medius inter *Ren. Carteſium* & *Petrum Gaſſendum* incessit. In physicis nonnunquam novas excogitavit hypotheses, nonnullas expolivit & reformavit, multum deditus Physices experimentalis oblectationibus. Ex prima statim parte hujus carminis elucet ejus systema de luce, de formatione planetarum, eorumque in medio aeris libratione, generatione nitri, de virtute lapidifica, de vi magnetis attractiva, de fundamentis montium ignivomorum, ac originibus

terræ motuum, de vortice maris circa Meſſanam, de reciproca conjunctione guttularum homogenei liquidi, & refugio ab heterogeneis, de volatilitate & ſtabilitate mixtorum, de actione aeris in reſplendente phoſphoro urinæ & adſcendente ex foco, de formatione corpuſculorum ex effluviis æthereis, de transformatione ſucci vegetabilis in poris plantarum & ſuccorum animalium in poris glandularum, de formatione arboris ex argento, de corticis Peruviani virtute febrifuga, de phænomeno petræ ſerpentis pileati, de formatione ideæ plantarum in gemma & in ſemine, ac de aliis opinionibus phyſicis admodum curioſis. Multam magnamque hujus doctrinæ partem oratione proſa quondam ediſſeruit. Meletema ejus *de fermentatione* (*Diſcorſo della fermentatione*) Panormi formis publicis deſcriptum prodiit A. 1710, nec non *de Motu animalium*. Poſtea edidit ibidem *Problemata naturalia* (*Problemi naturali.*) Ut vero acerbitatem theorematum philoſophicorum temperaret dulci poeſeos delicio, & ingenium dives & exemplum *Lucretii Cari* eum adduxit. Nec inficiari audemus, eum omne tuliſſe punctum in carmine ſuo omnibus numeris abſoluto, in quo puritas vocum, idearum claritas & diſtinctio, elegantia & ornatus, cum varietate rerum, menſura rerum & verborum juſtiſſima, atque id, quod mirificum, inauditum, grande, altum, credibile, & perfectum, vocamus, inter ſeſe de principatu certant. *Libro* carminis *primo* de rerum principiis, *ſecundo* de cœlis, *tertio* de planetis, *quarto* de elementis, ac eorum qualitatibus, *quinto* de Bibliotheca, *ſexto* de gravitate, corporumque motu, *ſeptimo* de terra, *octavo* de mari, *nono* de aere, *decimo* de igne vario, phoſphoris, pulvere auri fulminantis, & alchimia, *undecimo* de planetis, *duodecimo* de brutis, eorumque anima & operationibus, *decimo tertio* de homine, *14* de œconomia animali, *15* de generatione, *16* de ſenſibus, & ſenſuum objectis, *17* de morbis, *18* de anima hominis, ejusque perfectione & morbis, *19* de cupiditatibus animæ, ejusque immortalitate, ac *20* tandem de raptu *Adami* & *Evæ* in cœlum empyreum, qua occaſione deſcribit civitatem Dei, Deique virtutes, ac redemtionem, per Chriſtum partam. Ad extremum inter-

intercedit, ne quis credat, ipsum assentiri systemati cœlesti Copernico-*Cartesiano*, quod Poemati quidem inseruit, sed duntaxat velut hypothesin, per quam facilius phænomena & motus stellarum possint exponi. Haud prætermisit Autor ullam Philosophiæ & Theologiæ doctrinam.

GESTA ET VESTIGIA DANORUM EXTRA patriam, præcipue in Oriente, Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Belgio, Germania, & Slavonia, maximam partem ipsis Scriptorum, non exoticorum minus, quam domesticorum, verbis adumbrata. In tres Tomos distincta.

Tomus I & II.

Lipsiæ & Hafniæ, sumtibus Jacobi Preussii, 1740 & 1741, 8.

Tom. I Alph. 1 plag. 4, Tom. II Alph. 1 plag. 4.

Erico Pontoppidano libuit Historiam Danicæ gentis, vestigia virtutis regionibus exteris olim imprimentis, adjumentis, ac præsidiis, debite collatis adhibitisque, persequi & illustrare. Nec tantis ipse excidit ausis. Nitor & puritas stili, ordo tractationis, & argumentum solide elaboratum, omne hic ferunt punctum. Dignum sane erat opus, tanta diligentia elaboratum, ut Serenissimo Celsissimoque Principi, *Friderico*, Daniæ & Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque, Principi tunc hæreditario, inscriberetur, Musarum tutori præsidioque. In Dedicationis formula Cl. Autor usum ex studio historico elucentem, & merita Danorum glorioſa, justis in cœlum laudibus extollit. Præfationem ita orditur: *Quantumvis ad agitatum nostris diebus systema Philosophiæ mechanicum neutiquam accedo, tamen arbitror, eo sæpiuscule devolvi mortalium conatus, quo* (eos) *tendere ab initio minus auspicamur.* Ita est. Nova Philosophia dictitat, statum præsentem gravidum esse futuro, nec actiones voluntarias rationibus suis carere, quarum cursu ac vi coeunte eliciatur effectus. Marmora Danica, sive Inscriptionum per Daniam potiorum fasciculum, Autor ab interitu vindicare constituerat,

Digitized by Google

tuerat, cum vidit, ineſſe collectaneis ſuis Epitaphia, Inſcriptionesque alias, memoriæ illuſtrium quorundam Danorum, foris celebratorum defunctorumque, conſervatrices. Cum hiſce illuſtrandis operam impenderet, ac exterorum evolveret ſcripta, ſubnaſci cœpit hoc opus. Idem fere inſtitutum jam occupavit *Olaum Wormium* & *Ludovicum Winslovium*, quorum tamen uterque quo minus conata perficeret, mors inopinata fuit impedimento. Manebat ſcilicet hic labor Cl. Autorem, viribus inſtructum, ſubſidiis munitum, animo valentem, curis moleſtis vacantem, qui eo præſtantiſſime fuit defunctus, lectorumque deſideriis omnino fecit ſatis. Complectitur *Tomus primus* Danorum geſta & veſtigia in Oriente, in Italia, in Hiſpania & Portugallia, atque in Gallia. *Secundus* exequitur res Danorum præclaras, per Angliam, Scotiam, Hiberniam, & Belgium, geſtas. Quid *tertius* ſpondeat, hinc ſatis innoteſcit. Revertimur ad Danos, Orientem perluſtrantes. Incidimus hic primo in peregrinatores religioſos. Horum in numero celebrantur *Ericus Bonus*, Rex Daniæ, Oriente ſalutato Cyprum redux, ibique mortuus, & Baſtæ ſepultus; conjux ejusdem, Regina *Bothilda*, itineris ſocia, in valle Joſaphat ſepulta; *Waldemarus* IV, Rex; *Ericus*, Pomeranus, Daniæ Rex; Epiſcopi boreales haud pauci; *Sueno* uterque, ille Epiſcopus Roſchildenſis, in Rhodo exſtinctus, hic Epiſcopus Viburgenſis, una cum fratre *Eskillo* prope Hieroſolymam defunctus; *Sigvardus*, *Slembus*, aliique Norvegi; S. *Andreas* Slagoſienſis; *Andreas*, Decanus Lundenſis, aliique. Offerunt ſeſe deinceps Dani ac Norvegi bellatores per terras orientales. Dani olim cuſtodes fuerunt corporis Imperatoribus Græcis, teſtibus *Saxone*
Pag. 20. *Grammatico Lib. XII*, atque *Paulo Rhamnuſio*, Veneto, aliisque. Gothi Græciam inundarunt. Cimbri ad paludem Mœotida ſunt graſſati, ſi conjecturæ *Strabonis Lib. VII* fides habenda. Quæ de *Ogerio* Dano, ejusque filio, *Meurvino*, tempore *Caroli M.* Orientem inde ab Hieroſolymorum terra uſque ad Indiam ſubigentibus, vulgo traduntur, fabulas videntur redolere.
27. *Regnerum Lodbrog*, poſtea Daniæ Regem, piraticam uſque in Helleſpontum & Conſtantinopolin exercuiſſe, *Saxo* & *Albertus Stadenſis*

Stadenſis teſtantur. *Haraldum Blaatand*, Regem Daniæ, claſſe Pag. 30.
in Orientem, vel Æthiopiam, trajeciſſe, eſt fama. Mauros A.
857 a Normannis fuiſſe debellatos, *Mariana* eſt autor. Expe-
ditionem movit *Haraldus Haardraade*, Rex Norvegiæ, Con- 33.
ſtantinopolin circa A. 1406, ac auro onuſtus revertit. *Sueno*
Danus, Regis filius, obſidionem Antiochiæ in expeditione
cruciata adjuturus, intra Thraciam, proditorum fraude circum-
ventus, cecidit. *Carolus*, S. *Canuti*, Regis Martyrisque, filius, 35.
poſtea Flandriæ Comes, Hieroſolymitanæ expeditioni A. 1096
interfuit. Danos Norvegosque *Godofredo Bullioneo* ſuppetias 37.
iviſſe, conſtat inter omnes. *Siguardus*, *Magni* filius, Cairum
cepit ac Sidona, ad Aſcalonem ac Joppen appulit, Hieroſo-
lymam luſtravit ac loca ſacra, Jordanis aqua ſeſe lavit, Tyrum 43.
expugnavit, in Cypro ſubſtitit, Conſtantinopolin ſplendide in-
travit, ibique honore exceptus fuit ſummo. Dani Mauris A. 1147,
25 Oct. Olyſſipponem eripuerunt. Ad A. 1189 Dani denuo
Regem Portugalliæ ope ſuſtentarunt, ac expeditioni interfue-
runt cruciatæ. Circa A. 1217 Rex Norvegiæ, *Hacon*, claſſem ex- 52.
peditiſſimam in Orientem miſit, ac literas liberi commeatus
eum in finem a *Ludovico*, Galliarum Rege, A. 1248 accepit. Sunt,
qui originem Ordinis Danorum equeſtris, ab elephante dicti, 53.
bello orientali ſacro aſſignant. Sunt, qui, in India ac Africa
eluxiſſe res veterum Danorum, tradunt. At requirimus ſoli-
diores rationes. Certius eſt *Olai Tryguini*, Græci dicti, Nor- 56.
vegiæ Regis, iter in Græciam ſuſceptum. *Otto Schram*, nobi-
lis Danus, Hieroſolymam profectus, & ibi renuntiatus fuit
eques S. Sepulchri A. 1599. Peregre præterea in Orientem 57.
abierunt *Henricus Rantzovius de Paltsgaard*, *Joannes Schon-
gaard*, *Eraſmus Vindingius*, *Theodorus Petræus*, linguarum
orientalium peritiſſimus, *Caſpar Friſius* & *Nordenius*, *Scher-
becius*, ac ipſe Rex *Haraldus*, qui dicitur filiam Regis Græci
uxorem duxiſſe. Fictitiæ ſunt literæ, quas ferunt a *Baltha- 62.
ſaro Soldano*, Babyloniæ, ad *Chriſtophorum Bavarum*, Danorum,
Suecorum, ac Norvegorum, Regem, fuiſſe ſcriptas. Adjunxit
Cel. Autor notitiam de navigatione Danorum Tranquebarica,
in Indiam Orientalem directa. Commercium Ceilonenſe mi-

nus

Pag. 68. nus feliciter fucceſſit. Commercium Guineenſe ſua adhuc viget laude, A. 1659 inchoatum. In America Rex Danorum tenet inſulas S. *Thomæ*, S. *Joannis*, & S. *Crucis*. Priores duas A. 1675 ceſſerunt Angli; ultimam Galli A. 1732. Grata ſunt le-
70. ctu, quæ hic de M. *Jacobo Wormio*, ob libellos ſatyricos Tranguebariam deportato A. 1681, allata fuere. Pietatem
74. alunt, quæ Autor de Evangelio, inde ab A. 1705 inter Malabaras, juſſis regiis congruenter, nuntiato, differit. Hinc ad Italiam promovet gradum Cl. Autor, attingens potiora de Cimbrorum in Italia rebus, de Gothorum fatis, de Longobardorum regno, de *Oligero* Dano in Italia claro, de expeditione Lodbrochidarum in Italiam, de geſtis Danorum duce *Haſtingo* in Italia, & de Normannorum in Italia atque Sicilia regno. Recentiora, minusque illuſtria, non omittit Autor. Commemorat *Beſſium*, Norvegum, Romæ in æde S. *Petri* ſepultum, epitaphium *Dithlevi Ranzovii*, Romæ reperiundum, epitaphium *Severini Norbye*, equitis Dani, Florentiæ, merita D. *Thomæ Finchii*, Flensburgenſis, in Academiam Patavinam, ſtatuamque ejusdem, ibi in æde D. *Sophiæ* exſtantem. Memorat imaginem D. *Chriſtiani Oſtenfeldi*, Academiæ Patavinæ olim Prorectoris, atque pretioſam indidem inſcriptionem, binasque inſcriptiones Patavinas in memoriam *Chriſtiani Bruni*. Omittimus epitaphia alia. Id vero denuo dicendum eſt, *Chriſtianum I* & *Fridericum IV*, Reges glorioſæ memoriæ, Italiam inviſiſſe, ac A. 1702 copias Danicas pro *Leopoldo* Imperatore in Italia fortes ſeſe præbuiſſe. Id nos habet incertos, Gothine potius inferiora Sueciæ, an Juthiam, habitaverint, item an Gothi Cimbricam Cherſoneſum jam inſederint, cum Seculo III, IV, & V, Gothi
102. cœperunt Romanis eſſe graves. *Pomponius* quidem *Lætus* Longobardos ex Cimbrica peninſula deduxit. *Paulus* vero *Diaconus* & *Proſper Aquitanus* eos ex Scandinavia inſula & Scandia inſula deducunt. Quæritur proinde, an Scandia fuerit ea inſula, quam nunc Selandiam vocamus; an veteres potius infima regni habuerint pro Scandia inſula, quibus nomen adhuc eſt *Schonen*, *Scania*, *Scandia*. Poſteriorem ſententiam firmant Rhythmi Gothlandici, *pag. 105* allati. Sed pergimus

cum

Digitized by Google

cum Cel. Autore in Hiſpaniam, ibi veſtigia Danorum conſideraturi. Vandalorum hic Reges incoluiſſe, certum. Eorum majores Cel. Autor in extrema Cimbriæ aquilonaris regione *Wendeſyſſel* quærit, quam aliqui Vinniliam, aliqui Vinuliam, dixerunt. Attingit deinde Weſtrogothorum in Hiſpania regnum, nec non literas Danicas, ſeu Runicas, in Hiſpania Toletanas dictas. Differit de epitaphio *Roderici*, poſtremi Gothorum Regis, reliquiis Gothorum in montibus Bearnenſibus, de claris *Oligeri* Dani in Hiſpania factis, de geſtis ab *Erico Bono*, Daniæ Rege, in Portugallia contra Saracenos, de Hiſpanica *Siguardi* Hieroſolymipetæ, Norvegorum Regis, expeditione, de opera Danorum in civitate Sylvenſi Saracenis eripienda, ac de ſpurio *Eleonoræ*, Danorum reginæ, apud Luſitanos epitaphio. Excutit porro Cimbrorum res in Gallia, geſta a Gothis & Vandalis in Gallia, Burgundionum facta, Normannorum res geſtas, ac *Gothilaci* Dani per Gallias geſta. Memorat Aquitaniam a Normannis infeſtatam, *Haſtingum*, Gallias populatum, *Genaldi* Dani fata, cædem *Mauri*, Normannorum Regis, urbes Galliæ a Danis obſeſſas & vaſtatas, *Rollonem* Ducem, ejusque filium *Wilhelmum*, *Richardum*, ex hoc natum, & ipſum denuo *Oligerum*, in monaſterio S. *Faronis* ſepultum. Differit de *Ingeburga*, *Waldemari*, Regis Daniæ, filia, a marito *Philippo*, Galliarum Rege, injuſte repudiata, tandemque in gratiam & thalamum recepta, de *Chriſtina*, Lotharingiæ Duce, de *Eſchillo*, Archiepiſcopo quondam Lundenſi, ſepulto in monaſterio Claravallenſi, de *Jano Grand*, Archiepiſcopo itidem Dano, Avenione humato, de *Herluino* Dano, fundatore monaſterii Beccenſis in Gallia, de *Geldvino* Dano, monaſterii Pontilevi in Gallia fundatore, de *Rogerio Bellomontano*, duorum cœnobiorum in Gallia fundatore, de *Roberto*, Rodolenti Principe, ex Dania oriundo, monaſterii Uticenſis evergeta, de *Gualtheri Giffardi* epitaphio, ac de Collegio Pariſienſi pro Danica juventute. Meminit *Petrum Oxe*, equitem Danum, in Gallia diu exulem, de Lotharingia meritum præclare. Memorat *Andream Simonis*, poſtea Daniæ Archiepiſcopum, bonas literas in Academia Pariſienſi profeſſum, *Olaum Rœmerum*, Danum in Gallia inclytiſſi- Pag. 156. 175. 177.

mum, & Delphini ſtudia mathematica moderatum, *Jacobum Winslovium*, Danum, Chriſtianiſſimi Regis archiatrum, & Pariſienſis Academiæ Profeſſorem, nec non *Michaelem Rög*, Norvegum, ſculptorem in Gallia excellentiſſimum. Adjungit hiſce *Canuti Magni*, Daniæ Regis, in eccleſiam Carnotenſem munificentiam, *Fulberti*, Carnotenſis Epiſcopi, ad illum literas, *Canuti* expeditionem Normanno-Gallicam, *Waldemari IV* iter ad Papam *Urbanum V*, Avenione commorantem, &c. Mirabilis ille *Otgerius* Danus videtur nobis ex ingenio fictionibus divite pro-

Pag. 339. creatus. *Otgerium* enim, ſeu *Autgerium*, *Oggerium*, *Anaſtaſius* in Vita *Adriani* Papæ vocat *Francum*, *unum ex primoribus regni Carolomanni*. Hunc vero *Caroli M.* fratrem novimus exſtitiſſe. *Otgerii* ſororem *Rotlando* nupſiſſe, autor eſt Pſeudo-*Turpinus*, ſcriptor fidei nullius. Hic vero primus *Otgerium* vocavit *Danum*. Secutus fuit eum Collector Chronici Belgici magni in vita *Gerbaldi*, Epiſcopi Leodienſis quarti, & *Joannes Placentius*, Trudonenſis, in Catalogo antiſtitum Leodienſium. Seculo XI per Pſeudo-*Turpinum* dimanavit fabula de *Otgerio*, ſeu *Oligero*, ad Normannos, & inde ad Danos. In libros Romanenſes definit ipſa haud ſecus ac *Rolandus*, *Henricus ferreus*, Doctor *Fauſtus*, &c. At gradum promovere lubet ad *Tomum II.*

Tom. II In eo principatum obtinent geſta & veſtigia Danorum in Anglia. Cimbri videntur appellationem impertiiſſe Cumberlandiæ, Van-

pag. 13. dali rivulo *Vandalis*, locisque *Wandlesworth*, *Vandelsburg*, &c. Burgundos & Vandalos *Probus* Imperator, a ſeſe devictos, in Britanniam miſit, *Zoſimo* teſte. Literaturam Gothicam in Anglia ob-

18. ſervarunt *Spelmannus* & *Cambdenus*. Anglorum ſedes vetus in Slesvico ſub Flensburgo fuit. *Frothonis I*, Regis Danorum, res in Anglia geſtas deſcripſit *Saxo Grammaticus Lib. II. Amlethus*, *Rörici* Dani filius, ibidem ſagacitatis ptomeruit laudem. *Fridlevi Celeris*, *Frothonis III*, *Regneri Lodbrog*, *Ivari*, ex eo nati, qui cum Rege *Ethelredo* conflixit, *Frothonis VI*, & *Gormonis II*, ex eo procreati, *Hroci*, Regis Northumbriæ Dani, *Agnari*, filii, *Halfdani*, *Ivari*, aliorumque, geſta Anglica memoratu ſunt digna.

65. *Rollo*, poſtea Normanniæ Dux, cum Anglorum Rege *Alfredo* fœdus

fœdus ſancivit. Commercium *Haraldo* pulchricomo, Regi Norvegorum, cum *Adelſtano*, Anglorum Rege, fuit frequens. *Sueno barbæ furcatæ* condidit imperium in Anglia Danicum. *Canutus Magnus* illud firmavit, tempori tamen cedens, tandemque toti Angliæ dominans. Ipſe primus Monachos in Daniam induxit. Succeſſit ipſi per triennium in Anglia *Haraldus*, cui ſucceſſit *Harde Canutus*, *Canuti M.* ex *Emma* filius, veneno ſublatus, quocum exſpiravit Danorum in Anglia regnum ſatis ſuperque durum. *Haraldi Strenui*, Regis Norvegiæ, expeditio Anglica eſt celebratiſſima, cui quippe ipſe debuit necem. Nec omittendus eſt *Waltheofus* Comes, filius *Siguardi*, Comitis Northumbriæ, gente Dani, juſſu *Wilhelmi Conquæſtoris* decollatus, ac ipſe *Siguardus*, regio Danorum ſanguine procreatus. Æqualis ei fuit ætate *Robertus*, *Unfrani* Dani filius, armiger Regis *Eduardi*. A *Chriſtiano V* A. 1689 *Wilhelmo*, Anglorum Regi, auxilia, 7000 milites complexa, fuiſſe ſubmiſſa, in vulgus conſtat. *Georgium*, *Annæ* maritum, norunt univerſi. A. 1012 Danos S. *Elphegum* ad martyrii lauream admoviſſe, obiter notari poteſt. Ad Danorum veſtigia, Scotiæ impreſſa, refert Autor originem Scotorum Pictorumque ex Gothis, expeditionem *Frothonis I*, Daniæ Regis, in Scotiam, res *Amlethis*, Juthiæ reguli, in Scotia geſtas, *Regneri Lodbrock*, Daniæ Regis, geſta intra Scotiam, tributa ex Scotia Danis penſitata, expeditionem Danorum eo factam ducibus *Hubba* & *Humbro*, Danos a *Gregorio*, Scotiæ Rege, triumphatos, auxilia *Donaldi*, Scotiæ Regis, miſſa Anglo contra Danos, Scotorum fœdus cum Danis adverſus Anglos, Danorum in Scotos expeditionem, *Hagone* & *Helrico* ducibus, geſta *Suenonis*, Daniæ & Angliæ Regis, ejusque tres in Scotiam expeditiones, facta *Siguardi* Norvegi, Comitis Orcadenſis, in Scotia, monomachiam *Thorgiſelli* Islandi cum *Surtero* pirata & mago in Scotia, *Haquini*, Norvegorum Regis, in Scotiam expeditionem, *Jacobi III*, Scotiæ Regis, nuptias cum *Margareta*, *Chriſtiani I*, Daniæ Regis, filia, & oppignorationem Orcadum, legationem Anglo-Scoticam *Jo. Jacobi Ravensbergii*, poſtea Epiſcopi Roſchildenſis, ac vindicias libertatis vitæque Regis ac

Pag. 68. 102. 144. 168. 172. 223. 231. 238. 279. 284. 294.

Digitized by Google

Reginæ Scotiæ per *Nicolaum Cragium*, Danum. Hibernos, qui ſe ipſi vocant *Gajolthel*, a Gothis fuiſſe ortos, ſibi perſuadet. Expeditiones *Fridlevi I*, ejusque filii, *Frothonis III*, Daniæ Regum, Hibernicas ſuccincte deſcribit. Geſta *Regneri Lodbroch* &
Pag. 300. mortem calamitoſam in Hibernia, varias Danorum & Norvegorum in Hiberniam irruptiones, fabulam de *Glaſſio*, gigante Norvego, vaſtationem Hiberniæ a Danis illatam, *Findani*, Hibernorum ſancti, a Danis captivitatem, vaſtationem Ultoniæ Hebri-
321. dumque per Danos & Norvegos, geſta *Magni Nudipedis* per Hiberniam, legationem *Siguardi* Hieroſolymipetæ in Hiberniam, & *Haraldi* Hiberni, ex *Magno Nudipede*, Norvegorum Rege, nati, miram pernicitatem, perſequitur. Complura Danis cum Belgis commercia interceſſerunt. Autor Brabantis Flandrisque originem ex Cimbris aſſignat. *Goldverii*, Cimbrici Ducis, filia certe *Flandeberto* nupſit, Belgicumque littus Cimbri late inſederunt. Friſiis Autor eandem tribuit originem. Ipſi certe ad tempus Danis paruere. Comites Loſſenſes, ſeu Lohnenſes, a Comitatu Loſſenſi dictos, credibilius eſt, quam *Godofredo*, *Oligeri* famoſi filio, eum a *Carolo M.* fuiſſe donatum. *Holgerum* Danum templo S. Virg. *Mariæ* Tungrenſi reædificando, & alendis 20 Canonicis, impendiſſe ſumtus, memoriæ literis eſt proditum. Hollandiam, & inprimis Ultrajectenſem Diœceſin, a Danis devaſtatam fuiſſe, tradit Cl. Autor. Idem docet, feudum Friſiæ & Doreſtadii, Trajectenſis Diœceſis oppidi, *Erico* Duci, poſtea Danorum Regi, a *Ludovico Pio* concreditum fuiſſe; ſeminarium Turholti in Brabantia inſtitutum, in quo pueri Danici ad ſacrum miniſterium præparati; everſas eſſe a Danis urbes Dorſtadium, Antwerpiam, & Wittham, ac Friſiam Walachiamque Danis tributariam factam; geſta eſſe nonnulla per Friſiam atque Flandriam a *Regnero Lodbrog*, Danorum Rege; Comitatum Galliæ Belgicæ Veromandenſis a *Biornone*, *Jernſide*, & *Haſtingo*, Danis, fuiſſe ſpoliatum; *Erici* Ducis, Doreſtadii ac Friſiæ præfecti, varia fuiſſe fata; Friſiam a Danis vaſtatam; Danos perpetuis excurſionibus Friſiosque Batavosque fatigaſſe; Normannos arma protuliſſe uſque in Galliam. Differit idem de *Gunilda*, *Henrici III* Regis, poſtea Imperatoris, uxore, de *Osborno*,

Digitized by Google

Osborno, Regis Daniæ fratre, de *Ethela*, filia *Roberti Freſonis*, S. *Canuti*, Danorum Regis Martyrisque, vidua, de S. *Carolo*, ejus filio, Flandriæque Comite. Singularia ſunt, quæ de *Erico Walckendorfio*, *Olao Stigoto*, *Wilhado* Dano, *Joannis Michaelii*, *Jo. Iſaaco Pontano*, M. *Jo. Canuti Vellejo*, ac virtute Danorum in pugna ad Rameliam A. 1706 vehementer pugnata, expoſuit Rev. Autor. Prædicamus induſtriam & lectionem multijugam ejusdem, dicturi proxime de *Tomo tertio*, in quo non minorem, quam in prioribus *duobus*, Autoris diligentiam, ſolertiam, doctrinam, eminere, gaudentes intellexinus.

ETAT PRESENT DE LA REPUBLIQUE DES PROvinces-Unies & des Païs, qui en dependent, &c.
id eſt,
STATUS PRÆSENS REIPUBLICÆ PROVINciarum Fœderatarum ac regionum, inde pendentium, opera FRANCISCI MICHAELIS JANISSONII, Mandatarii publici Haſſiaci. Editio ſecunda, reviſa & correcta.

Tomi II.

Hagæ Comitum, ſumtibus Joannis van Duren, 1739, 8.
Tom. I Alph. 1 plag. 1, Tom. II Alph. 1 plag. 2.

Editio prior *Carolo*, Landgravio Haſſorum Sereniſſimo, fuit inſcripta ab Autore, quem Belgium fœderatum in gremio ſuo fovit ac educavit, & qui eam ob cauſam nihil eorum omiſit, quibus potuerit ſeſe reddere idoneum ad leges, vincula, & rationes, quibus provinciæ Belgii conjunctiſſimi complicatæ apparent, diſpiciendas. Acceſſit ille ad fontes & ſcatutigines, ut voti ſui particeps evaderet, atque introſpiceret in rationem gubernationis generalem, ac in modum, quo provinciæ & urbes ſingulæ reguntur. Viderunt jam hic aliquid *Wilhelmus Temple*, *Sam. Baſnagius*, & *Joannes Clericus*. At ordine & digeſtione caret primus, notitia genuina deeſt ſæpius ſecundo, tertius *Homerum* voluit in nuce exhibere. *Batavia illuſtrata*, Anglice

concinnata ab *Onslow Burrish*, haud ſatis eſt digeſta, ac de cetero maximam partem ex *Baſnagio* hauſta. *Guicciardini* deſcriptio Belgii ſenium & ſitum contraxit. Liber *les Delices des Pais bas* geographica ſuppeditat, ſtatum interiorem haud attingit. Libellus *les Delices de la Hollande* exhibet ea, quæ in oculos incurrunt. Interiora corporis politici, ejusque Belgici, pandunt *Simon van Leeuwen* in *Batavia illuſtrata*, *Boxhornius* in *Theatro Urbium Hollandiæ*, ac *Blauw* in *Theatro urbium Belgii*. Ex hiſce Autoribus nonnihil in uſus ſuos potuit transferre. Inprimis vero adhibuit *Matthæum van der Houwe*, qui antiqua privilegia VII provinciarum collegit, & *Romynum de Hooghe*, cuius exſtat liber: *Spiegel van Staat der vereenigde Nederlanden*. Præcipue autem profecit Conſultiſſ. Autor e viris, ſtatum reipublicæ callentibus, ex eis, qui commerciis dirigendis in Indiam utramque præſunt, ex optimatibus, provinciarum ad eiuvum ſedentibus. Ex hiſce filis tela hæc fuit contexta, quam penitus eſſe perfectam & præclaram, ipſe negat, ſpem injiciens editionis melioris, ſi errata ſua ingenue notata fuiſſent, prodituræ. Quam quidem ſpem haud fefelliſſe, lubentes lætique hic intelligimus. *Tomo I* ediſſeruntur collegia univerſitatis diverſa. Fit initium a conſpectu generali ac ſuccincte exhibito de ſtatu Belgii fœderati potentiſſimo, tum ratione virium & fœderum, tum reſpectu religionis & morum, quibus incolæ ſunt imbuti. Expoſuit inibi præterea de potentia & autoritate Gubernatorum, de origine & progreſſu utriusque commerciorum ſocietatis, ab India denominatæ. *Tomo ſecundo* deſcripſit regiones ac urbes, Statui univerſo proprias, nominatim Brabantiam Hollandicam, Limburgum Hollandicum, Flandriam Hollandicam, & territorium Venlovienſe, pace Ultrajectina partum, urbes propugnaculi adverſus Gallos muniti, Geldriam Batavicam, ac præſidium Embdæ impoſitum, ubi Comitum & Principum Friſiæ Orientalis ſeries, ac his horum recentiſſima, cum ordinibus provincialibus agitata, ſolide & ordine recenſetur. Non eſt, quod veritati fiat injuria ulla, ſi confeſſi fuerimus ingenue, *Tomos* hoſce deſtinationi Autoris & rei ipſi accurate reſpondere, ſcripturam eſſe & planam & puram & venuſtam,

Digitized by Google

nuſtam, tractationem ordine ſuo naturali profluere, atque hos Commentarios in hoc librorum genere obtinere principatum, licet figuras urbium æri inciſas illi haud repræſentent, nec ad oculos retinendos ſint præcipue concinnati vel inſtructi.

Hiſtoriſche Nachricht von dem alten Biſchofſthum Lebus, ꝛc.
id eſt,
RECENSIO HISTORICA DE VETUSTO Epiſcopatu Lebuſienſi, ex Polonia in Marchiam Brandeburgicam translato, exhibita a RENATO ANDREA KORTUM, Eccleſiaſte Lebuſi.

Francofurti ad Viadrum, apud Joannem Gothofredum Conradi, 1740, 4.

Plag. 9.

Non ſolum de Epiſcopatu Lubucenſi, ſeu Lebuſienſi, Pl. Rev. Autor in hac Diatriba expoſuit, ſed adjunxit etiam indolem terræ Lebuſienſis eam, quæ nunc exiſtit, haud ſecus ac ipſe rem religioſam ac civilem, phyſicam, & antiquitatum plenam, & tabulam geographicam, ſimul illuſtravit. Edidit idem jam *Prudentiam in adverſis*, & *Anecdota Reformationis.* Lebuſiam certe olim fuit ampliſſimum, ac 14000 incolis plenum, Pag. 2.
3, vel 4, templis inſtructum. Epiſcopatus inde non translatus fuit Fürſtenwaldiam, licet baſilica eo migraverit ad tempus. Epiſcopatum, in Ruſſia rubra conditum, ac Tartarorum irruptionibus deletum, Dux Poloniæ *Mieczislaus* A. 965 Lebu- 4.
ſam, ſeu Lebuſium, ad Viſurgim fertur tranſtuliſſe. *Adelberti* Epiſcopi effigiem oſtentat adhuc altare templi ſuperioris Francofurtani. *Wenceslaus* Epiſcopus poſtea ad ſedem Wratisla- 6.
vienſem pervenit. *Joannes* A. 1405 Diœceſi Lubucenſi præfedit, brevemque conſignavit commemorationem de fatis Diœceſeos, quæ omnino clarum fundit ſenſum. Optamus, ut complura ejusmodi de Epiſcopis Lubucenſibus exſtent monumenta. Epiſcopus *Henricus* A. 1326 circiter inſtinctu Papæ arma ſumſit adverſus *Ludovicum Bavarum*, Marchionem Brandeburgen-

burgenſem, inſigni exinde calamitate preſſus, at tandem 12000
Pag. 8. marcis expiatus. Francofurtum ad Diœceſin Lubucenſem fuit
10. relatum, ac *Maximilianus I* A. 1500 Epiſcopo Lubucenſi Cancellariatum Academiæ Francofurtanæ aſſignavit. *Joanne*, Epiſcopo poſtremo, A. 1555 defuncto, *Joannes Fridericus*, Elector
13. Brandeburgicus, Principi ſuo in hæredem nato, *Joanni Georgio*, adminiſtrandum Epiſcopatum Lubucenſem tradidit. Sedem
16. Epiſcopalem A. 1631 incendium hauſit funeſtum. A. 1556, 22 Jul. in ea agitata fuit Synodus ſuper Torgavienſis concordiæ libro ſymbolico. Hæc potiſſima ſunt eorum, quæ *Parte priori* enarrantur. Quæ in continuatione referuntur, ſunt ſpeciatiora, ac apud Pl. Rev. Autorem ipſum legenda. Admiratio nobis inceſſit, qui potuerit fieri, ut Catalogus Epiſcoporum, ac Diplomatum Epiſcopalium ſeries, ad Autorem haud pervenerit. Oramus ipſum publico nomine, ne quid operæ omittat, quo Hiſtoriæ Germanorum poſſit conſuli, ac lux largior affundi. Nam, *in quo non credis gurgite, piſcis erit.*

Unterirdiſche Reiſe, ꝛc.
id eſt,
ITER SUBTERRANEUM NICOLAI KLIMI, in quo Geographia nova, & plenior de Monarchia quinta recenſio, huc usque prorſus incognita, continetur. Ex Bibliotheca B. ABELINI Latine olim editum, nunc Germanice factum.

Hafniæ & Lipſiæ, impenſis Jacobi Preuſs, 1741, 8.

Alph. 1 plag. $1\frac{1}{2}$, cum Mappa geogr. 1.

Scena externa repræſentat hominem, Bergæ apud Norvegos ſuperiori Seculo natum, qui in Academia Hafnienſi ſtudiis philoſophicis theologicisque coronidem impoſuit, ac Magiſtrum Philoſophiæ & Baccalaureum Theologiæ ante diſceſſum ſeſe curavit creandum. In patria ipſe nil, quod ſperaret, invenit redux, ideoque in cavernam montis ſeſe dimiſit, ac per ejus profunda præceps ruit in mundum ſubterraneum, nominatim in planetam Nazar, cujus regionibus perluſtratis, altiores orbis ſubter-

Digitized by Google

ſubterranei tractus æque ſalutavit, tandemque in patriam reverſus, ad S. Crucis munus æditui obtinuit. Fabulæ Mileſiæ hæc eſt ſumma. Veriſimilitudinem & vincula eventuum feliciter ob oculos habuit, præterquam quod viciſſitudo affectuum ruentis per præceps videatur juſto celerior. Nucleus fabulæ ita, ut ridendo dicatur verum, & vitia Europæorum benigno ſale perſtringantur, eſt compoſitus. Philoſophos, Mathematicos, ac Theologos, in varia ſententiarum divortia diſtractos, acerbius notat. In Theologia præbet ſpeciem Latitudinarii ac Deiſtæ. Moralem ac Politicam puriorem profitetur, nec de nævis ſcriptorum, qui libros compilant novos, dicere omittit, pulchrum ratus, *parcere perſonis, dicere de vitiis.* Habent libri ejusmodi eum uſum, ut nævos exhibeant evitandos candide, id vero plerumque trahunt veneni, ut ſcientiarum ſolidiorum doctoribus contrahant contemtum ac vilipendia. Ea tamen laude Noſter eminet, quod ſcurrilia & ſotadica, quæ Galli ſolent libris ejusmodi protrudere, & in detrimentum orbis terrarum evomere, procul a ſcopo ſemovit, & a fabula ſua prorſus exterminavit.

Kurtze Nachricht von dem Homanniſchen groſſen Land-Karten-Atlas, ꝛc.

id eſt,

BREVIS EXPOSITIO DE MAJORI HOMANniano Tabularum geographicarum Atlante, cum deſignatione ſingularum Mapparum geographicarum, quæ huc usque ex officina Homanniana prodierunt in lucem.

Noribergæ, ſumtibus hæredum Homanniorum, 1741, 8.

Plag. 6.

Edidit nuper Cl. *Schatzius* Elementa Geographiæ politicæ, quibus hæc recenſio ut adjungeretur, curarunt hæredes *Homanniani*, ad ſtudia geographica amplificanda nati. Ipſi in id incumbunt, ut chartas plane novas geographicas edant, quales ſunt eæ, quæ a *Jo. Matthia Haſio* productæ fue-

runt. Ipſi Meridianum primum ab Inſula Ferro deducunt,
Pag. 9. Pariſienſi Meridiano 20 gradibus occidentaliorem, huncque morem perpetuo ſervabunt. Atlas aſtronomicus, a *Jo. Gabr.*
20. *Doppelmaiero* 30 Tabulis exhibitus, præconiis publicis eſt digniſſimus. Syſtemata aſtronomica diverſa ipſi hæredes, variis Mappis, eleganter delineatis, inſignia, æri incidenda curarunt. Planetarum & Cometarum optimas delineationes iidem protule-
35. runt. Tabulæ, quæ Aſtronomiam comparativam exhibent, ſingulari elaboratæ fuerunt artificio. Inter geographicas excellit Tabula *Jo. Matth. Haſii* de Africa, obſervationibus recentiorum ſuperſtructa, ejusdem Tabula de imperio Chinenſi, Anonymi de Comitatu Pappenheim, *Zollmanni* de urbe Me-
55. tis, Prof. *Pentheri* de Comitatu Stollbergico, *Jo. Matth. Haſii* de Moſcovia, ejusdem Tabula una & altera de regno Iſraelis ſub *Davide* ac *Salomone*, *Waltheri* de Berolino, Ano-
61. nymi de Comitatu Giech, *Jo. Chriſtoph. Harenbergii* de Græcia
67. antiqua, regionibusque confinibus, &c. Addiderunt Editores recenſiones Atlantum ſuorum geographicorum, libros geographicos ac aſtronomicos, ab ipſis editos, ac ſpectabilia monumenta alia, ab ipſis æri inciſa. Promittunt iidem, ſeſe in poſterum quotannis edituros eſſe novitates geographicas, ubi-
96. cunque in lucem protractas. Quod inſtitutum non poſſumus non publica proſequi approbatione.

DE PRINCIPIIS IN EXAMINANDA ET DEfinienda Religionis eſſentia ex mente nuperi Scriptoris Galli adhibendis, amica Diſputatio, Autore JO. JAC. BREITINGERO, Prof. Publ. Tiguri Helvetiorum.

Tiguri, literis & ſumtibus Conradi Orellii & ſociorum, 1741, 8.

Plag. 9.

Laudibus noſtris, eisque meritiſſimis, dudum excepimus Cel. Autoris labores. Scriptoris Galli, qui myſteria a religione Chriſtiana abſtrahere, & fidem in probitatem convertere, Deum vero non niſi ſibi ſufficientem venerari, contendit, librum,

brum, *de Essentia Religionis* inscriptum, anno superiori notavimus, veritatis amore adducti. Idem jam saxum volvit Cel. *Breitingerus* opusculo præsenti, quod distribuit in Introductionem ac *Partes duas*. *Parte posteriori* differit de Principio in religionis examine adhibendo, ac de principio entis sibi sufficientis generalem expromit observationem. *Parte posteriori* exponit hæc adstrictius ac specialiori ratione. In Introductione monstrat, religionis Christianæ simplicitatem culpa & artibus hominum sensim depravatam esse turpiter, hoc ipsi religioni fraudi fuisse versum, laude dignam esse eorum industriam, qui religionem Christianam, ab hominum commentis purgatam, simplicitati reddere studuerint, idem consilium Autori Anonymo Gallo (*Morlando*) fuisse obversatum, destinationem vero infeliciter cessisse. Patet facile ex tractatione, pugnam hanc esse incruentam, & Cel. Virum, non animo vincendi, sed uno Pag. 17.
veritatis cognoscendæ studio, motum, causam hanc suscepisse. Monet primo, in hac rerum caligine nobis integrum haud esse, evidenter demonstrare, utrum caput religionis quoddam, idque divinitus patefactum, cum natura Dei hominisque consentiat, an 21.
utriusque naturæ sit adversum, siquidem cognitio nostra de utriusque essentia sit non satis luculenta & explorata, & articuli dentur puri, quorum consensio cum veritatibus natura cognitis est obscura ac difficilis determinatu. Distinguendum est omnino inter ea, quæ comprehendimus adæquate, ac inter illa, quorum natura captum superat nostrum, ac ex parte duntaxat a nobis attingi potest. Propositionibus videtur nonnunquam contradictio inesse, at imaginaria. Deus quidem in 24.
exercitio perfectionum suarum ad commoda sua haud respicit, 26.
agit tamen ea, quæ complexu perfectionum & beatitudine, id est, gloria sua, sunt digna, eamque decent. Fundamentum religionis non est vis judicii ac discernendi humana, sed ad illud varia capita confluunt. Nec religio unice versatur in eis, quæ sunt evidentia & perspicua rationi humanæ, siquidem alioqui vera Dei revelatio haud esset exstitura, & mysteria nec re- 32.
velari, nec assensu excipi, possent, nec fides ab evidentia discreparet. Inde porro ostendit Autor, doctrinam religiosam

divinitus patefieri potuiſſe, eam vero ex lumine rationis &
Pag. 36. evidentia rei haud profluere. Multa certe tibi ſunt evidentia, quæ aliis ſunt obſcura. Negat deinde idem, myſteria revelari
43. haud poſſe, ac ſæpius, Antagoniſtam id paſſim infringere, quod alibi aſſenſu corroboraverit, monet. Et quis ex unico independentiæ attributo Dei religionisque propria univerſe & ſigillatim præter illum exſculpere ſtudebit? Notionem de my-
46. ſteriis meliorem Autor affert ea, quam Cl. *Morlandus* ſecutus fuit. Habent, inquit Noſter, myſteria aliquid, quod clare cognoſcitur, nempe τὸ ὅτι, utut τὸ διότι tenebris immerſum lateat. *Morlandus* cum fidem cum ſcientia confuderit; Noſter fidei Chriſtianæ indolem curate exponit, eamque a ſcientia di-
55. gnoſcit. Objectum fidei a fundamento ejus plane diſtinguit. Ediſſerit deinde argumenta, quæ pro divina revelati luminis
63. origine ſunt afferenda. Argumentum a miraculis deſumtum merito vindicat, contendens, ea omnino a præſtigiis ſatanæ ſecerni poſſe. *Parte poſteriori* principium illud de ente ſibi ſufficiente excellenter & diſtincte enucleat, & ratiocinationes vitioſas, inde deductas, ſolide refellit.

PROPORTIO HARMONICA IN RATIOCINIO, ab H. M. detecta.

I. Quomodo Syllogiſmus regularis ſimplex, qui ſignum ratiociniorum mentis humanæ eſt commodiſſimum, & ad quem reducuntur ſpecies reliquæ Syllogiſmorum omnes, in genuinum convertatur veritatis in quocunque ſcibili inveniendæ inſtrumentum, diſtincte oſtenditur in his *Actis A. 1728 Menſe Octobri pag. 468 ſeq.* Jam proportionem harmonicam, in Syllogiſmo regulari ſimplici detectam atque demonſtratam, communicare cum publico juvat.

II. Cum figuræ poſſibiles Syllogiſmi regularis ſimplicis ſint quatuor, *per principia logica*; unitas autem primitiva, quater repetita, ſit numerus integer rationalis, inter numeros compoſitos pariter pares in ordine primus, prout a me demonſtratum eſt in *Theoria Arithmetices nova*, adhuc inedita, & quaternarius primitivus ſimul in proportione harmonica numerorum

merorum 6, 4, 3, ſit numerus ſecundus; erit numerus figurarum poſſibilium Syllogiſmi regularis ſimplicis numerus integer rationalis, inter numeros compoſitos pariter pares in ordine primus, & in proportione quadam harmonica ſecundus.

III. Cum modi, in figuris poſſibilibus utiles, non ſint niſi 11, *per principia logica;* & vero hic numerus ſit numerus integer rationalis, qui eſt unitas derivativa primi gradus, compoſita cum unitate primitiva, & inter numeros impares incompoſitos in ordine quartus, per demonſtrata in *Theoria Arithmetices nova*, qui ſimul eſt numerus ſecundus in proportione harmonica trium numerorum $16\frac{1}{2}$, 11, $8\frac{1}{4}$; erit numerus modorum, in quatuor figuris Syllogiſmorum regularium ſimplicium utilium, numerus integer rationalis, inter numeros impares incompoſitos in ordine quartus, et pariter in proportione quadam trium numerorum harmonica ſecundus.

IV. Cum etiam ex modis undecim utilibus non niſi 23 formalem agnoſcant conſequentiam in omnibus quatuor figuris Syllogiſmi regularis ſimplicis, *per principalia logica;* & vero numerus integer rationalis, qui eſt in genere numerus derivativus primi gradus, compoſitus cum numero primitivo, in ſpecie binarius derivativus primi gradus, compoſitus cum ternario primitivo, inter numeros impares incompoſitos in ordine octavus, *per demonſtrata in Theoria Arithmetices nova*, & ſimul eſt numerus in proportione trium numerorum harmonica $34\frac{1}{2}$, 23, $17\frac{1}{4}$ ſecundus; erit numerus modorum, in omnibus quatuor figuris utilium, numerus integer rationalis, inter numeros impares incompoſitos in ordine octavus, & in proportione quadam trium numerorum harmonica ſecundus. Numerus igitur tam modorum undecim in genere, quam modorum, ex undecim illis in figuris poſſibilibus omnibus utilium, 23, in ſpecie, ſunt numeri impares incompoſiti, ſive primi, adeoque numeri a ſe ipſis, indigenarum inſtar, quos ἀυτόχθωνας dixerunt Attici, geniti, & in proportione quadam harmonica ſecundi.

V. Si *formale termini ſyllogiſtici* dicatur omne id, quo terminus antecedens differt a proxime ſequenti; differentia termini minoris a medio erit *formale termini minoris*, & diffe-

rentia termini medii a majore erit *formale termini medii.* Utrumque invenitur abſtrahendo terminum proxime ſequentem a termino proxime antecedente. His præmiſſis, demonſtratur: *in undecim modis figurarum non poſſibilium Syllogiſmi regularis ſimplicis utilibus terminorum in ſingulis figuræ, in quibus modus aliquis formalem obtinet conſequentiam, eſſe ad terminum majorem, ut formale minoris termini ad formale termini medii.* Sunto Syllogiſmi regulares ſimplices in modis figuræ primæ AAA, & AAI. In his igitur modis vel 1) definitum, mediante definitione, *quæ de re ipſa*, cui competit, *univerſaliter* eſt *affirmata* in propoſitione *minore*, poſtquam *illud de definitione* ipſa *univerſaliter* eſt *affirmatum* in propoſitione *majore*, *de re* etiam, cui competit definitio, *univerſaliter*, adeoque & *particulariter*, *affirmatum* in *concluſione;* vel 2) attributum ſpeciei, mediante ſpecie, *quæ de individuis* omnibus *univerſaliter* eſt *affirmata* in propoſitione *minore*, poſtquam *illud de ſpecie* ipſa *univerſaliter* eſt *affirmatum* in propoſitione *majore*, *de individuis* etiam *univerſaliter*, adeoque & *particulariter*, *affirmatur* in *concluſione;* vel 3) attributum generis, mediante genere, *quod de ſpeciebus* omnibus *univerſaliter* eſt *affirmatum* in propoſitione *minore*, poſtquam *illud de genere* ipſo *univerſaliter* eſt *affirmatum*, in propoſitione *majore*, *de ſpeciebus* etiam *univerſaliter*, adeoque & *particulariter*, *affirmatur* in *concluſione.* Jam vero res, cui competit definitio, continet definitionem, individua continent ſpeciem, ſpecies continent genus, ita ut ex notis rei eliciatur definitio rei, ex notione individui eliciatur ſpecies, & ex notione ſpeciei eliciatur ejusdem attributum. Quamobrem abſtrahi etiam poſſunt definitio a re, cui illa competit, ſpecies ab individuis, genus a ſpeciebus, & abſtrahi etiam poſſunt a definitione definitum, quæ illud in ſe continet, attributum ſpeciei ab ipſa ſpecie, quæ attributum ſuum continet, & attributum generis a genere, quod continet attributum ſuum. Unde manifeſtum eſt, in affirmatione univerſali, adeoque & particulari, vel 1) definiti de re, cui illa competit, vel 2) ſpeciei de individuis, vel 3) generis de ſpeciebus in concluſione, eſſe 1) rem ipſam ad definitum, ut formale rei ad formale

male definitionis, 2) individuum ad attributum ſpeciei, ut formale individui ad formale ſpeciei, 3) ſpeciem ad attributum generis, ut formale ſpeciei ad formale generis. Quare, ſi fiat terminus minor $=m$, terminus major $=M$, terminus medius $=x$: *erit in modis AAA, & AAI, figuræ primæ terminus minor ad terminum majorem, ut formale minoris ad formale medii.* ($m : M :: m-x : x-M$.) Ratio autem ſufficiens affirmationis univerſalis, adeoque & particularis, termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio univerſalis termini medii de termino minore in propoſitione minore, conjuncta cum affirmatione pariter univerſali termini majoris de termino medio in propoſitione majore.

VI. Sunto Syllogiſmi regulares ſimplices in modis figuræ primæ AEE & AEO. Cum in hiſce modis attributum aliquod, mediante alio rei attributo, *quod de re*, in cujus notione continetur, *univerſaliter affirmatum* eſt, in propoſitione *minore*, poſtquam *illud de attributo* rei, in cujus notione ejusdem repugnantia continetur, *univerſaliter* eſt *negatum* in propoſitione *majore*, *de re* etiam *univerſaliter*, adeoque & *particulariter*, *negetur* in *concluſione*; res attributum ſuum in ſe continet, & attributum hoc continet repugnantiam alterius attributi, et repugnantia attributi alterius, in notione attributi rei contenta, abſtrahi poteſt ab attributo rei. Unde manifeſtum eſt, in negatione univerſali, adeoque & particulari, attributi poſterioris de re ipſa in concluſione, eſſe rem ipſam ad oppoſitum attributi poſterioris, ut formale rei ad formale attributi rei. Ergo *in modis AEE, & AEO, primæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (m: non $M :: m-x : x-$ non M.) Ratio autem ſufficiens negationis univerſalis, adeoque & particularis, termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio univerſalis termini medii de termino minore in propoſitione minore, conjuncta cum negatione univerſali termini majoris de termino medio in propoſitione majore.

VII. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ primæ IAI. Cum in hoc modo attributum aliquod, mediante

modo

modo quodam, *rei* variabiliter tantum competente, adeoque *de eadem* non niſi *particulariter* in propoſitione *minore affirmato*, *de modo* ipſo, *univerſaliter affirmatum* in propoſitione *majore*, *de re*, cui variabiliter competit modus, *particulariter affirmatur* in *concluſione;* res modum ſuum in ſe continet, & modus attributum ſuum pariter in ſe continet, & proinde modus a re, & attributum modi a modo ipſo, abſtrahi poſſunt. Unde manifeſtum eſt, in affirmatione etiam particulari attributi alicujus modi de re, cui variabiliter competit modus, in concluſione, eſſe rem ipſam ad attributum modi, ut formale rei ad formale modi. Ergo *in modo IAI primæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* ($m : M :: m - x : x - M$.) Ratio autem ſufficiens affirmationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio tantum particularis termini medii de termino minore in propoſitione minore, conjuncta cum affirmatione univerſali termini majoris de termino medio in propoſitione majore.

VIII. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ primæ IEO. Cum in modo IEO, primæ attributum aliquod, mediante modo rei variabili, *qui de re particulariter* tantum eſt *affirmatus* in propoſitione *minore*, *quod* ob repugnantiam cum modo, in notione modi contentam, de modo ipſo *univerſaliter negandum* fuit in propoſitione *majore*, *de re*, cui variabiliter competit modus, *particulariter negetur* in *concluſione;* eodem, quo factum id eſt in antecedentibus, modo demonſtratur, in negatione etiam particulari attributi, modo repugnantis, de re, cui variabiliter competit modus, in concluſione, eſſe rem ipſam ad oppoſitum attributi modi, ut formale rei ad formale modi. Ergo *in modo IEO, primæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (m : non $M :: m - x : x$ - non M.) Ratio autem ſufficiens negationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione, eſt affirmatio tantum particularis termini medii de termino minore in propoſitione minore

note, conjuncta cum negatione universali termini majoris de termino medio in propositione majore.

IX. Sunto Syllogismi regulares simplices in modis figuræ secundæ AEE & AEO. Cum in hisce modis attributum aliquod, mediante alio attributo rei, *quod de re*, in cujus notione continetur, *universaliter affirmatum* est in propositione *minore*, postquam *de eodem*, cujus quippe oppositum in notione attributi rei continetur, *attributum rei universaliter* est *negatum* in propositione *majore*, *de re* etiam *universaliter*, adeoque & *particulariter*, *negetur* in *conclusione*: eodem modo demonstratur, in negatione universali, adeoque & particulari, attributi posterioris de re ipsa in conclusione: esse rem ipsam ad oppositum attributi posterioris, ut formale rei ad formale attributi rei. Ergo *in modis AEE & AEO, secundæ figuræ terminus minor est ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (m: non M:: $m-x$: x - non M.) Ratio autem sufficiens negationis universalis, adeoque & particularis, termini majoris de termino minore in conclusione est affirmatio universalis termini medii de termino minore in propositione minore, conjuncta cum negatione pariter universali termini medii de termino majore in propositione majore.

X. Esto Syllogismus regularis simplex in modo figuræ secundæ IEO. Cur in modo IEO, secundæ, attributum aliquod, mediante eo, *quod* instar *modi* rei alicui competit, & per consequens *de re particulariter* saltem *affirmari* potuit in propositione *minore*, postquam *de eodem* attributo, cujus oppositum continetur in eo, quod rei saltem instar modi competit, *hoc ipsum modi analogum universaliter* est *negatum* in propositione *majore*, de re ipsa, cui variabiliter competit modi analogum, *particulariter negetur* in *conclusione*: eodem modo demonstratur, in negatione etiam particulari attributi, analogo modi rei repugnantis, de re ipsa, cui variabiliter competit illud modi analogum, in conclusione esse rem ipsam ad attributi, analogo modi rei repugnantis, oppositum, ut formale rei ad formale modi. Ergo *in modo IEO secundæ figuræ terminus minor est ad terminum majorem, ut formale termini minoris, ad for-*

male termini medii. (*m*: non *M*::*m*-*x*:*x*-non *M*.) Ratio autem ſufficiens negationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio tantum particularis termini medii de termino minore in propoſitione minore, conjuncta cum negatione univerſali ejusdem medii de termino majore in propoſitione majore.

XI. Sunto Syllogiſmi regulares ſimplices in modis figuræ ſecundæ EAE, & EAO. Cum in hiſce modis attributum aliquod, mediante alio attributo, *quod de re*, in cujus notione non continetur, *univerſaliter* eſt *negatum* in propoſitione *minore*, poſtquam *de eo*, *attributum* rei, in notione ejusdem contentum, *univerſaliter* eſt *affirmatum* in propoſitione *majore*, *de re* etiam *univerſaliter*, adeoque & *particulariter*, *negetur* in concluſione: eodem modo demonſtratur, in negatione univerſali, adeoque & particulari, attributi poſterioris de re ipſa in concluſione: eſſe rem ipſam ad attributum poſterius, ut formale rei ad formale oppoſiti attributi prioris. Ergo *in modis EAE, & EAO, ſecundæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (*m*: non *M*::*m*-*x*:*x*-non *M*.) Ratio autem ſufficiens negationis univerſalis, adeoque & particularis, termini majoris de termino minore, in concluſione eſt negatio univerſalis termini medii de termino minore in propoſitione minore, conjuncta cum affirmatione univerſali ejusdem medii de termino etiam majore in propoſitione majore.

XII. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ ſecundæ OAO. Cum in modo OAO, ſecundæ, mediante repugnantia alicujus modi, in notione rei non contenti, ſed contingenter eidem competentis, *qui de re particulariter* tantum *negari* potuit in propoſitione *minore*, aliud quid, in notione modi præcedentis contentum, & *de quo* per conſequens ipſe rei *modus univerſaliter affirmandus* fuit in propoſitione *majore*, *de re* etiam, in cujus notione repugnantia modi non continetur, *particulariter* tantum *negetur* in *concluſione*: eodem modo demonſtratur, in negatione etiam particulari ejus, quod in notione modi continetur, de re ipſa in concluſione: eſſe

esse rem ipsam ad id, quod in notione modi continetur, ut formale rei ad formale oppositi modi. Ergo *in modo OAO, secundæ figuræ terminus minor est ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (*m*: non *M*:: *m*-*x*: *x*-non *M*.) Ratio autem sufficiens negationis particularis termini majoris de termino minore in conclusione est negatio tantum particularis termini medii de termino minore in propositione minore, conjuncta cum affirmatione universali ejusdem termini medii de termino majore in propositione majore.

XIII. Esto Syllogismus regularis simplex in modo figuræ AAI. Cum in modo AAI, tertiæ, mediante specie (individuo), *de qua* (*quo*) genus (species) *universaliter affirmatur* in propositione *minore*, attributum speciei (individui), in notione illius contentum, *quod de specie* (individuo) *universaliter affirmatur* in propositione *majore de genere*, non unam sed omnes species continente, (specie, non unum, sed omnia individua, continente,) *particulariter* tantum *affirmari* possit in conclusione: in eodem modo demonstratur, affirmatione particulari generis de specie (speciei de individuo) in conclusione: esse genus ad attributum speciei, sub genere contentæ, (speciem ad attributum individui, sub specie contenti,) ut formale generis (speciei) ad formale attributi speciei (individui). Ergo *in modo AAI tertiæ figuræ terminus minor est ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (*m*: *M*:: *m*-*x*: *x*-*M*.) Ratio autem sufficiens affirmationis particularis termini majoris de termino minore in conclusione est affirmatio universalis termini minoris de termino medio angustiore in propositione minore, conjuncta cum affirmatione universali termini majoris de eodem termino medio in propositione majore.

XIV. Esto Syllogismus regularis simplex in modo figuræ tertiæ AII. Cum in modo AII, tertiæ, mediante attributo quodam rei proprio, *de quo res* ipsa *universaliter affirmari* potuit in propositione *minore*, modus attributi rei, *qui de attributo*, in cujus notione non continetur, *particulariter* tan-

tum *affirmari* potuit in propoſitione *majore*, *de re* ipſa *particulariter affirmetur* in *concluſione*: eodem modo demonſtratur, in affirmatione particulari modi de re ipſa in concluſione: eſſe rem ipſam ad modum attributi rei, ut formale modi rei. Ergo *in modo AII, tertiæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* ($m : M :: m - x : x - M$.) Ratio autem ſufficiens affirmationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio univerſalis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum affirmatione particulari termini majoris de eodem termino medio in propoſitione majore.

XV. Eſto Syllogismus regularis ſimplex in modo figuræ tertiæ AEO. Cum in modo AEO, tertiæ, mediante attributo quodam rei proprio, *de quo res* ipſa *univerſaliter affirmata* eſt in propoſitione *minore*, attributum, notioni attributi prioris repugnans, *quod de attributo* rei *univerſaliter negatum* eſt in propoſitione majore, *de re ipſa particulariter negetur* in *concluſione*: eodem modo demonſtratur, in negatione particulari attributi, attributo rei abſolute repugnantes de re ipſa in concluſione: eſſe rem ipſam attributum, quod attributo rei abſolute repugnat, ut formale attributi rei. Ergo *in modo AEO, tertiæ figuræ* terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii. (m: non $M :: m - x : x$ - non M.) Ratio autem ſufficiens negationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio univerſalis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum negatione univerſali termini majoris de eodem termino medio in propoſitione majore.

XVI. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ tertiæ AOO. Cum in modo AOO, tertiæ, mediante attributo quodam rei, attributo ſuo latioris, *de quo res* ipſa *univerſaliter* eſt *affirmata* in propoſitione *minore*, modus, attributo rei contingenter repugnans, *qui de attributo* hoc rei *particulariter* eſt *negatus* in propoſitione *majore*, *de re* attributo ſuo latiore, *particulariter negetur* in *concluſione*: eodem modo demon-

monſtratur, in negatione particulari modi, attributo rei contingenter repugnantis, de re ipſa in concluſione: eſſe rem ipſam ad modum, attributo rei latioris contingenter repugnantem, ut formale rei ad formale attributi rei. Ergo *in modo AOO, tertiæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (m: non M:: $m-x$: x- non M.) Ratio autem ſufficiens negationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio univerſalis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum negatione particulari termini majoris de eodem termino medio in propoſitione majore.

XVII. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ tertiæ IAI. Cum in modo IAI, tertiæ, mediante modo quodam rei, *de quo res* ipſa *particulariter* tantum *affirmari* potuit in propoſitione *minore*, attributum modi, *quod de modo* ipſo *univerſaliter affirmatum* eſt in propoſitione *majore*, de re ipſa *particulariter* tantum *affirmetur* in *concluſione:* eodem modo demonſtratur, in affirmatione particulari attributi modi de re ipſa in concluſione: eſſe rem ipſam ad attributum modi, ut formale rei ad formale attributi modi. Ergo *in modo IAI, tertiæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (m: M:: $m-x$: $x-M$.) Ratio autem ſufficiens affirmationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione, eſt affirmatio particularis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum affirmatione univerſali termini majoris de eodem termino medio in propoſitione majore.

XVIII. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ tertiæ IEO. Cum in modo IEO, tertiæ, mediante eo, quod inſtar modi rei ineſt, *de quo res* ipſa *particulariter* tantum *affirmari* potuit in propoſitione *minore*, attributum, notioni ejus, quod inſtar modi rei ineſt, repugnans, *quod de eodem, quod* inſtar *modi* rei ineſt, *univerſaliter negandum* fuit in propoſitione *majore, de re ipſa particulariter negetur* in *concluſione:* eodem modo demonſtratur, in negatione particulari attri-

buti, modi analogo abſolute repugnantis, de re ipſa in concluſione: eſſe rem ipſam ad attributum, notioni ejus, quod inſtar modi rei ineſt, repugnans, ut formale rei ad formale ejus, quod inſtar modi rei ineſt. Ergo *in modo IEO, tertiæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (m: non M:: $m-x$: $x-$ non M.) Ratio autem ſufficiens negationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio particularis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum negatione univerſali termini majoris de eodem termino medio in propoſitione majore.

XIX. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ quartæ AII .Cum in modo AII, quartæ, mediante ſpecie quadam, *de qua res* alia, ſpecie illa latior, *univerſaliter affirmata* eſt in propoſitione *minore*, genus, *de quo ſpecies particulariter* tantum *affirmari* potuit in propoſitione *majore*, *particulariter* etiam *de re* ipſa latiore *affirmetur* in *concluſione*: eodem modo demonſtratur, in affirmatione particulari generis de re, ſpecie quadam latiore in concluſione: eſſe rem ipſam, ſpecie latiorem, ad genus ſpeciei, ut formale rei, ſpecie latioris, ad formale ſpeciei. Ergo *in modo AII, quartæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris, ad formale termini medii.* (m: M:: $m-x$: $x-M$.) Ratio autem ſufficiens affirmationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio univerſalis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum affirmatione particulari termini medii de termino majore in propoſitione majore.

XX. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ quartæ AEO. Cum in modo AEO, quartæ, mediante ſpecie quadam, *de qua res* alia, ſpecie illa latior, *univerſaliter affirmata* eſt in propoſitione *minore*, id, quod ſpeciei abſolute repugnat, *de quo ſpecies univerſaliter negatur* in propoſitione *majore*, *de re* ipſa etiam *particulariter negetur* in *concluſione:* eodem modo demonſtratur: in negatione particulari ejus, quod ſpeciei abſolute repugnat, de re ipſa, ſpecie latiore,

in

in concluſione: eſſe rem ipſam, ſpecie latiorem, ad id, quod ſpeciei abſolute repugnat, ut formale rei, ſpecie latiori, ad formale ſpeciei. Ergo *in modo AEO, quartæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minus ad formale termini medii.* (*m*: non *M*:: *m*-*x*:*x*- non *M*.) Ratio autem ſufficiens negationis particularis termini majoris de termino in concluſione eſt affirmatio univerſalis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum negatione univerſali termini medii de termino majore in propoſitione majore.

XXI. Eſto Syllogiſmus regularis ſimplex in modo figuræ quartæ IEO. Cum in modo IEO, quartæ, mediante modo quodam rei, re ipſa anguſtiore, *de quo res* latior *particulariter affirmari* ſaltem potuit in propoſitione *minore*, id, quod modo huic, re ipſa anguſtiori, abſolute repugnat, *de quo* modus ipſe *univerſaliter negatus* eſt in propoſitione *majore*, *de re* ipſa etiam *particulariter negetur* in concluſione: eodem modo demonſtratur, in negatione particulari ejus, quod modo, re ipſa anguſtiori, abſolute repugnat, de re ipſa, quæ modo latior eſt, in concluſione: eſſe rem ipſam, modo ſuo latiorem, ad id, quod modo huic abſolute repugnat, ut formale rei, modo ſuo latioris, ad formale modi. Ergo *in modo IEO, quartæ figuræ terminus minor eſt ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (*m*: non *M*:: *m*-*x*:*x*- non *M*.) Ratio autem ſufficiens negationis particularis termini majoris de termino minore in concluſione eſt affirmatio particularis termini minoris de termino medio in propoſitione minore, conjuncta cum negatione univerſali termini medii de termino majore in propoſitione majore.

XXII. Sunto denique Syllogiſmi regulares ſimplices in modis figuræ quartæ EAE, & EAO. Cum in hiſce modis, mediante definitione, *de qua res* ipſa *univerſaliter* eſt *negata* in propoſitione *minore*, definitum, *de quo* definitio *univerſaliter* eſt *affirmata* in propoſitione *majore*, *de re* ipſa etiam *univerſaliter*, adeoque & *particulariter*, *negetur in concluſione*: eodem, quo id factum eſt in antecedentibus, modo demonſtratur, in nega-

negatione universali, adeoque particulari, definiti de re ipsa in conclusione: esse rem ipsam ad definitum, ut formale rei ad formale definitionis. Ergo *in modis EAE, & EAO, quartæ figuræ terminus minor est ad terminum majorem, ut formale termini minoris ad formale termini medii.* (m: non M:: $m-x$: $x-M$.) Ratio autem sufficiens negationis universalis, adeoque & particularis, termini majoris de termino minore, in conclusione est negatio universalis termini minoris de termino medio in propositione minore, conjuncta cum affirmatione universali termini medii de termino majore in propositione majore.

XXIII. Ex demonstratis hactenus conficitur, in omni Syllogismo regulari simplici formaliter bono extrema in conclusione esse, ut formale termini minoris ad formale termini medii. Quare *per definitionem proportionis harmonicæ* in omni Syllogismo regulari simplici formaliter bono *tres termini harmonice sunt proportionales*, consequenter terminus minor $= 6$, terminus medius $= 4$, terminus major $= 3$.

XXIV. In omni Syllogismo regulari simplici formaliter bono terminus minor est ad terminum majorem, ut 2 ad 1, *per §. præced.*

XXV. Extrema igitur perfecte consonant in conclusione, medium vero conclusionem ingredi nequit.

XXVI. Tres termini syllogistici harmonice proportionales respondent longitudinibus trium chordarum ejusdem crassitiei & tensionis, harmonice proportionalibus, & medium, in conclusionem ingrediens, respondet dissonantiæ toni primi & secundi in iisdem chordis.

XXVII. Si qualitas & quantitas propositionis dicantur *Potentia propositionis:* erit potentia propositionis affirmantis universalis *Potentia maxima;* potentia posterioris affirmantis particularis & propositionis negantis universalis *Potentia media;* illa *prima*, hæc *secunda;* potentia propositionis negantis particularis *Potentia minima.*

XXVIII. Potentia propositionum, tam maxima, quam minima, quæ maximæ contradictorie opponitur, modum agno-

agnoſcunt proprium; illa in figura prima, hæc in figuris ſecunda et tertia. Potentiæ autem mediæ, contradictorie pariter oppoſitæ, nullum in ulla figura agnoſcunt modum proprium.

XXIX. Qualitas in illatione fortior eſt quantitate, conſequenter negatio univerſalis debilior eſt affirmatione particulari. *Propoſitio minor fortior eſt propoſitione majore.* Ex minoris enim potentia maxima per majoris potentiam minimam infertur concluſio potentiæ minimæ, *per §. XII.* Ex minore autem propoſitione debiliore per majorem propoſitionem, licet fortiorem, in nulla figura infertur concluſio maxime debilis. Sed ex minore propoſitione fortiore, per majorem etiam debiliorem concluſio maxime debilis infertur in omnibus quatuor figuris, *per §. VIII, X, XVIII, & XXI.* Atque hæc propoſitionem minorem in antecedentibus propoſitioni majori præmittendi ratio fuit.

XXX. Sed quo in ratiocinia ſua defixa mens dilabitur? Sufficiant hæc de harmonica in ratiociniis humanæ mentis proportione obſervata. Utrum Philoſophis illis, qui apud *Platonem* in *Phædone* animæ humanæ eſſentiam in harmonia poſuerunt, proportio in ratiociniis humanæ mentis harmonica, demonſtrata hactenus, cognita fuerit atque perſpecta, determinandum jam relinquitur aliis, qui plura primis hiſce a me ductis lineis cum Deo atque die adjicient, ſi feriaturæ non ſunt a ratiocinando cœleſtes mortalium animæ.

RUD. AUG. NOLTENII, JCTI, DIATRIBE JURIS patrii, de Juribus & Conſuetudinibus circa Villicos, vulgo vom Meyer-Recht und Gewohnheiten, *ex genuinis Juris ac Hiſtoriæ fontibus eruta, & legibus provincialibus, reſcriptis divorum Principum, et ſententiis judicialibus, corroborata. Accedunt propter affinitatem argumenti emendationes & ſupplementa Diſſertationis* von Sattelfreyen- Meyerdings- Probſtings- und Laet-Gütern, *nec non privilegia & protocolla* von den Freyen- und Vogtdings-Gütern.

Brunſuigæ, ſumtibus Rengerianis, 1738, 4.
Alph. 1 plag. 2.

Controverſias, quæ de juribus villicorum, ſeu Meierorum, agitantur, eſſe & frequentiſſimas, & tricis pleniſſimas, nemo unus ambigit. Fruſtra Jure Romano in eis diſceptandis utimur. Contractibus ac conſuetudinibus gentis Germanicæ omnia hic ſunt dimetienda. Et, cum Principatuum conſuetudines ſequantur ritus minorum dominiorum, e quibus Principatuum terræ coaluerunt, mirum ſane haud eſt, jus villicorum admodum hinc inde variare, & invicem differre. Poteſt tamen univerſum hoc argumentum ad pauca reduci principia, ſi ad diverſas contractuum Meiericorum origines, ad mores veterum Germanorum, & æquitatem naturalem, perpetuo reſpiciamus. Pag. 3. Antiquiſſimas villicationes, ſeu meierias, Autor eas putat, cum Principes, nobiles, cœnobia, aliique rerum domini, certam poſſeſſionum ſuarum partem tradiderunt excolendam, pacta ſibi rurſum annua penſione. Secundam ſpeciem villicationum peperit virtus bellica & fides, dominis in expeditionibus armatis praeſtita. Ita ſervi & mancipia aliquam ſæpius agro- 12 ſeq. rum partem obtinuerunt colendam ſub lege villicationis. Tertiam villicationum ſpeciem dura extorſit neceſſitas, quæ dominos impulit, ut fundos ſuos villicis colendos traderent, eo quod ipſi domini habitabant procul nimis, vel quod agri nonnulli valde ſteriles frugumque impatientes erant. Alii allodia ſua potentioribus ob tutelam ſuſcipiendam, vel eccleſiis & monaſteriis pro remedio animæ ſub lege meieriæ, obtulerunt. Aliis aliæ exſtiterunt villicationis conſtituendæ rationes. *Meier*, villicus, dicitur, judice *Wachtero*, a *Mær*, cuſtode, præpoſito, præfecto. Autor Cl. *Meyeros* exiſtimat appellatos ex *Major*. In Lege Salica ſervorum potiorum primus vocatur *Major*. In Capitulari *Caroli M. de villis ſuis* villici illi vocantur *Majores*, ac annumerantur *miniſterialibus*. Tres enim olim exſtiterunt Miniſterialium ordines, aulicus, bellicus, ac domeſticus. Ad tertium referebantur *majores*, *foreſtarii*, *poletrarii*, *cellularii*, *decani*, *telonarii*. Quam diſtinctionem cum omiſiſſet, vel potius impugnaſſet, Ill. *David Georgius Struben* in Obſ. II *de Miniſteria-*

Digitized by Google

ſterialium dignatione, tertiam miniſterialium ſpeciem agnovit tandem in *Parerg. Gotting. Tom. I Lib. II Diſſ. I de Officio litonico §. 2 pag. 3 ſeq. Adelhogus*, Epiſcopus, in Diplomate, A. 1183 Cal. Maji dato Hildeshemii, commemorat *homines* Comitum Daſſelienſium *proprios*, e quibus decem obſides ſint deligendi, *qui cum bonis ſuis in proprietatem Hildenſemenſis eccleſiæ ſub jure miniſterialium tranſituri ſint*. Peculiaris ordinatio villicalis nondum eſt promulgata in Principatu Brunſuico-Wolferbuttelano. Progreditur Autor ad decidendam eam quæſtionem: *cuinam ex liberis meieri poſſeſſio villicationis & hæreditas competat; an natu maximo, an minimo, an uni ex fratribus intermediis.* Conſuetudo autem vetuſtiſſima, & pæne per Principatum Brunſuico-Wolferbuttelanum univerſalis, ita fert, ut natu minimus ſuccedat patri. *Tacitus de M. G.. Cap. 25* id utique docet jam olim factitatum fuiſſe. *Infirmiſſimus quisque in familia* opponitur ibi *fortiſſimo ac bellicoſiſſimo.* Plerumque tamen, ex quo miles invaluit perpetuus, in arbitrio domini directi eſt ſitum, quo potiſſimum e fratribus colono uti velit. Illuſtrat id ipſum & uno & altero præjudicio. Succedit quæſtio, an villici ſint nudi conductores, an ipſi jure gaudeant coloniæ perpetuæ. Olim villici omnino a conductoribus haud multum differebant. Ut autem ſecuritati dominorum majori proſpiceretur, Principibusque certiores eſſent ſubditi, qui onera communia ferrent, bona villicationum & laſſitica in perpetuas abierunt colonias plerumque. Autor Cl. addit deinceps nonnulla ſupplementa judiciis meierdingicis, nec non de contractibus meiericis affert ſelectiſſima. Adjungit porro Conſtitutionem Ducum Sereniſſimorum, *Julii* A. 1579, *Auguſti* inde ab anno 1636 & 1660, 1661, *Rudolphi Auguſti* ab A. 1682, *Auguſti Wilhelmi* A. 1715, 1718, Cameræ Ducalis ab A. 1735, Conſiſtoriique A. 1691 & 1699. Licet tamen in terris Brunſuicenſibus villicationes dominis directis in caſu indigentiæ & neceſſitatis ſibi vindicare, juſto pretio pro ædificiis ac meliorationibus villicorum cuivis, ita villicatione in pœnam privato, pendi ſolito. Nihilo minus pro conſervando villico plerumque ſubducuntur rationes, niſi ipſe oneribus publicis ferendo, ac privatis

Pag. 20. 29. 35. 45. 48 ſeq. 71. 74.

vatis cenſibus exſolvendis, impar fuerit deprehenſus. Accedunt conſuetudines judiciorum nonnullorum meiericorum, Olsburgenſis, Hegerici, Haltenhuſenſis, Winceburgenſis, Peinenſibus, Siktenſibus, Giſenſibus, & Emmercenſibus, advocatorum propriis
Pag. 105. in Bettmar, &c. Quæ de dynaſtis Olsburgenſibus ex *Hoffmanno* & *Hamelmanno* afferri ſolent, ea, exceptis illis, quæ ex Chronico Stederburgenſi hauſta ſunt, fabulis annumerari debent. Ex
145. obſervatione de matrimoniis litonum diſcimus, *Beddemund* eſſe debitum exſolvendi certam pecuniæ ſummam pro jure lectum conſcendendi. De reliquo non poſſumus Cl. Autorem non exhortari, ut promiſſas cum cœtu eruditorum propediem communicet tractationes, quibus aget ex juris patrii promtua-
77. rio *de jure connubiorum*, *de pœnitentia eccleſiaſtica*, *de conſuetudinibus feudalibus*, *de juribus militum in Ducatu Brunſuicenſi*. Optamus ſimul merito, ut curis ſecundis differat quoque de judicio liberorum in *Nahnſen*, de hegermannico, in *Wenzen* celebrari ſolito, de judicio advocatiæ Gandershemenſis, de judicio liberorum iu Adenſteda Winceburgica, de tribus judiciis meierdingicis Abbatiſſæ Gandershemenſis, aliisque, per Principatum Wolferbuttelanum uſitatis.

DISSERTATIO AD ARTICULUM SYMBOLI, QUI agit de Seſſione Filii ad dextram Patris, Autore HENR. OTT. DUISINGIO. Accedit Diſſertatio epiſtolica ac gratulatoria ad eundem de Legibus Servii Tullii, quibus & Reges obtemperarent, ad illuſtrationem Taciti Ann. III, 26, Autore ÆMILIO LUDOVICO HOMBERGK ZU VACH.

Marburgi Cattorum, 1741, 4.

Plag. 16½.

Seſſio ad dextram tribuitur jam filio Dei *Pſ. CX, 1*, ringentibus licet, & ſtrophas obmolientibus, Judæis plerisque ac Socinianis. Judæorum argumenta minus dextra proſtravit *Auguſtinus de Civ. Dei XVII, 14*, nec non *Hoornbeckius*, *Marckius*, *Schudt*.

Digitized by Google

Schudt. Manus dextra priſco ævo apud homines habita fuit honoratior, ac ſiniſtra excellentior, nominatim apud Judæos, Ægyptios, Afros, Numidas, aliosque. Fidei ac religionis ea fuit ſymbolum apud Perſas, Græcos, aliasque nationes. Hinc dextrum latus aſſignatum fuit honoris prærogativæ *Matth. XXV, 31. Plato Lib. X de Rep. pag. 518* edit. Lugdun. A. 1590 haud abludit. Hæc poſtquam copioſius expoſuit Cl. Autor, progreditur ad priſca Pontificum ſigilla ac picturas antiquas, in quibus imago *Pauli* plerumque dextro, *Petri* contra ſiniſtro, loco ponitur. Ne enim videretur *Paulus* honoratiori in loco collocatus, in mentem venit *Antonio Nebriſſenſi* contendere, ita olim moris fuiſſe, ut ſedenti ad latus ſiniſtrum major honor fuerit delatus. Aſſectatores hæc opinio invenit *Baronium*, *Bellarminum*, *Caſſabutium*, *Pallacium*. Hiſce tamen contrarium tenet Pontificius ipſe *Lælius Biſciola*. Per *Dei dextram* in ſacro Codice deſignatur *robur & poteſtas* ejusdem. Fuere tamen, qui, per dextræ illius heiroglyphicon denotari, exiſtimarunt, ipſum Dei filium, ſimplicius, quam verius, opinati. *Seſſio* ſymbolum eſt manſionis & habitationis, ſtabilitatis ac conſtantiæ, quietis ac tranquillitatis, cum illa habitatione conjunctæ. Chriſtus cum dicitur *ſedere in throno*, vel *ad dextram patris*, exhibetur ipſe in modum Domini ac Regis, ſuos imperio coercentis, ac judicantis. Ii enim, qui judicia exercent, traduntur *ſedere Ex. XVIII, 13, Jo. XIX, 13, Act. VI, 15, XXIII, 3*, &c. Exiſtimat tandem Cl. Autor, ſeſſione Chriſti ad dextram Patris generatim ſignificari ſummam poteſtatem, ad quam Chriſtus homo, opere Mediatoris perfunctus, conſcenderit, ex ſententia Patris, tanquam judicis, ſuam poteſtatem conſecutus. Expoſitionem hanc debet Cl. Autor Viro Ven. *Jo. Chriſtiano Kirchmeyero*, quo Præſide antea hæc tractatio, forma licet contractiori, exierat in lucem. Nunc vero gradum proferimus ad verba *Taciti: Præcipuus Tullius ſanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent.* Alii per has *Tullii* Regis leges intelligunt leges contractuum, ab eo latas, alii putant, deſignari dimidium de regia poteſtate ab eo detractum, alii credunt, eas a *Tullio* ipſo obſervatas ſignificari. Quid in in hiſce

Pag. 7. 14. 21. 26. 32. 43. 49. 107. 3.

ſententiis ſibi videatur notandum, Amicus, gratulatione defungens, libere monuit. Ipſe putat, a *Tacito* id denotari,
Pag. 12. quod de *Tullio* Rege veteres memoriæ prodiderunt, ſcilicet ipſum, collatis oppidatim pecuniis in Aventino, eminentiſſimo urbis tumulo, templum ædificaſſe *Dianæ, legesque civitatibus præſcripſiſſe.* Suſpicatur enim, civitatibus illis Latinis præfediſſe Reges. Devictis certe Cruſtuminis, Latinorum populo, *Tarquinius Priſcus Aronta* præfecit, poteſtate ſumma uſurum. Nihilo minus ipſe agnoſcit, illis, qui Latinis civitatibus cum regia poteſtate præfuerunt, *Reges* dilucide & nominatim haud appellari, ſed nominibus *Principum* ac *Procerum*, *capitum*que *Latini nominis*, venire. Si quid nobis etiam in tenebris micare licet, ſenſum arbitramur verbis *Taciti* ſubeſſe perquam perſpicuum, dummodo ea ita capiantur, quemadmodum exhibentur. Quid enim contorti, vel violenti, ineſt huic paraphraſi: *Servius Tullius leges promulgavit, & hoc nomine Regibus reliquis Romanis excelluit. Leges enim, ab eo latæ, fuerunt juſtiſſimæ & æquiſſimæ, ideoque dignæ, quibus etiam Reges obtemperarent.* Noſtri dicerent: *Er hat ſolche Geſetze gegeben, welchen auch ſo gar Kœnige zu folgen ſich nicht entbrechen mœchten.* De reliquo gratulamur Viris Clariſſimis induſtriam ſuam eximie collocatam, eosque ad majora tentanda merito invitamus.

HISTORIAM DOCTRINÆ, RECENTIUS CONtroverſæ, de Mundo optimo exponit M. FRIDERICUS CHRISTIANUS BAUMEISTERUS, Auguſti Gymnaſii Gorlicenſis Rector.

Lipſiæ & Gorlicii, ſumtibus Richterianis, 1741, 4.

Plag. 9.

Mundum hunc eſſe optimum & perfectiſſimum, non materialiter, ſed formaliter, in ordine ad finem divinitus intentum, dudum Scholaſticæ Philoſophiæ doctores tradiderunt. Philoſophia *Wolfiana* ex quo cœpit caput efferre, ſignum crediderunt nonnulli ſublatum ad audaciam & protervitatem omnem ei oppo-

Digitized by Google

opponendam. Hinc variæ controverſiæ, & illa etiam de mundo optimo, erumpere cœperunt. Reſidet omnis diſſenſionum hic nervus in diverſo vocum ſignificatu. Mundum optimum alii de parte mundi, alii de integra omnium Seculorum compage, rerumque univerſarum creatarum omni congerie ac contextu, intellexere. Veritati profecto congruit, Deum ex omni æterni- Pag. 10.
tate non hunc modo mundum perfectiſſima intelligentia complexum fuiſſe, cauſasque rerum, prout una alteri eſt connexa, conſecutionesque ſingulas, perluſtraſſe, ſed innumeros quoque mundos poſſibiles ſibi diſtinctiſſime repræſentaſſe, & eum, qui ex omnibus poſſibilibus mundis conſilio ſapientiæque ſuæ eſſet accommodatiſſimus, accuratiſſime prænoſſe. Optimum vero id dicitur, quod ſapientiæ divinæ eſt conſentaneum, & fini, divinitus intento, convenientiſſimum. Vox capienda eſt metaphorice, non moraliter. Peccata in mundo præſenti haud ineſſe, nemo contendit. Ea autem in conſtituendis mundi partibus locum habere, & perfectionem ejus ingredi atque complere, nemo ſanus fatetur. Nec quisquam tam amens exiſtimandus eſt, ut ſibi perſuadeat, per mundum optimum recentiores intelligi velle
eum, in quo nihil ſit mali, nihil nævorum, quique omni careat 11.
macula, omni imperfectione. Ipſi enim nolunt mundi notionem materialiter intellectam. Optimum & pulcherrimum hunc eſſe mundum, jam agnovit *Plato* in *Timæo pag. 32, 478.* Ex *Pythagoræis* doctrinis *Platonem* hæc hauſiſſe, credidit perſonatus ille 15.
Almonius Utis in *Bibliotheca Brem. Cl. VIII Faſc. I pag. 47.* *Thales* quoque mundum dixit optimum, teſte *Diogene Laertio Cap. I ſegm. 28.* Mundum undique eſſe perfectum, Stoici ſciverunt quoque, teſte *Chryſippo* apud *Ciceronem de Natura Deorum II, 14.* Ipſi etiam *Auguſtinus, Dorſchæus, Joannes Arndius, Salo-* 16.
mo Glaſſius, Joannes Franciſcus Buddeus, aliique, ſuam mundo pulchritudinem perfectionemque vindicarunt. Dei enim eſt, optima eligere, tradente *Buddeo* in *Inſtit. Theologiæ dogmaticæ Lib. II Cap. 1 §. 28 pag. 237, 238.* *Lactantius de Opificio Dei Cap. 3: Neceſſe eſt, providentiſſima majeſtas id effecerit, quod erit melius & rectius.* Mirum ſane, inventos eſſe ætate noſtra homines, qui hoc inficiari haud erubuere, ex quo controverſia *de origine mali* fuit excitata, & a *Leibnitio* in *Theodicæa* opinio de mundo optimo

optimo appoſita lectoribus. Recenſet Cl. Autor controverſiam il-
Pag. 20. lam *Bælianam*, ac fata *Theodicææ Leibnitianæ*. Mundum optimum
39. iverunt everſum *Jo. Franc. Buddeus*, *Daniel Maichelius*, alii. La-
tet momentum omne in poteſtate vocis. Anti-*Leibnitiani* quam-
libet mundi partem & exiguum quoddam temporis intervallum
41. vocant mundum, & hunc materialiter capiunt. *Leibnitiani* contra
omnem rerum creatarum ſeriem, ſpatio & tempore connexam,
& ex parte æternum duraturam, reſpectu finis divinitus intenti
conſiderandam, intelligunt. Controverſia hæc conquieverat fe-
43. re, cum Ill. *Chriſtianus Wolfius* A. 1719 Metaphyſices elementa
in lucem emitteret. *Chriſtianus Eberhardus Weismannus* A. 1722
edita *de Providentia Dei contra malum* Commentatione theolo-
gica doctrinam de mundo optimo ivit deſtructum, ratus, cum
46. mundo optimo omnem divini Numinis corruere libertatem,
quaſi mundus, peſſime conſarcinatus, ſit adminiculum vindican-
dæ Deo libertatis. Cauſam *Leibnitii*, mundique optimi, ab eo
aſſerti, egit *Georgius Bernhardus Bulfingerus*, tum in Commen-
tatione *da Origine & permiſſione mali*, A. 1724 edita, tum in *Di-
lucidationibus*. *Almonius Utis* ad eundem collineavit ſcopum in
Biblioth. Brem. Cl. VIII Faſc. I, in *Commentatione de Deo, Mun-
do, Homine atque Fato*, A. 1726 Lipſiæ & Francofurti emiſſa, nec
non in *Muſeo Bremenſi Vol. I pag. 214 ſeq.* Vocandus is erat
Harenbergius, quem Cl. Autor appellavit *Harenbergerum*, laudi-
49. busque pæne obruit. Impugnavit ideam mundi optimi *Jo. Liborius
Zimmermannus* in Diſſ. A. 1725 Jenæ habita, *de exiſtentis mundi*
(materialiter accepti) *imperfectione*. Nonnihil quoque objecit
contra eandem Cel. *Jo. Georg. Walchius* in *Lexico philoſophico*,
53. A. 1726 excuſo. *Hanſchius* vero & *Cantzius* objectiones denuo
repulerunt, & *Jo. Chriſtophorus Ammon*, Præſide *Martino Haſſe-
nio*, Vitembergæ ideam mundi optimi optime A. 1734 defendit.
Diſtincte egit *Jo. Petrus Reuſchius* eodem anno, diſputante *Jaco-
bio*, & controverſiam recte definivit ac ſuſtulit. Ven. *Palmius* ac
Reinbeckius tandem denuo litem illam reſumſere. Quid Ven. *Læ-
ſcherus* & *Zeibichius* aliique monuerint, curate indicavit Vir Cla-
riſſimus, qui ſtili terſi elegantiam cum candore & modeſtia ubi-
que conjunxit, & controverſiam omnem ita expoſuit, ut amato-
res pacis facile poſſint quieſcere, & logomachiam, ſi velint,
denudare.

✲ ✲ ✲

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio VI.

HISTOIRE DE GENTCHISCAN ET DE TOUTE LA Dinaſtie des Mongous, ſes Succeſſeurs, conquerans de la Chine, &c.

id eſt,

HISTORIA GENTCHISCANI, AC OMNIS DYNAſtiæ Monguſiorum, ſucceſſorum ejus, qui Chinæ imperium ditioni ſuæ ſubjecerunt, deſumta ex Hiſtoria Chinenſi, ac in Gallicum converſa a R. P. GAUBIL, e Societate Ieſu, Pekinum doctrinæ Chriſtianæ cauſa ablegato.

Pariſiis, ſumtibus Briaſſoni ac Pigeti, 1739, 4 maj.

Alph. 1 plag. 17.

Anni pæne viginti effluxerunt, cum libri hujus in lucem prodiit compendium hiſtoricum, maximi omnino, idque merito ſuo, factum. Quanto igitur major erit voluptas, qua lectores opus ipſum ſuſcipient ac legent! Dignus utique eſt *Gentſchan*, famoſiſſimus ille Orientis victor, qui Europæis propius innoteſcat. Quantas enim clades intulerunt Orienti ſucceſſores ipſius, ipſa maxima belli fulmina! Expoſitioni huic hiſtoricæ id autoritatis tribuendum eſt, ut ipſa multis paraſangis poſt ſeſe reliquat Hiſtoriam *Gentchiſcani*, a *Petito de la Croix* olim conſcriptam. Rev. P. *Gaubil* id, quod Autori proprium eſt, in tranſlatione fideliter conſervavit. Id

vero universum, quod obscurusculum videbatur, annotationibus, infra adscriptis, reddidit illustre. Jam ad rem veniendum. Imperator *Hupilay* gentem suam a *Jesukai* exorsus fuit, me-
• Pag. 1. dium circiter Seculi XII illuminante. Quid mirum, si huic Commentario idem fons gentis generisque proprius est? Ii, quos alii vocant *Mogols*, hic *Mogous* appellantur. Flumen Amur Mongusii appellant *Onon*, Tzinenses *Oua-nan*. Ad eum in
11. lucem editus fuit *Temongen*, *Jesukai* filius, victoriis famosus, A. 1204 prælio felix, Scenitas multos ad sese traxit, A. 1209 *Tzinam* ingressus, suos fecit permultos, muro vicinos. *Eut-*
34. *chulio*, Naymannorum Regi, A. 1218 bellum intulit, ad fluvios usque Sihun & Gihun dominanti regionibus perquam va-
37. stis. Urbem Bactra, seu Balke, seu Panleki, expugnavit. A. 1221 delegit oppidum *Holin*, quod alii vocant *Caracoram*, in Tartarici imperii sedem, seu locum generalium Comitiorum. Notat Autor scriptores Chinenses, qui, Regem Chowarasmio-
39. rum *Mohomedkovaresme*, credunt, eundem esse ac *Gelaledinum*, filium. Nec omittit significare, multos Christianos in *Temongeni* exercitu fuisse. *Temongeno*, seu *Gents-Chano*, A.
69. 1227 defuncto, successit *Ogotay*, filius natu tertius. *Kiangchin*, dux bellicus Chinensis, circa id tempus invenit novam ad lapides ejaculandos machinam, qua lapides ad 100 pedes usque excutere potuit opera perpaucorum hominum. Tormentum ejusmodi Mongusii vocarunt *Puo*. Mongusii tunc e contrario
70. uti cœperunt tormentis igniferis. Obsessi vero adhibuerunt tormenta ignifera, quæ ejaculata fuere partes ferri, cucurbitularum chirurgicarum formam indutas, pulvere expletas. Si ignis ei inderetur, sonitus inde exstitit tonitru similis, ac expan-
71. dit sese ad 100 mensuras, (quas Editor vocat *lys*,) ac recidens in terram exussit locum, circuitu 2000 pedum et amplius comple-
72. xum. Addidit Pl. Rev. Autor, Chinenses jam ultra 1600 annos notitiam ac usum pulveris pyrii habuisse. Conjectat, Chinenses aliquando perdidisse artem utendi tormentis pyrotechnicis, aut mortariis igniferis, atque curcurbitulis ejusmodi, quarum inventio privatis debeatur quibusdam, ad alios haud pro-
65. gressa. *Lys* 250 circiter sunt æquales uni latitudinis gradui.

Ogotay

Digitized by Google

Ogotay ad exitium vocavit dynaſtiam Kin, ipſe defunctus A. 1232, natus 40 annos. Ultimus iſtius dynaſtiæ exſtitit *Cheouſu*, Pag. 87.
nonus eorum, qui ſeſe appellarunt Kin, id eſt, *Or*, ſui percuſſor A. 1234 Juningfoi. Tatari Regem Principemque ſupremum vocant *Caban*, ſeu *Coban*, Chinenſes contracte *Han*, ſeu *Khan*. Vox illa Scythica ſupereſt inter Teutonos, qui Regem vocant *Kenig*, & olim vocarunt *Kenehh*. Scilicet Ebræis כֵּן eſt *ordinis autor & promotor*. Vocis varie diſtortæ hæc ultima videtur fuiſſe origo. Ea tempeſtate floruit *Yelutchutſay*, ſeu *Yelu*, Prin- 102.
ceps domus hominum, qui *Leao* vocabantur, adminiſter ſtatus intimi *Gentchiſcani* & *Ogotaji*, in odia *Toliekonæ*, viduæ Imperatricis, quam *Ogotay* duxerat uxorem, prolapſus, ac præ ægritudine animi A. 1243, quinque & quadraginta annos natus, defunctus. Hic legislator Monguſiorum fuerat primus, Calendarii ipſorum autor, peritus Hiſtoriæ, Geographiæ, picturæ, numiſmatum antiquorum, librorum, Arithmetices, Aſtronomiæ, conditor ſcholarum publicarum, qui per doctos viros, ex Igut, Arabia, Perſide, aliisque regionibus occidentalibus, adſcitos, curavit multum librorum in linguam Monguſiam converti, ut manſuefaceret ingenia bellicoſa. Reliquit libros permultos, ma- 103.
nu ſua ſcriptos, de Hiſtoria, Aſtronomia, agricultura, arte imperandi, re mercatoria, numiſmata antiqua, inſtrumenta muſica, libros priſcos, inſcriptiones antiquas, lapidibus inſculptas, parum auri. Unus filiorum ejus ſcripſit Hiſtoriam Kin & Leao. *Toliekona* miris artibus filium ſuum *Kueyyeu* clavo imperii ad- 105.
movit. Imperatori huic fuit uxor *Uaulibaimiche*, animusque intrepidus ac bellicoſus. Ipſe ſub jugum miſit provinciam Aſu, mari Caſpio vicinam. Vitio ipſi vertunt, quod conſiliis procerum & patris plus juſto tribuit, ac Bonziis occidentalibus fuit faventior, doctrina *Fohi* imbutis. Ipſe regnum Corea ad tributum pendendum coegit, miſitque exercitum verſus Occidentem. Obiit diem ſupremum A. 1248, natus annos 43. Succeſſit ipſi Imperatrix, ac imperium *Cheliemeno* tradidit. Interpres oſtendit, ſibi haud eſſe certum, quid videatur certum de 107.
iis, qui credant docuerintque, profeſſionem religionis Chriſtianæ in aulam *Gentchiſcani*, ac filiorum ejus, penetraſſe; in libris

rum hiſtoricis reperiri potius alia omnia, & *Gentchiscanidas Bonziis* ac *Lamis* uſos fuiſſe, de Chriſtianis ne quidem in illorum hiſtoria fieri mentionem. Periclitatur hinc fides *Marci Pauli Veneti*, quem exiſtimamus ultra villam Cubeſchah, in Caucaſo ſitam, haud fuiſſe progreſſum, ibique exquiſiviſſe reliqua, in quibus paſſim ordo & veritas deſiderantur, ac rerum potiſſimarum omiſſio notatur. Errores geographici & hiſtorici eum fœdant magnam partem. Ex quo Opus Rev. P. *du Halde* lucem adſpexit, *Marcus* ille fere omnem decoxit fidem.

Pag. 110. Eſt aliquis noſtrum, qui alias de *Marci Pauli* fide ſubleſta fuſius commentabitur. Hic ſignificamus, Imperatorem *Mengko* A. 1251 ſucceſſiſſe Imperatori *Kneyyeu*. *Hupilai*, frater Imperatoris novi, literaturam Chinenſem ex *Yaocheu*, viro philoſopho Chinenſi, didicit, ac artem regnandi hauſit. *Mengko*, uſurpatorum mores ſecutus, crudeliter habenas imperii capeſſi-

112. vit, ac religionis inſpectionem attribuit doctori *Lamanamo*, ejusque fratri *Ouatotchi*. Terræ Tzinenſis partem fratribus principibusque domus regiæ loco feudi dedit. Ipſo imperante, *Hupilai* arceſſivit e China literatiſſimum ſcientiſſimumque virum, *Hiuhengum*, qui ſcientiarum ſtudiorumque amorem Mon-

115. guſiis mirificum inſevit, ac filios primorum ipſe erudivit. Nec omittendum eſt, Imperatorem *Menkovium* in caput imperii condidiſſe Longkangum, ab occaſu Hoantchuno confine. *Kokan*, dux militiæ, e Monguſiorum terra navibus fertur A. 1259 avectus in terram *Fulanorum*. Interpres, Fulanos eſſe Francos, exiſtimat, tum in Palæſtina hærentes. Idem antea Chalifum Bagdadæ dicitur deviciſſe, plus quam 100 urbes occupaſſe, di-

129. vitias acquiſiviſſe ampliſſimas, turbam captivorum ad *Menkovium* miſiſſe, templum *Muhamedis* Meccamque cepiſſe. *Mengkoni*, a ſuis faſtidito, ſucceſſit ejus privignus, *Hupilay*, vir maxi-

132. mus conſilio, uſu, & ſcientiis. Hic ex China adſcivit *Tumium*, virum ſcientiis præſtantem, a quo didicit optimam imperii tra-

135. ctandi rationem. Meritis habuit honorem cujuscunque, ſive is eſſet indigena, ſive extraneus. *Tchamalutingum*, Perſam, Aſtronomiæ & Geometriæ peritiſſimum, ſuſpexit, & in aula fovit. Condidit Academiam, ſociosque ejus ac doctores publicos appellavit

pellavit *Hanlin*, jussos historiam imperii concinnare, eique profecit *Vangu*, virum eximiæ prudentiæ ac probitatis. Ipse viros doctos, in exilia & vincula passim antea conjectos, A. 1261 in libertatem restituit. *Abama*, Arabs & Muhammedanus, Imperatorem tantum imbuit avaritia haud sine proprio emolumento, administrorum status princeps. A. 1263 *Yaocku* salutatus fuit administrorum primus, qui suasit Imperatori, ut passim scholæ & Academiæ inter Mongusios in morem Chinensium erigerentur. Ipse memoriæ progenitorum suorum causa exstruxit palatium, eisque cerimoniam Chinensem publice exhibuit. Ipse urbem Caipingfu appellavit Changtu. *Marcus Paulus* eam vocat Ciandu *pag.* 57. *Abamam* A. 1281 interfecit *Mandarinus Uangtchu*, Chorasmia oriundus, natus in oppido Poul, seu Bord. Tentavit *Hupilay*, seu *Cobila*, regnum Cochinchinæ & Tunkingi, nec non insulam Japoniam, at eventu votis minus respondente. Cum Bonzii Chinenses comburerent libros omnes sectæ Taosse, ipse conservavit librum *Laostii* antiquissimum, autoris, qui natalem Christi antevertit vivendo. A. 1282 jussit scholas lustrari *Hupilay*, ut certior redderetur de scientiarum incrementis. Astrologi tum nuntiarunt Saturni accessum ad stellam Titso, artemque continuarunt, quam Chinenses jam ad annos 1900 cordi habent. A. 1287 *Tohoan*, Imperatoris filius, Cochinchinam occupavit, capta urbe Tchentchen, at A. 1288 inauspicato idem regnum ingressus est exitu. Cum Indis instituit commercium navale *Hupilajus*. Regem regionis Kuaua classe invasit. *Ayulipalipata* Imperator examen literarium instituit per scholas imperii universas A. 1313, doctores ipse A. 1315 ad specimina doctrinæ edenda in aulam arcessivit. Anno exeunte misit passim viros, qui per provincias inquirerent in mores & instituta dicasteriorum & illorum, qui jus dicebant. A. 1318 descripti fuere libri classici sectæ *Fo*. Obiit Imperator A. 1320, temperantia & scientiarum amore inclytus. Posthæc intestinis dissidiis omnia fuerunt turbata, ac, imperante *Tohoantemuro*, seu *Chunti*, Chinense imperium novo Imperatori, e Chinis orto, cessit. Supersunt ex *Gengischanica* stirpe proceres principesque bene multi inter Mongusios in hunc usque diem. *Timur-Lam*, *Chuntii*

Pag. 137. 140. 144. 193. 195. 196. 207. 218. 246.

Digitized by Google

gener, Tartariam rursus omnem sibi submisit. At ipsi defuncto successerunt filii quatuor. En genealogicam tabulam, ex Autore ipso adornatam:

BIBLIO-

BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS ECCLESIAstiques, &c.

hoc est,

BIBLIOTHECA AUTORUM ECCLESIASTICOrum Seculi XVIII, in ſupplementum Bibliothecæ Pinianæ, opera vero Abbatis GUJETI, Canonici ad S. Jacobi xenodochium.

Tomus III.

Pariſiis, impenſis Pralardi & Quillavii, 1736, 8.

Alph. 2.

Operæ fuerit pretium, præmittere rebus ipſis ſynopſin ac ſummam librorum, qui *Volumine* hoc comprehenduntur, atque ei paucula addere expoſitionis loco. Scenam aperiunt *S. Proſperi Aquitani*, qui S. *Auguſtini* fuit diſcipulus, ac S. *Leonis* Papæ Notarius primus, *Opera omnia*, Pariſiis edita A. 1711, fol. Secundo loco apparet enarratio libri: *Hiſtoire de la Chapelle des Rois de France*, Pariſ. *Vol. I* 1704, *Vol. II* 1711, 4. Autor utriusque *Voluminis* exſtitit *Ludovicus Archon*, Theologiæ Licentiatus. Tertium locum occuparunt Epiſtolæ, quibus eſt inſcriptio: *Lettres de Mſr.* le Tourneux *à quelques perſonnes de la Religion prétendue Réformée, pour les exciter à rentrer dans l'Egliſe Catholique, & pour répondre à leurs difficultés.* Pariſ. Vol. I, 12, 1712. Libelli hujus mentionem omiſerat *du-Pin.* Quarto loco expenditur *Theologia dogmatica & moralis, ad uſum Seminarii Catalaunenſis. VII Voll.* 12, 1709 ſeq. Pariſ. Autorem fuiſſe *Ludovicum Habertum*, Doctorem Sorbonici Collegii, conſtat. Quintum locum tenent *ſcripta varia, de uſuris* inſcripta, ineunte Seculo XVIII in lucem emiſſa per Ordinem theologicum Nannetenſem, aliosque Theologos, contra *Rene' de la Bigotiere*, Dominum *Perchambolti*. Sexto loco agitur de *Antonii Arnaldi*, Doctoris Sorbonici, libro, quem Diſſertationi *Schelſtratenii*, Bibliothecæ Vaticanæ præfecti inferioris, oppoſuit, atque inſcripſit: *Eclairciſſement ſur l'autorité des Conciles generaux & des Papes, ou Explication du vrai ſens de trois decrets*

Pag. 19.

64.

105.

142.

182.

Digitized by Google

erets des Seſſions IV & V du Concile general de Conſtance. In comitiis eccleſiaſticis, A. 1682 in Gallia coactis, proceres ordinis eccleſiaſtici declaraverant, ſeſe decretis illis duobus firmiſſime inhærere. Quam ob rem *Schelſtratenius* A. 1683 edidit Acta illa, lectori perſuaſurus, decretum primum ſeſſionis quartæ a patri-
Pag. 184. bus Concilii Baſileenſis fuiſſe corruptum. Operi *Schelſtrateniano* hic eſt titulus: *Acta Conſtantienſis Concilii, ad expoſitionem Decretorum ejus Seſſionum IV & V facientia, nunc primum ex Codicibus manuſcriptis in lucem eruta, & Diſſertatione illuſtrata.* Prodiit demum *Arnaldi* reſponſio A. 1711, 8, in lucem, qua autoritatem integram & fidem Concilii Conſtantienſis vindicat, & decreta Conſtantienſis Concilii maſcule defendit ab objectionibus *Schelſtrateni* & Cardinalium *de Turrecremata*, *Cajetani*, atque
213. *Bellarmini.* Septimum locum tenet *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum a D. Marco uſque ad finem Seculi XIII*, per *Euſebium Renaudot*, Pariſ. 1713, 4. Differitur inibi de *Tomo IV & V Arnaldiani* operis *de Perpetuitate fidei eccleſiæ, quantum ad Euchariſtiam attinet*, nec non de *Collectione Li-*
362. *turgiarum Orientalium.* Octavo loco apparent *Anecdota, quæ ex Ambroſianæ Bibliothecæ Codicibus nunc primum eruit Ludovicus Antonius Muratorius Tomo III & IV*, Patavii, 1713, 4. De *Tomo I & II Pinius* jam egit *Sect. V. P. V Biblioth. Autor. eccleſ.*
395. *Sec. XVII.* Nono exponitur loco de *Stephani Baluzii Miſcellaneorum Libro ſexto, ac ejusdem Libro ſeptimo, hoc eſt, Collectione veterum monumentorum, quæ hactenus latuerant in variis Codicibus ac Bibliothecis*, Pariſ. 1713, 1715, 8. *Sexto Voluminе Baluzii* e MStis protrahuntur duo *Ildefonſi* Toletani opera, quæ dudum in deperditis numerata erant, ſcilicet *Liber annotationum de cognitione baptiſmi*, ac alter *de progreſſione ſpiri-*
400. *tualis deſerti.* Decimo loco Continuator expoſuit de libro *Claudii de Vert*, cui inſcriptio: *Explication ſimple, literale, & hiſtorique, des Ceremonies de l'Egliſe*, Pariſ. 1738, 8, *Tom. III & IV.* Tractatur in eo de Miſſa, cujus pro mortuis originem e Seculo ſexto deducit. Undecimum locum occupat enarratio eorum, quæ exhibentur in libro Domini *des Mahis*,
438. qui eſt inſcriptus: *La Verité de la Religion Catholique prouvée par*

Digitized by Google

par l'Ecriture Sainte & par la Tradition, Pariſ. 1697, 12, *Vol. I, II, III.* In editione poſteriori anni 1714 plus dictorum ſacri Codicis ac argumentorum paſſim fuit intextum. Scriptor olim exſtitit Eccleſiaſtes reformatæ in Galliis eccleſiæ. Ut approbaret Pontificiis ſeſe, quorum in caſtra tranſierat, contexuit hunc librum, tum quidem Canonicus eccleſiæ Aurelianenſis. Hinc inde ad objectiones Proteſtantium reſpondere conatus fuit. *Volumine III* conſenſum ſtudet Patrum eccleſiæ in ſuas vocare partes, haud animadvertens, 1) illos Patres in interpretando ſacro Codice plerumque ſubſidia exegetica defeciſſe, 2) fontes Ebraicos, e quibus, judice *Hieronymo*, & *Auguſtino*, atque Præfatione priori, *Ximenianis* Polyglottis præmiſſa, & *Ludovico Vive*, eſt bibendum, maximam partem ignoraſſe, 3) expoſitiones attuliſſe, ſæpius inter ſe pugnantes, 4) doctrinis de Chiliaſmo Judaico decerptis, allegoriis, aliisque privatis opinionibus, quas ipſa abhorret eccleſia Romana, magnam partem ſeſe oblectaſſe 5) atque ſententias ſuas haud raro mutaſſe, quod ipſum indicio eſt, ipſos doctrinas per manus traditas vel non ſecutos ubique, vel eis in plerisque rebus caruiſſe. Primi certe Patres cœnam ſacram adminiſtrarunt ſub ſpecie utraque cunctis fidelibus, libros Pontificiorum devterocanonicos pro divinis haud habuerunt, peccata homini poſt mortem remitti negarunt, ſanctos honorarunt, haud adorarunt, nec invocarunt, &c. Quantopere *Auguſtinus* a transſubſtantiatione abfuerit, vel ex ejus *Cap. 12* contra *Manichæum Adimantum* conſtat, ubi ita docuit: *Non Dominus dubitavit dicere, hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* Conſenſus Patrum ſi vel maxime daretur, is tamen ad Dei verba, tanquam ad Lydium lapidem, eſſet exigendus. Miniſtris enim creditur ob verba & autoritatem magiſtri. At, ſi quis tentaverit conſenſum ejusmodi e Patribus Seculorum VI primorum exſculpere vel ad capita & ſententias Codicis ſacri, vel ad ſingula dogmata fidei & morum, eorumque momenta, is facile perſpiciet, quantopere diſſideant opiniones Patrum. Tunc vero nova oritur inveſtigationis materies. Quæritur enim, quouſque & in quotnam capitibus, ad conſenſum illum ſit reſpiciendum. Quæritur porro, an vocabula eccleſiæ

primæ posthæc perstiterint, & accepta fuerint significatu eodem. *Mabisius* ille passim ea credidit vera, & ecclesiæ Pontificiæ congruentia, quæ in ea ne quidem a Pontificibus fuerunt appro-
Pag. 498. bata. Ita verbi causa negat, veros Martyras dari extra ecclesiam Pontificiam, cum tamen ipse Pontifex Summus, qui jam ecclesiæ Romanæ præsidet, hanc sententiam assensu suo, conditione nulla adjecta, confirmare haud sustinuerit. Obiit *Marinus Grosteste de Mabis* A. 1694, 16 Oct. ex pastore factus ovis, & ex ove pastor. Elogium & vitam ejus edidit Aureliæ A. 1695, 12, *Prustovius* quidam. En scripti titulum: *Guillelmi Prousteau, Antecessoris Aurelianensis, Epistola ad nobilem & clariss. virum*, Petrum de Porrade, *Massilienſem, de obitu ac virtutibus Marini Grosteste des Mabis, Diaconi & Aurelianensis Ecclesiæ*
542. *Canonici*. Duodecimo loco exhibentur scripta *Tertulliani*,
545. Gallice reddita. Apologeticum interpretatus fuit *Joannes Baptista Vassoult*, & translationem edidit Parisiis A. 1714, 4, & A. 1715, 12, notis locupletatam. Alii alia in Gallicum converterunt. Hinc
572. tria scripta recensentur, ad *Erasmum Roterodamensem* referenda. Primi est titulus: *Apologie, ou Justification, d'Erasme, par M. l'Abbé* Marsollier, Paris. 1713, 12. Secundi titulus est: *Critique de l'Apologie d'Erasme de M. l'Abbé* Marsollier, Paris. 1719, 12. Autor hujus scripti fuit P. *Gabriel*, Procurator generalis Augustininianorum discalceatorum. Tertii est titulus: *Histoire d'Erasme, sa vie, ses mœurs, sa mort, & sa religion,*
573. *par M. de la* Bizardiere. Paris. 1721, 12. Quæritur & inquiritur hic, an *Erasmus* fuerit sensu Pontificio orthodoxus. *Richardus Simon* negat, de eo esse dubitandum. Scripsit, ut hoc ostenderet, librum, A. 1688 editum: *Sentimens d'Erasme de Roterdam, conformes à ceux de l'Eglise Catholique, sur tous les points controverses, Joannes Richardus*, sacerdos, Theologiæ Baccalaureus, Parisiis A. 1615 natus, qui scripsit librum *Agneau Pascal*, Coloniæ A. 1686, 8, editum, & alia, defunctus Parisiis A. 1685,
574. 26 Sept. Editus est denuo ille liber, *Sentimens*, A. 1715 sine epistola dedicatoria ad Regem Britanniæ *Jacobum II*, quæ priori editioni fuerat præmissa. *Marsollier* credit, eum passim errasse, at hæreticum haud fuisse, perstitisse potius in communione ecclesiæ Ro-
609.

manæ

manæ ad exceſſum obitumve uſque. P. *Gabriel* dedicavit ſcriptum ſuum Abbati *Bignonio*, qui Regis a Bibliotheca erat. Agmen deliciarum claudit liber *Jacobi Longi*, cui titulus: *Diſcours hiſtorique ſur les principales editions des Bibles Polyglottes par l'Auteur de la Bibliotheque ſacrée*, in 12, Pariſ. 1713. Recenſet vero is Polyglotta 18, remotis eis Bibliorum editionibus ab inſtituto ſuo, in quibus duæ duntaxat columnæ verborum ſacri Codicis exhibentur. Copioſus eſt Continuator in decerpendis librorum argumentis, ac tractationis complexibus; tantamque recenſionibus impendit diligentiam, ut non ſolum Autorum vitam breviorem adjungat, ſed Anonymos etiam detegat, & Hiſtoriæ literariæ nunquam non claſſiſſimam affundat lucem. Modeſtia & prudentia utitur certe ſingulari in exponendis controverſiis, nec facile committit, ut æquitatem ac ſtili venuſtatem puriſſimam alicubi jure cuiquam liceat deſiderare. *Jacobi Longi* vitam & elogium Continuator *Tomo III* ſubjunxit, operculum patella ſane perdignum. Pag. 628.

JOANNIS JENSII STRICTURÆ JURIS Romani.

Rotterdami, typis Jani Danielis Bemanni, 1737, 4.

Alph. 3 plag. 19.

Stricturæ, quæ ad multas Pandectarum & Codicis leges Cl. *Jenſius* edidit, ſatis vel nomine ſuo produnt, quod eodem conſilio ſcriptæ ſint, quo alii multi Romana Jura ſuis obſervationibus, emendationibus, lectionibus, conjecturis, &c. magna titulorum & dexteritatis varietate illuſtrare ſategerunt. Illud in eis ſingulare, quod ſcriptionis rationem Cl. Autor affectaverit, quam alii parum tutam dicerent, nonnulli etiam, ſi vel eandem ſecuti eſſent, diſſimularent. Effecerunt nunc enim Autores quidam non contemnendi monitis ſuis, ut illi, qui bonam mentem habere præ ceteris videri cupiunt, ab his, qui manum ejusmodi labori admovent, amplum & curioſum apparatum requirant, &, quanta lectori reverentia debeatur, veluti certis religionis legibus inculcent. Quos ſi audias,

nemini fas erit de illuſtrando & emendando Jure civili cogitare, niſi vel Codicibus, vel editionibus, multis munitus ſit, & Gloſſam, & Græcos interpretes, & quicquid eſt ad hoc bellum auxiliorum, advocaverit, & omnes lætioris famæ interpretes, ne, quæ jam ab aliis melius dicta ſunt, pejus dicantur, vel expoſita dudum lectoribus faſtidientibus repetantur, excuſſerit. Hanc tantam ſollicitudinem Cl. *Jenſius* ſibi certe ſuperfluam ratus, ſolum, quod dicimus, Corpus Juris verſavit, animi cauſa, nullo præſidio, niſi forte Gloſſæ, raro Baſilicorum, *operis*, ut ait, *per ſe miſelli, claudi, & hiulci.* Interpretes novos & paucos aut apud amicos inſpexit, aut accepit commodato, &, ſi contradicere ſuis animadvertebat, refellit, ſin ſecum facere, ſua non delevit. Ita natæ ſunt *ſtricturæ* in proprio fundo, neque mirum eſſet, ſi flores interdum offerrent, quos apud alios jamjam exſtare, poſſeſſor vicinorum incurioſus ſcire noluit. Recedit etiam in eo Cl. *Jenſius* a recepto more, quod, cum alii obſervationes ſuas ſine certi ordinis lege ſpargant, ipſe ſeriem Pandectarum & Codicis ſequatur, & leges ſæpe prolixiſſimas, quarum vix pauca verba tangit, deſcribat. Amœnitatem, quam aliqui affectarunt, non magnopere ſectatur, verum ſpinoſas & multa difficultate intricatas quæſtiones ad curam ſuam revocat, raro ſollicitus, num quid ornamentorum ex elegantioribus literis afferri poſſet. Sic enim ſenes ſcribere ſolent, & ipſe interdum non obſcure ſignificat, Jurisprudentiam ſuam caneſcere. De interpretationibus ejus, cum tam multæ ſint, & ad tam varias leges, etiam ideo parum dicere licet, quod pleræque ſint breviſſimæ, ut in compendium redigi ſine obſcuritate nequeant. Habet omnino hanc laudem ſuam, quod ſpecies, vel caſus, in legibus comprehenſos, evolvere, jurisque rationes accurate enodare, noverit, & multa veterum JCtorum fragmenta, quæ congeſtis aliorum intempeſtivo ſtudio difficultatibus obſcurata fuerant, ſuæ reſtituerit ſimplicitati. Criticum cultrum rarius admovet, &, ſi pollicenti credimus, non niſi mitiſſime, quod utique concedetur, ſi ejus emendationes cum his, quæ integras periodos ejiciunt, &, omni prope pudore abjecto, graſſantur, componamus. Num ſatis clementer aliquando pro *poſſeſſore* reſtitue-

reſtituerit *petitorem*, & orationem negare fecerit, quod ajebat antea, & quæ ſunt hujus generis quædam alia, non unum forſan erit omnium judicium. In vindicanda lectione recepta frequens & acris ſæpiſſime contra *Schultingium*, *Voetium*, *Zachariau Huberum*, diſputat, immo quosdam Ampliſſimi Præſidis *Bynckershœckii* conjecturas refellit, nunc expreſſo, nunc tecto, nomine, ſed modeſtiſſime. Eſt etiam, ubi a Jure Romano divergit ad mores, veluti quando *pag. 219* ex Jure Belgarum perſonas recenſet, quæ non poſſunt capere ex teſtamento. Interdum filii ſui conjecturas, aliquando etiam, quid filio conſulenti reſponderit, immiſcet. In explicandis legibus, & in refellendis aliorum opinionibus, plerumque brevitatem ſectatur, & ſunt loca, ubi hæc ipſa brevitas forte nimia eſt. Sic ad *l. 10 §. 3 D. de Mandat.* nihil aliud notat, quam quod eam *Noodtius* violenter emendaverit, ipſe vero nihil, quo offenderetur, reperiat, quod an ſcire interſit omnium lectorum, non facile diceretur. Illud denique præterire nequit, quod Cl. *Jenſius* & in Præfatione libri, & in Appendice, novam & antea inauditam ſententiam explicet, &, plerosque JCtos veteres Græce ſcripſiſſe, plerasque Imperatorum Conſtitutiones Græce propoſitas eſſe, totumque, quod dicimus, Corpus Juris a *Juſtiniano* non Latine, ut nunc eſt, ſed Græce, compilatum, adeoque textum, quo nunc utimur, Latinum recentiorem *Juſtiniano* verſionem videri, contendit, quæ tunc, quando neque bene Græce, nec bene Latine, ſciebatur, prodierit. Hanc privatam perſuaſionem, qua tantopere a recepta & publico conſenſu tuta ſententia recedit, magna exemplorum, quæ in Pandectis & Codice vel Græciſmum redolent, vel ex Græco imperite verſa viderentur, copia defendit, & plenus fiducia, quod rem acu tetigiſſet, omnes jurium cultores, qui nunc ſunt & erunt, hortatur, ut ad Jurisprudentiam Græcæ linguæ cognitionem vel ideo afferant, ne in poſterum in verbis Latinis ea, quæ ex Græcis imperite verſa eſſent, ſenſum ipſum, ut hactenus ſæpe contigiſſet, non obſervato erroris fonte, perturbent.

PETRI DE TOULLIEU, JCTI, ET ANTECES-

ſoris, dum viveret, Groningani, Collectanea, in quibus multa Juris Civilis, aliorumque Autorum, loca illuſtrantur & explicantur, quædam etiam emendantur; edita a JOANNE WOLBERS, JCto, qui & Decadem Obſervationum addidit.

Groningæ, apud Georgium & Hajonem Spandaw, 1737, 4. Alph. 3 plag. 6.

Petrus de Toullieu, Pariſienſis, qui, cum propter religionem patria profugus in Belgium veniſſet, Jura, quorum egregie peritus erat, Lingæ primum, poſtea Groningæ, docuit, tantam doctrinæ famam meruit & conſecutus eſt, ut ſupervacuum eſſet, prolixe de ſcriptis ejus, quæ nunc prodeunt univerſa, diſſerere, cum dudum innotuerint, & laudem ſuam invenerint ſingula. Præſtitit hanc piam operam ſparſis præceptoris quondam ſui pagellis V. C. *Joannes Wolbers*, ut in unum faſciculum colligeret omnes, præter opuſculum, quod in Inſtitutiones *Juſtinianeas Petrus de Toullieu* affectum & inchoatum reliquit. Abſunt etiam ab his Collectaneis binæ Diſſertationes, quas *de Jure nuptarum* ſcripſit. Et, cum earum alteram Cl. *Wolbers* nullibi reperire potuerit, exemplo id eſſe poteſt, quam mature conſulendum ſit doctorum hominum opuſculis, cum in illis etiam, ubi prodierunt, locis opinione citius diſpareant. Quæ in his Collectaneis exſtant, Diſſertationes tres priores ad *l. 69 D. pro ſocio*, ad *l. 38 D. de Condict. indebiti*, & de quæſtione: *An juri luendi pignoris præſcribatur, quæve ſint res meræ facultatis*, jam antea junctim prodierunt Trajecti ad Rhenum A. 1707. Quæ his ſuccedit Diſſertatio quarta, varias exhibet de Jure Civili conjecturas, velut de uſu procuratorum & defenſorum in cauſis criminalibus, de *Severi* nomine in Jure noſtro, de procuratione urbica, de autore & ſententia *l. 10 D. de Obl. & act.* de concilianda *l. 3 D. de Transact.* cum *l. 14 eodem*, de lectione *l. 6 D. de Legat. præſt. contra tabulas*, de venatione, & an ſit in fructu, de præſcriptione in judiciis diviſoriis, de quinque pedum præſcriptione ad *l. penult. C. de*

C. de Fin. regund. Porro Dissertatione V, quæ inscribitur *de Querela inofficiosi*, quæstio tractatur, quæ species petitionis hæreditatis sit inofficiosi querela, utrum ex testamento, an ab intestato, an vero ex jure quodam singulari, descenderit olim, & nunc quoque descendat. Ceteræ Dissertationes pleræque sunt ex Jure Civili, de excusatione a tutela ob magistratum & numerum liberorum, de autoritate curatorum ætatis, de portione legitima titulo institutionis relinquenda, de occurrentibus in Jure Civili anantapodotis, de jure servitutem imponendi fundo fructuario, de usu remedii *l. 2 C. de Rescind. vendit.* re alienata, vel exstincta, de successione filiorum fratrum *ad Nov. CXVIII Cap. 11*, de quæstione: Utrum filio exhæredato possit exemplariter substitui, de privilegiis, de usucapione pro hærede, de præsentia & absentia & mixto ex utroque tempore in præscriptionibus, & de parricida non confesso ad *Sueton. August. Cap. 33.* Paucæ alia quoque jura tangunt, velut ordine *sexta*, de incestu & gradibus divino jure prohibitis, & *vigesima*, quæ omnium est postrema, de vasallo, dominum adversus proprium patrem adjuvare non obligato. His omnibus accedunt primum *Quæstio juridica*, quibus temporibus in institutione conditionali cum hærede debeat esse testamenti factio; inde contentio literaria cum Cl. *A. A. Pagenstecherο*, utrum beneficia fidejussorum etiam ad correos vice mutua fidejussores pertinuerint ante *Novellam XCIX*; ac denique tres Orationes de Jurisprudentiæ affinitate cum rerum divinarum scientia, de non solubili ob malitiosam desertionem matrimonio, & an *Ulpianus* Christianis fuerit infensus, contra *Baronium* Cardinalem. In libri limine exstat vita *P. de Toullieu*, breviter ex Programmate decerpta, quo Cel. *Barbeyracius* collegæ sui funus indixit. Atque, ut huic editioni Opusculorum, pridem editorum, novi aliquid accederet, addidit Consultiss. *Wolbers* Decadem Observationum suarum de quæstionibus non ignobilibus, sed ad quas aliqua congessit non valde nova. Quærit primum de *actus* & *viæ* discrimine, &, *viam* esse, contendit, cui iter ipso jure, actum vero, cui per consequentiam insit, ita, ut etiam abesse possit. Inde *Capite II* de inquisitione furti

per

per lancem & licium disputat, & conjecturam affert, lanci inisculptum fuisse, publicæ fidei & autoritatis, qua muniretur lictor, insigne. Ceteræ quæstiones irenicum inter *Scævolam l. ult. D. qui pot. in pign.* & *Ulpianum l. 28 D. de Jure fisci* cantant, & argumenta de doli, qui causam dedit contractui, & qui tantum incidit, discrimine, de servitute fundo fructuario imponenda, de transactione super hæreditate non confecto inventario, de pœna adulterii ex variis juribus, & de causis, ex quibus *Ovidius* relegatus fuerit, tangunt, ita tamen, ut hæc pleraque jam ante ipsum alii dixerint uberius, nonnulli etiam melius.

AN ESSAY ON EPIDEMIC DISEASES, &c.

id est,

TRACTATUS DE MORBIS EPIDEMICIS, SPEciatim de morbis endemiis civitatis Corcavïensis, febre & variolis, specialissime de febre endemia anni 1731, ad suas causas revocata, cum methodo medendi feliciter adhibita; Autore JOSEPHO ROGERS, M.D. Accedit Appendix experimentorum staticorum, per annum institutorum.

Dublini, apud W. Smith, 1734, 8.

Alph. 1 plag. 1.

Postquam Cl. Autor noxam speculationum, solis hypothesibus absque experientiæ suffragio innixarum, in ipsis artis operibus in introductione ostendit, sive illæ ex doctrina *Galeni* & *Aristotelis*, sive ex scholis Chemicorum, sive ex Mathematicorum etiam principiis, in artem salutarem translatæ sint, atque diligentiam potius, quam *Hippocrates* in consignandis fideliter morborum historiis adhibuit, imitandam commendavit, qua sola major artis perfectio obtineri possit; specimen illius in describendis morbis endemiis Corcaviæ, in qua urbe ipse per viginti & quod excurrit annos medentis munere functus est, exhibet. *Parte priori* febrem illam delineat, quæ A. 1734 tantam ibi stragem

ſtragem edidit, ut pro novo morbo haberetur, etſi, illam jam antecedentibus annis aliquoties ſæviiſſe, adverterit, iis præſertim annis, in quibus æſtas præter morem frigida & humida fuerat, hyems vero nimis tepida & humida ſecuta, quæ aeris temperies generandæ putrefactioni potiſſimum favet. Eſt illa febris ex genere acutarum exanthematicarum, atque, ex Autoris relatione, his potiſſimum characteribus ab aliis congeneribus diſtinguitur: Pertinaci fixoque capitis dolore, potiſſimum in regione frontis ſupra ſupercilia; pulſu debili, magna pulmonum cordisque oppreſſione & anxietate, exanthematibus petechialibus, urina cruda, pallida, ac limpida. Ex his phænomenis cauſam illius immediatam eſſe relaxationem toni in partibus ſolidis,& inde pendentem lentorem humorum in fluidis, concludit. Inter cauſas procatarcticas febris hujus endemiæ potiſſimam aeris rationem eſſe habendam, patet, in quo effluvia noxia contineantur, & multiplici via intra corpus deferantur. Aerem vero loci potiſſimum tepida humiditate peccare, obſervavit, ventis ſtationariis plerumque ab occidente & meridie flantibus, unde gravitas & elaſticitas ejus imminuatur, unde etiam fibræ animales relaxentur, fluida lenteſcant, & ſic ad recipienda morbida effluvia diſponantur. Inter ſpecialiores cauſas ſitum urbis in ſolo paluſtri, & valle, inundationibus verno tempore obnoxia, unde reliquo tempore putrida exhalent effluvia, ex altera vero parte colles eminentes civitatem cingere, notat. Præterea accuſandam putat immunditiem platearum anguſtiorum ab excrementis animalium, eo inprimis tempore, quo graſſari ſolet morbus, pariter frequentiam lanienarum in ſuburbiis, potiſſimum ſeptentrionalibus, in quibus profundæ foveæ, recipiendo ſanguini & aliis impuritatibus mactatorum animalium, in putredinem ruentibus, deſtinatæ, occurrant, quibus exhalationibus aer etiam ſeptentrionalis, ceteroquin ſaluberrimus, inficiatur, quorſum accedat uſus aquæ putridæ & corruptæ, pro potu a pauperibus adhibitæ; denique nimis copioſa ingurgitatio cibi ex regno animali, cui potiſſimum a menſe Auguſto ad Januarium indulgeant cives, quo tempore hæc etiam febris maxime ſæviat. Cum enim hæc omnia fermenta-

tionem putredinoſam cieant, ad quam noſtra corpora & humores per ſe proclives ſunt, noxios inde effectus excitari. Ad præſcindendam mali radicem, & evitandam morbi graſſationem, commendat ignes frequentiores & copioſos ad diſſipandam aeris nimiam humiditatem; majorem moderationem in victu animali, junctо uſu largiori panis bene fermentati, ſalis marini, acidorum ex regno vegetabili, potusque aceſcentis, quibus putredini imminenti obex ponatur. Indicationes, huic morbo oppoſitas, commendat, ut circulus ſanguinis languidior reſtituatur, tonus nervorum & fibrarum reſtauretur, lentor & viſciditas humorum diſſolvatur, & excretiones materiæ morbidæ promoveantur. In ulteriore harum explicatione venæſectionem, aliasque evacuationes, alias uſitatas, itemque regimen refrigerans, ob languorem hic a principio præſentem, plerumque noxias eſſe, monet, contra remediis paulo calidioribus cardiacis, alexipharmacis, putredini reſiſtentibus, inſiſtendum cenſet, inprimis uſum veſicatoriorum maxime commendat, quorum interdum plura ab initio morbi ad declinationem uſque iterare neceſſitas jubeat, quæ ſingula hiſtoriis morborum ſubjunctis confirmat. *Parte poſteriori* de variolis, diverſis temporibus epidemice, & quidem plerumque conjunctim cum febre antea expoſita, graſſantibus, obſervationes ſuas exhibet, quarum quinque ſpecies, ſibi viſas, recenſet, binas diſtinctarum, quarum altera benigna per totum morbi decurſum fuit, unde illas diſtinctas ſanguineas appellat, altera pejoris per quævis ſtadia indolis, quas diſtinctas lymphaticas nominat, totidem quoque ſpecies cohærentium ob majorem copiam variolarum, gravioribus ſymptomatibus ſtipatas, nimirum cohærentes ſanguineas, & cohærentes lymphaticas, denique vere confluentes peſſimi moris, & fere ſemper lethalis; ſingularum apparitiones ſub febre depuratoria, inflammatoria, & putrida, copioſe exponit. Cauſam variolarum eſſe venenum ſui generis, contagio & inoculatione illarum confirmat, illudque eſſe ſal volatile alcalinum, ex proſapia animali, particulis exilibus, valde diviſibilibus, rigidis, & non facile ab actione vitali mutandis, e phænomenis infert, cumque omnia venena effectus ſibi proprios in corpore producant,

cant, hoc quoque varioloſum venenum, intra corpus receptum, ſingularibus ſymptomatibus cognoſcitur, cujus ſpecificum remedium, quod illud primo ſtatim inſultu emendare, & ſine ulteriori noxa expellere, poſſit, adhuc deſideratur. Virus hoc, pluribus viis intra vaſa receptum, motum inteſtinum auctiorem febrilem excitat, donec ad ultima vaſcula excretoria delatum, ibi deponitur; cum vero extremitates hæ vaſculorum vel ſint rami directi, ſanguinem purpureum continentes, vel laterales, lympham vehentes, inde binas ille diſtinctas claſſes originem ducere credit; unde, ſi in ſanguiferis hæreat hæc materies, ob globulos balſamicos ſanguinis admixtos pus laudabile formari, in lymphaticis vero acre ſerum, ſibi ſoli relictum, ichorem deteriorem generare, indeque diverſitatem ſymptomatum pendere, credit, in toto morbi decurſu diverſarum ſpecierum obſervandam. Cum vero diſpoſitio corporis, contagium recipientis, ad variandam morbi indolem multum valeat, atque variolæ cum febre illa endemia eodem tempore ſævierint, cauſas procatarcticas in utroque morbo easdem fuiſſe pateat, in harum cura itidem ad tonum ſolidorum relaxatum, & fluidam viſciditatem, reſpiciendum fuiſſe monet, adeoque methodum *Sydenhami* refrigerantem locum non inveniſſe, ob diverſitatem loci & conſtitutionis, ſed potius regimen calidius, & uſum alexipharmacorum, putredini ſimul reſiſtentium acidorum, eademque fere remedia in febre ſupra recenſita adhibita, in variolis quoque operæ pretium feciſſe teſtatur, quorum applicationem per diverſas morbi periodos in variis ſpeciebus variam cum neceſſariis cautionibus fuſius exponit, & obſervationibus illuſtrat. Appendicis loco adjiciuntur Anonymi experimenta ſtatica, per annum inſtituta, viri illo tempore primum & quadrageſimum ætatis ſuæ annum agentis, juſtæ ſtaturæ, vegeti & obeſi corporis habitus, temperamenti ſanguinei, integra valetudine gaudentis, ut ex illis, debita ſollicitudine inſtitutis, cum *Sanctorii*, Itali, & *Keilii*, Angli, obſervationibus collatis, judicium ferri queat, quantum in variandis ſecretionibus & excretionibus corporis noſtri climatis, tempeſtatum, aliarumque cauſarum, diverſitas valeat, quarum in inveſtigandis morborum cauſis ratio ſemper a Medico habenda

ſit. In tabulas redegit obſervationes ſuas Autor, in quibus primo loco notat, quantum ponderis incrementum, vel decrementum, quovis die deprehenderit, quantum per urinam, quantum per alvum, quantum per inſenſibilem tranſpirationem, excreverit, quo pondere cibum & potum tempore jentaculi, prandii, & cœnæ, aſſumſerit, ſimul etiam thermometri & barometri mutationes, tempeſtatis indolem, ventorum ſpirantium plagas, adjungit. In obſervationibus annexis inſigniorum reſpectu ponderis mutationum cauſas commemorat, nunc a cibo potuque vel in quantitate, vel in qualitate, differentibus, nunc ab atmoſphæræ temperie mutata, nunc ab exercitio corporis aucto, vel intermiſſo, eas deducens, quave ratione, una excretione aucta, altera fuerit imminuta, & ſucceſſive corpus iterum ad æquilibrium reductum ſit, curioſe indicat, ex quibus denique aphoriſmos quosdam ſtaticos de juſto rerum non naturalium uſu ad conſervandum ſalubrem corporis ſtatum deducit, quæ ſingula lectu non minus jucunda, quam utilia, judicamus.

TRAITE' SUR L'ACIER D'ALSACE, &c.

id eſt,

COMMENTATIO DE CHALYBE ALSATIÆ,

ſeu arte convertendi ferrum fuſile in chalybem.

Argentorati, impenſis Joannis Renaldi Dulſeckeri, 1737, 8.

Plag. 9.

Complures effluxere anni, cum Dominus *Makaud de Hircheim* detexit fodinam ferrariam, chalybi parando, haud deteriori eo, quod Germania vendit, aptam habilemque, artemque ſuam experimentis optimis dubitantium multitudini vix tandem reddidit approbatam. Aula regia Pariſienſis inventorem autoritate & privilegio munivit. Chalybs ſpeciei eſt geminæ. Unus naturalis; alter artificialis. Alterum Galli ſatis habent compertum. Dominus *de Reaumur* artificium, quo hic elaboratur, provexit ulterius, egregiaque petractatione illuſtravit. Prior ille minus in Gallia eſt notus, licet uſu frequentiſſimus. Gallorum nemo eum deſcripſit. Paucula in lucem publicam produxit

duxit *Emanuel Swedenborgius*, Assessor Collegii metallici in Suecia, in opere, quod A. 1734 Dresdæ emisit. Autor, qui nos latere voluit, Commentationem suam ita instruxit, ut primo de chalybe, ejus diversis speciebus, ac apparatu, quem ars & natura suppeditant, differat; deinceps modum, quo is in Alsatia nunc elaboratur, exponat; ac tandem Cel. *Swedenborgii* testimonium de arte, chalybem parandi naturalem in Suecia, Stiria, Carinthia, ac Comitatu Tirolensi, subjungat. Saluberrimum sane est institutum, quo Galliæ chalybs ex gremio suo redditur. Nam chalybs naturalis, aliunde invehi solitus per artes clandestinas, edictis Principum, bellis sævientibus, a Galilia arceri & prohiberi potest, ni Gallia e sinu suo eum dedicerit proferre. Ferrum id, unde chalybs elaboratur, dicitur *crudum* a *Swedenborgio*, ab Autore nostro *fer de fonte*, id est, ferrum fusile, ac chalybs naturalis, quippe statim post fusionem ita effectus. Ferrum fusile quamprimum funditur ac liquatur, chalybs inde evadit, antequam id in ustrina ulterius adfabrefiat. Si igni porro ferrum elaborare studeas, illud destruetur. Chalybs prodit naturalis, simul ac destruuntur igne superflua particularum salinarum ac sulphurearum, quibus ejus generis ferrum abundat. Ferrum crudum constat fixis firmisque particulis sulphureis ac salinis, nec non terreis, quarum postremæ in eliquationis furno vitrum evadunt. At ferrum reliquum gaudet particularum illarum indole molliori, minusque difficulter dividua. Chalybs artificialis, qui paratur ad- Pag. 16.
mixto sale ac sulphure, non potest sæpius in ignem reduci citra singulare detrimentum ac decrementum indolis illius, quam chalybs tenet; naturalis vero sæpissime igni reformari potest, optimo successu. Artem elaborandi chalybis Autor candide describit utriusque, recenset difficultates pernoscendi chalybem meliorem, immo bonum, addit notas discretionisque adminicula, 19.
experientia sola præeunte. Fodinarum & officinarum meminit 26.
diversarum, enarrat genera elaborandi chalybem diversissima, exponit modum fabricandi illius Alsaticum, atque eum, quem 36.
patefecit Cel. *Swedenborgius* multiplicem, subtexit. Nisi lector huc accesserit rei peritissimus, haud faciet desiderio suo satis,

ſiquidem ſpecialiora paſſim elaborationis præſidia omittuntur. Scopus autem libelli in eo conſiſtit, ut orbis politioris homines ſibi perſuadeant, chalybem, qui fit in Alſatia, Suecico & Germanico æquiparare, ac fortaſſis excellere. Ut huic ſuffragemur opinioni, impellimur nec experientia duce, nec argumentis in medium allatis. Quare eos publico nomine rogamus, qui ad judicium de hac re ferendum ſunt idonei, ut definiant, quantum diſcrepet ferrum crudum Alſatiæ ab eo, quod Germania & Suecia elaborant.

PROPOSITIONS OF NATURAL AND REVEALED Religion, &c.

hoc eſt,

PROPOSITIONES DE NATURALI ET REVElata Religione, quibus I) *exiſtentia,* II) *providentia, Dei demonſtratur,* III) *amplitudo intellectus noſtri, ratione materialium & ſpiritualium partium creationis, & infiniti ſpiritus, conſideratur;* IV) *divina inſpiratio Scripturæ S. probatur;* V) *doctrina de S. S. Trinitate ſine partium ſtudio examinatur; Autore JOANNE MOORE, M. A.*

Londini, typis Richardi Hett, 1736, 8.

Plag. 12.

Præfatio docet, revelatam religionem ratione longe excellere, ac inprimis Proteſtantium dogmata reliquorum Chriſtianorum ſcitis eſſe præferenda; neque vero eapropter diſſentientes odio, vel armis, perſequi licere. In *Propoſitione I* æterna rerum, ab alio pendentium, progreſſio removetur, nec genus hominum æternum eſſe, inde monſtratur, quod in dies creſcat. Experientia nimirum duce animadvertitur, numerum natorum ad numerum mortuorum ſe plerumque habere, ut 50 ad 40, aut ex aliorum ſententia intra 360 annorum ſpatium genus humanum duplicatur. Jam vero, ſi æternum fuiſſet, terra-

rum

rum orbis dudum incolas ſuos non potuiſſet capere. Infinita, dixeris, diluvia interceſſiſſe. At demonſtrari nequit, ejusmodi inundationes ex naturæ lege contingere; quodſi vero ex cauſa naturam excedenti producuntur, tum Deus admittitur. *Propoſitio II* iis reſpondet, qui, rebus creatis vim per ſe conſiſtendi inſitam eſſe, arbitrantur, donec divino Numini easdem deſtruere viſum fuerit, veluti res moveri cœpta, niſi impedimentum intercedat, ſemper movetur. At enim vero, quæ de figura & motu traduntur, ad materiam ipſam accommodari non poſſunt, cujus illa non niſi modi habentur. Motus communicatio, non ſecus ac gravitas, ab ente materiæ experti derivanda eſt. Fœcundius hæc omnia illuſtrantur ex radiorum lucis legibus, ex aeris elaſticitate, ex natura ſoni, plantarum, muſculorum corporis humani atque ipſius animæ, de qua in *Propoſitione III* latius tractatur, oſtenditurque, nos eorum, quæ ad materiam & ſpiritum pertineant, pauca intelligere, eoque minus ſpiritus infiniti naturam exploratam habere, &, quamvis lumen naturæ omnibus ita præluceat, ut nemo poſſit excuſari, qui legem nobis innatam transgreditur, attamen divina voluntas nobis diſtinctius declaranda erat, cujus patefactio expenditur in *Propoſitione IV*. Revelatio ſcilicet Veteris ac Novi Teſtamenti nulla premitur contradictione; adjuvat felicitatem; confirmata eſt miraculis veris, ſiquidem Deus non permittit, ut per falſa in errores abripiamur; & Apoſtolorum, a Deo afflatorum, teſtimoniis ſuſtentata, qui plane nihil fingebant. Etſi in ſacris literis nonnulla occurrunt, quæ rationem ſuperant; ea tamen fide ſunt digniſſima. Hujusmodi arcanis præſertim annumeranda eſt S. S. Trinitas, quam *Propoſitio V*, tanquam argumentum princeps hujus libelli, tractat. Diſputatur acriter adverſus unitarios, eorumque objectiones proponuntur, & ſolide refutantur. Dabimus quædam ſpecimina. Si divina Chriſti natura potentia & voluntate patris ab æterno producta eſt, aut ab alio a patre, aut ex patris eſſentia, aut ex nihilo, eam ortam eſſe oportet. Si ex alia ſubſtantia, a patre diſtincta, illa præexiſtere debuit, atque adeo hic non potuit eſſe ab æterno. Si ex nihilo, repugnantia admittuntur, quia non poterat exiſtere ab æterno, ſi unquam erat nihilum, aut

Pag. 20. 51. 77. 95. 114.

æternus

Pag. 118. æternus effectus voluntarius videtur esse æterna contradictio. Deinde negatur, filium Deum esse delegatum, cum ens finitum
121. omnia creasse dici nequeat. Si mundus per filium factus est, filius aut instrumentum tantummodo fuit, aut vera causa, si prius, Deus etiam vermem producere potuisset, qui mundum
138. crearet. Licet filius Deus esset substitutus, vel omnium spirituum creatorum excellentissimus, adorari tamen non deberet. Quodsi vero patrem per filium precamur, filium omnino adoramus. Errores denique evertuntur, quod Christus corpus humanum sine anima humana assumserit, & quod perfectiones, non patri tantum, sed & filio & spiritui, tributæ, ratione horum non nisi restricte accipiendæ sint, atque, his omnibus ex sacra Scriptura sat firmatis, & perspicue disputatis, *Propositionibus* finis imponitur.

LIBRI POST S. S. OPTIMI DE PRINCIPIIS MOsaicis, Autore Viro eximio, JOANNE HUTCHINSONO, Lemmata, sive Capitula, in Manuale philosophicum & theologicum juxta rerum descriptarum ordinem summatim dispositа, & Latina lingua donata, ab Autoris ipsius, nec non Archetypi ejus, studioso, T. P.

Londini, apud T. Green, 1734, 4.

Plag. 3.

Libelli aditum qui introspicis, non potes non stupere Præfationem paræneticam, qua juventuti Academicæ studium linguæ sanctæ inculcatur, eo quidem consilio, ut inde semina ac fundamenta Physices, quæ terræ texturam, ejusque cum aqua & aere cœloque habitudinem, contemplandam exhibet, spargantur ac tradantur. Mirabere vehementius novam hanc Cosmogoniam, simul ac intellexeris eas, quibus Theologi, Mathematici, & Philosophi Angliæ summi, inquinantur, contume-
5. lias. Arrige aures, Lector. Concionatur Autor hunc in modum: *Viri docti se in exquirendo usque novas scientiæ rationes ac modos exercuerunt, accumulantes nimirum sine fine sibi Doctores ac Dogmata, donec eo tandem ventum est, ut res nobis literariæ*

literaria neque ſecus, neque rarius, habitum mutarit, quam veſtiaria. Neque minus quidem ridicule. Ridicule vero ignoratur illud: *Heus, Pamphile, omnium rerum viciſſitudo eſt.* Prologus perſequitur nauſeam ſuam, eaque in eruditiſſimos Britannos ejecta, ſic concionatur: *Quomodo diſcurſantes a ſcholaſticis argutiis ad nugamenta mathematica, ab Enthuſiaſtica quadam Theologia ad frigida & ignava neſcio quæ ethica, a ſympathia, antipathia, & ceteris ejus farinæ deliramentis, ad Gravitatem, Attractionem, Elaſticitatem, Spiritum, res inanimas intus quidem animantem, hoc eſt, a qualitatibus occultis ad qualitates occultas, a vorticibus denique ad vacuum, id eſt, a nihilo a nihilum, velut æſtro quodam vagæ Philoſophiæ, ſeu potius ſophomoriæ, perciti, transfugimus? Unde evenit tandem, ut, qui ſimus, aut ubi ſimus, nos neſciamus ipſi. Interea & in re religionis de die in diem in pejus ruitum eſt. Vidimus enim proh pudor! ſacroſanctas Scripturas, veneranda illa Dei oracula, ab Arianis, Socinianis, Hobbiſtis, Colliniſtis, Tindaliſtis, aliisque id genus probris, aut palam impetita, aut perperam applicata: & quibus plerumque defenſoribus?* Oppugnatores & vindices veritatis ſacræ homo novus eodem loco deputat. Tum quidem pergit: *Diu, ab nimis diu, erratum eſt! Tempus eſt redeundi jam in viam. At quænam ea eſt via?* Interrogationi crederes ſubjectam de amplexanda, neſcio qua, communione reſponſiunculam. Sed fallimur. Sacris in literis, Veteris præcipue Inſtrumenti, quod Novi fundamentum, ponit illam viam, ita tamen, ut eas linguis antiquiſſimis conſcriptas verſes, volvas, revolvas. *Ex fonte Hebræo*, alloquitur juvenes, *pro Whiſtono,* Pag. 7. *Clarkio, Woolaſtono, pro Ariſtotele, Carteſio, Newtono, eorumve aut affectis quibuslibet, aut adverſariis, Deum ipſum audietis vos alloquentem.* Addit idem, Deum in Hebræo V. T. fonte *arcana naturæ* ac Theologiæ facere palam verbis eis, quæ ideas fundant fundentque certas atque abſolutas. Quæris, credimus, quale Autor ſpecimen artis ſuæ dederit? Merito quæris. En exempla, e quibus, veluti ex ungue leonem, cognoſces. Per *cælos* & *terram* (Gen. I, 1,) intelligit corpuſcula materiæ, in 9. aeriis & terreſtribus circumferentiis contentæ, e nihilo divini-

tus facta, quæ initio in chao ſua exſtiterint. *Caligo* חֹשֶׁךְ ei eſt aer, nondum motu aliquo gaudens, in aquarum cavum ita detruſus, ut locum & nomen abyſſi fuerit ſortitus. *Spiritum Dei* (v. 2) exponit per aeres in ſuperficie tum interiore, tum exteriore, jam primum motu donatos a ſpiritu divino immediate operato, quo motu partes tenebrarum, ſeu aerum tenebroſorum, ad proximam ſui mutationem aptatæ fuerint. *Aquam* putat ſignificare chaos terreſtre, ſeu lutoſam terræ cum aqua mixturam. Cur vero Ebræi aquam vocant מַיִם in numero duali? Autor reſpondet, ita fieri ob ſitum & conditionem illam aquarum trinam, quæ juxta earum revolutiones ex abyſſo per terræ fiſſuras in atmoſphæram, & ex atmoſphæra per fluvios ac maria denuo in abyſſum, paulo poſt eis fuit aſſignanda. Eadem ratione in voce שָׁמַיִם (cœlum) trinam ignis lucisque ac ſpiritus conditionem, ipſis itidem aeribus jam mox inde deſtinatam, latere contendit. Vocem רָקִיעַ (expanſum) exponit per fluidum, liquidum, ſeu tenue, in exteriori ſimul & interiori ſphæræ iſtius lutoſæ facie formatum, terram firmiter comprimens, in ſphæram intus cavam, diſpertiens aquas tum in inferas, tum in ſuperas, reſpectu ſui & terræ. Per *cœlos cœlorum* intelligit duas expanſiones, unam in ſuperficie terræ, alteram in centro terræ, eo tempore poſitam. Geneſin diluvii ita demonſtrare conatur: *Deſcenſus aerum in locum abyſſi adſcenſusque aquarum abyſſi in locum aerum deſcendentium cauſa erat pluviæ excitandæ.* Provocat eo nomine ad *Gen. VII, 11*, nec figuras omittit, quibus ſignificatus & poteſtates vocum illarum illuſtret. Tu vero, Lector, de inſtituto hoc quid ſentias, pronuntia.

DISSERTATIONES SELECTÆ IN SCRIpturam ſacram, Autore JODOCO JOSEPHO PLUMYOEN, Eccleſiæ Cathedralis Iprenſis Canonico Graduato & Pœnitentiario.

Ipris, apud Petrum Jacobum de Rave, 1735, 8.

Alph. 2 plag. 1.

Studia

Studia exegetica sacra inter illos, qui ecclesiæ Romanæ sunt addicti, quoque fervere, læti prædicamus, & hoc ipso Opere, quod operam haud exiguam spirat, satis superque convincimur. Dedicationis formula fuit directa ad Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum D. *Guilielmum Delvaux*, sextum decimum Iprensium Episcopum, qui Vlierbekani Cœnobii Abbatem, decisionibus Pontificiis liberius refragantem, a dignitatis suæ officio suspensum, in Gemblacense monasterium jussit amandari, eoque decreto sibi aditum ad insulam Episcopalem aperuit. Dissertationes, quas lectori Ven. Autor exhibet legendas, inscriptæ sunt 1) *de tempore, quo Judithæ historia contigit;* 2) *de situ Bethuliæ;* 3) *de Assvero Estheris;* 4) *de Babyloniorum, Assyriorum, Medorum, Regibus;* 5) *de septuaginta annis servitutis Babylonicæ, ubi & de postremis Chaldæorum Regibus exponitur;* 6) *de septuaginta hebdomadibus Danielis;* 7) *de annis Nativitatis, Baptismi, & Mortis Christi;* 8) *de ultimo Christi Paschate;* 9) *de quatuor Danielis Monarchiis.* Historia *Judithæ* multis certe circumfusa est difficultatum nodis. Res huc redit. Scriptor sacer tradit, Bethuliam ab *Holoferne* obsessam, a *Juditha* liberatam anno 13 *Nabuchodonosoris*, Assyriorum ac Ninevęs Regis, *Cap. II, 1*, occiso Rege *Arphaxado* Medorum, qui condidit Ecbatana *I, 1, 5*, stante templo *IV, 2*, post reditum Judæorum ex aliqua dispersione & captivitate, *V*, 2, diuturna multorum annorum pace in Israelitide liberationem illam subsecuta *XVI, 30.* Quoniam vero conditor Ecbatanæ fuit *Dejoces*, teste *Herodoto*, vix unica datur sententia, quæ singulis momentis enumeratis facit satis. Autor quidem *Phraorten* putat Ecbatanam amplificasse & muniisse. Sed numquid is ideo condidisse eam potest perhiberi? *Calmetus* ipse, qui difficultates illas expendit, credidit, Autorem libri *Judithæ* addidisse de suo nonnihil ornamentorum. Sed eum studet refellere Ven. Autor, negans, historiam *Judithæ* ad tempora *Darii Hystaspidæ*, aut *Xerxis*, referri posse. Ad ætatem *Artaxerxis* eam esse rejiciendam, multo minus arbitratur. Studet porro argumentis comprobare, illam sub *Zedekia* ante captivitatem Babylonicam non contigisse. Sententiam, *Judithæ* historiam ad *Josiæ* tempora referentem, probabilibus

Pag. 1. 2. 4. 8. 12. 13 seq.

bilibus defendit ratiocinationibus. Præfert tamen opinionem
ſentientium, eam eveniſſe regnante *Manaſſe*, ac, repudiatis
Pag. 17. *Calmeti*, *Montfalconii*, & *Turneminii*, ſententiis, ſuam expro-
mit ac corroborare conatur. At cur nulla in libro *Judithæ* de
Manaſſe injicitur mentio? Reſpondet Noſter, eum eo tempore
30. adhuc fuiſſe in vinculis. Probabilior autem ea ipſi videtur ſen-
tentia, quæ dictitat, *Manaſſen*, tum in muniendis Hieroſoly-
morum mœnibus occupatum, *Eliakimo*, ſummo ſacerdoti, reli-
31. quam regni curam tradidiſſe. Templum haud fuiſſe ſolo æqua-
tum, ſed tantum profanatum antea, oſtendit ex *Cap. IV*, 2, ideo-
33. que de captivitate Babylonica haud eſſe accipienda *Achioris* ver-
ba, *Cap. V*, 22, 23, perſcripta, contendit. Judæorum multos, *Ma-
naſſe* in captivitatem abrepto, ſimul fuiſſe captos, templumque
profanatum, putat, reſpiciens potiſſimum ad *Eſ. XXII*, ubi id
exilium principibus Judæorum ac *Sobnæ*, templi præfecto, com-
mune denuntiatur, in quo ipſe *Eliakimus* fato conſimili expo-
35. ſitus, reſtituendus tamen priori dignitati, legitur *v. 20-24*. Aſſy-
rios putat *Manaſſen* tum ad *Aſſaradinum*, Babylone agentem,
36. abduxiſſe, ac hunc ab *Aſſaradino*, adverſus *Phraorten* movente,
ſub *Meſeſſimordaci* Regis clientis cuſtodia relictum eſſe; Baby-
lonios vero, mortuo *Meſeſſimordaco*, contra *Aſſaradinum* re-
bellantes, ut novos ei hoſtes opponerent, *Manaſſen* primores-
que Judæorum apud ſeſe detentos, impio *Sobna* jam in vincu-
lis defuncto, unaque populum, in vicina Babyloni loca aman-
datum, exacto exilii anno in patriam remiſiſſe, ac tunc demum,
collecto omni populo, *Eliacimum* reducem & vaſa ſacra & al-
37. tare & templum ipſum a profanatione purgaſſe ac inauguraſſe.
Mirum ſane, in libris *Regum* ac *Paralipomenon* hæc templi fata
41. non fuiſſe literis prodita. *Aſſaraddonem* Noſter cum *Nabucho-
donoſoro Judithæ* credit fuiſſe eundem. Deinde alia ratione
quoque difficultati huic conſulit, diſtinguendo *Aſſaradonas* duos,
43. patrem & nepotem, ac collocando inter utrumque *Nabuchodo-
noſorem*, primi filium, alterius patrem. *Aſſaradona* priorem exi-
ſtimat exſtitiſſe *Sennacheribi* ſucceſſorem, *Sargon* dictum ab
Eſaia XX, 1, qui duce *Thartane* Azotum cepit; poſteriorem pu-
tat fuiſſe *Aſenapharem illum magnum & glorioſum Eſdr. IV*, 2, 10,

ac

ac *Ptolemæi Assaradinum*. *Neuvillæus* conjecerat, *Nebucadnezarem* libri *Judith* fuisse *Saosduchinum*. Noster vero, rationibus chronologicis sese tantum valere, credit, ut merito ea sententia videatur rejicienda. *Arphaxad Judithæ*, ipso judice, fuit Rex Medorum *Phraortes*. *Cyaxarem* secundum, *Astyagis* filium, ex *Xenophonte* desumtum, admittit. Atque, ut mentem suam clarissime prodat evolvatque, chronologiam Regum Mediæ ita instruxit: Pag. 47. 55. 57.

761	*Dejoces*	53	
708	*Phraortes*	22	
686	*Cyaxares*	21	40.
665	Scythæ Asiam vastant	28	
637	*Cyaxares I* iterum	19	
618	*Astyages*	35	
583	*Cyaxares II* solus	23	
560	*Cyaxares* idem regnat cum *Cyro*		

201

Addit deinde expositionem tabulæ chronologicæ, intelligendo *Judithæ* libro inserviturum. Conjecturis hic sæpius esse aliquid dandum, quis dubitabit? *Bethuliam* vero negat sitam fuisse in tribu Simeon, eo quod *Holofernes* astra metatus fuerit ad Dothain & Esdrelon circa Bethuliam. *Calmetus* contra sic sensérat. Verum id extra dubium est positum, *Holofernem* exercitum distribuisse inter *Gaba*, seu Gabathon, & Scythopolin, uti est in Græco *III, 14*. Inde Bethulia non multum abfuit, ut patescit ex *VI, 7, 8, 9, 10, VII, 1*. *Belthem*, seu *Belmais*, urbs, Autori haud satis cognita, indubie fuit *Abel Mea*, alibi *Balamo* dicta. Situm urbis Dothaim, quæ & *Dothain* & *Dothæa* dicitur, ipse ad veritatis normam expressit, merito explosa *Kerkherderi* distinctione, qui putavit interesse Dothain inter ac Dothaim. Dum vero Rev. Autor arbitratur, loca *Belthem* & *Cyamon* esse obscuriora, quam ut certi aliquid ex eorum situ ad determinandum Bethuliæ situm exsculpi possit, nobis ipse videtur justo timidior, licet, deinceps sese emendaturus, Belthem pro *Bethleem* in tribu Zabu-

58 seq. 65. 66. 67. 68. 73. 75.

lon ac Cyamon ex *Cadmon* corruptum, reputet. Quidni enim vulgatum interpretem hic ſecutus eſt, qui ex correctiori Græco contextu, quam is eſt, quo nunc utimur, ſua tranſtulit? Hic nomina Græca Βελμὲν, Βελμαΐμ, & Βελδὲμ, continuo reddidit *Baalmaim*, quæ eſt ipſa Balamo, ſeu Abelmea, Bethuliæ ſeptentrionalis ad Orientem poſita. *Cyamon* autem eſt *Cammona*, vicus olim in campo magno 6 milliaribus a Legione verſus ſeptentionem ſitus. Situs loci utriusque cum opinione Autoris ſatis apte conſpirat. Objiciunt alii, Bethuliam hanc ſeptentrionalem haud alibi commemorari. Suſpicamur tamen, eam
Pag. 75 a *Betheked* haud differre. Objiciunt porro, *Judithan* e tribu
ſeq. Simeon fuiſſe exortam, non minus ac maritum ejus *Manaſſen*. Sed de *Manaſſe* id nemini, ut credit Autor, poterit perſuaderi idoneis [a]) argumentis. Quid vero obſtat, quo minus tum, Iſraelitis in exilium abreptis, Simeonidæ in Iſaſcharitide habitaverint? Non negamus, Diſſertationem hanc reliquis ſcriptis, quæ ſuper eadem re conſuluimus, palmam præripere, licet id quoque ingenue fateamur, librum *Judithæ* non ad fidem hiſtoricam eſſe exigendum. Deſcribi in eo ſub umbra rei olim geſtæ victoriam Maccabæorum de *Antiocho Epiphane*, dubitamus nulli. *Jehudith* eſt *Judæa fœmina*, ſymbolum gentis Judaicæ ac Palæſtinæ. Maritus ejus *Menaſſeh* מנשה eſt is, qui ejus virtutem exercuit, *tentavit*, & probavit, Deus. *Nabuchodonoſor* eſt ſymbolum *Antiochi Epiphanis*. *Profanatio templi* ſub *Antiocho* duravit $3\frac{1}{2}$ annos, eisque elapſis ceſſavit, ſuccedente novo inaugurationis ritu [b]) ac ad ejus memoriam feſto initiationis. Nulla templi profanatio contigit, regnante, vel captivo, *Menaſſe*. Res illa fuiſſet utique maximi momenti, haud profecto omiſſa, ſi qua eveniſſet, a ſcriptoribus ſacris. *Jehudith*, ſeu gens Judæa, eam ob cauſam dicitur fuiſſe vidua per $3\frac{1}{2}$ annos *Jud. VIII, 4*. Illi afflictionis anni $3\frac{1}{2}$ adeo perculerant Judæorum animos, ut ipſi rerum triſtium fata communia poſthæc eis indicaverint. Quinque eo fine congeſſit teſtimonia *Joannes Lightfootus* in *Chorographia, Joanni præmiſſa, Cap. 6 §. 4 pag. 950.*

a) Sed id affirmatur in Græco *Judith. VIII, 2.*
b) *Joſephus B. Jud. I, 1.*

950. Quare in *Apocalypſi Joannis* menſes 42 fatales, ac dies 1260 calamitoſi ex ejusdem *Antiochi* devaſtatione, ejusque intervallo temporis, veluti ex figuræ fundamento, fuerunt deſumti. *Betuliah* eſt *virgo Dei*, Hieroſolyma. In planitie ad eam *Gorgias* victus fugatusque. Hæc clades repræſentata fuit per *Holofernem*, Bethuliæ imminentem, intra planitiem *Eſdrelon*, ſed capite a *Juditha* privatum. Magnitudo caſtrorum *Holofernis* facile eſt indicio, ſchema adeſſe, quo res conſimiles adumbratæ fuerint. Quis erit tam impudens, ut aliis eat perſuaſum, *Aſſaradinum* fuiſſe dominatum in Delta Ægyptiacum ac Æthiopiam remotiorem *Jud. I, 9*. Quis oſtendere audebit, *Arphaxadum Judithæ* fuiſſe *Dejocem*, Medorum Regem? Undenam pugna exponetur, qua *Arphaxadus* a *Nabuchodonoſore* fuit devictus? Si vero per *Arphaxadum* intellexeris *Phraorten*, qua, quæſumus, fronte oſtendes, hunc fuiſſe Ecbatanæ conditorem? Et qui ante exilii Babylonici initia *templum Judæorum ſolo fuit æquatum*, ἐγενήθη εἰς ἔδαφος? Id vero *Achior* refert, *Jud. V, 18*, qui certe in modum Judæi, non Ammonitæ, loquens inducitur. Omittimus argumenta alia non pauca, quæ ſunt indicio, librum *Judithæ* eſſe drama pium & hiſtoricum, alio ſub ſchemate propoſitum, quo liberatio Judaicæ gentis ab *Antiochi Epiphanis* invaſionibus ſævis illuſtretur. Progredimur potius ad Diſſertationem Autoris, de *Aſſvero, Eſtheris* marito, inſcri- Pag. 89
ptam. *Cambyſen* exſtitiſſe eum, negat. *Darium Hiſtaſpiden*, ſeq.
Xerxem, *Artaxerxem Longimanum*, *Artaxerxem Mnemona*, & *Ochum*, fuiſſe *Eſtheræ* maritum, inficiatur. *Aſſverus* enim 97.
ſolutam Babylonicam captivitatem ætate anteceſſit, ſiquidem *Mardochæus* una cum reliquis Judæ principibus *Nebucadnezaris* juſſu in exilium fuerat abſtractus. Qua ratione inductus Cel. Autor, *Darium* Medum, *Danieli* memoratum, *Eſtheræ* fuiſſe maritum, oſtendere conatur, addens, mentionem *legis Perſarum ac Medorum* ne quidem ad *Cyrum*, Regesque Perſidis, ſucceſſores ejus, quadrare. *Cyaxarem Xenophontis* eundem, ac 104.
Darium & *Aſſverum*, exſtitiſſe, conficit argumentis ſat probabilibus. *Cyaxarem* voluptatibus ac fœminarum pulchritudine irretitam agitaſſe vitam, teſtis omnino *Xenophon Cyropæd. IV*
fin.

fin. Cum vero Rev. P. *Turneminius Aſtyagem* contenderit eundem eſſe ac *Darium* Medum; ejus argumenta extricat Noſter,
Pag. 107 eisque contradicit. Diſſertatio, quæ porro ſuccedit, de Ba-
ſeq. byloniorum, Aſſyriorum, ac Medorum, Regibus inſcripta eſt. Inprimis ad *Cteſiæ* & *Herodoti* autoritatem inter ſeſe conferen-
149 ſeq. dam Ven. Autor ſe accinxit. *Cteſiæ* fidem in Aſſyriacis rebus a veteribus ſperni ſcriptoribus, pernegat, ratus tamen, *Herodoti*
152. hiſtoriam ſacris literis exactius reſpondere, quam *Cteſiæ*. Regulos illos, qui Pentapolin aſphaltiticam deprædati ſunt, Autor mo-
153 ſeq. re ſolito inter Elamitas, Babylonios, Ponticos, & Gentes, inveſtigat. Si ad ætatis illius indolem reſpicimus, quatuor urbium reguli ex eis elucent. Eam eſt Chelam in Batanæa, Aramæorum provincia, cujus caput erat *Paddan*, ſeu *Betonim*. *Sinear* quidni *Seriane* fuit, ultra Antilibanum poſita? *Ellaſar* & *Thallaſſar* videtur fuiſſe Syriæ Lariſſa. *Gojim* fuit antiqua urbs Galilææ, *Chazor*, *Azor* alibi dicta, unde *Galilgojim* dicitur Galilæa ſeptentrionalis. Præterea de *Nimrodo*, ejus ſucceſſoribus, Regibus Babyloniorum variis, de *Belocho*, de *Atoſſa*, ſeu *Semiramide*,
189. Aſſyriorum & Babyloniorum Regina, de *Phule*, ſeu priori *Sardanapalo*, de *Theglath Phalaſare* & *Salmanaſare*, de canone,
213. *Ptolemæi*, de *Sennacheribo*, de ultimis Aſſyriorum Regibus & ruina Nineves, ac momentis geographicis bene multis, copioſe idem diſſeruit, adjecta tabula chronologica, quam in præſens
221. examinare haud vacat. Si affirmaverimus, in rebus hiſce antiquiſſimis pleraque, quæ extra ſacras literas occurrunt, eſſe dubia, vaga, & obſcura, fortaſſis a janua haud aberramus. Ini-
226 ſeq. tium 70 annorum ſervitutis Babylonicæ negat ab anno *Joſiæ* 13 deducendum eſſe, vel a captivitate *Joachini*, vel ab undecimo *Sedekiæ* anno, oſtendens potius, primordia ejus in quar-
230. tum *Joakimi* incidere annum. Finem ejus epochæ reſpondere ipſi Judæorum ſub *Cyro* in patriam reditioni, contendit. Ex-
232. ponit tum de poſtremis Chaldæorum Regibus, qui tempore
235 ſeq. ſervitutis Babylonicæ ſummam rerum apud Judæos fuerunt moderati. In Commentatione de ſeptuaginta hebdomadibus *Da-*
301. *nielis* commonſtrat, veniſſe Meſſiam in Lege promiſſum, Judæorumque doctores, diverſa opinatos, ſecusque ſtatuentes,

admo-

admodum halucinari, nominatim R. *Salomonem Aben Esram*, *Orobium*, quorum deliramenta refellit. Expendit deinde varias de 70 illis hebdomadibus scriptorum Christianorum opiniones, *Joannis Marshami*, *Joannis Harduini*, *Calmeti*, veterum, atque totus in eo est, ut ostendat, septuaginta hebdomadas esse computandas non a septimo, sed a vigesimo, *Artaxerxis Longimani* anno, eas annis mere lunaribus haud constare, vigesimum vero illum *Artaxerxis* annum ab illius in Regem cooptatione esse arcessendum. Suffixit tractationi huic tandem pro more tabulam chronologicam, quæ ad obsidionem, qua *Titus* Hierosolymam infestavit ac evertit, perducta est. Ut annum natalis Christi eruat, de initio Regni *Herodis* ante omnia dispicit, & de anno obitus *Herodis* commentatur. Natalem vero Christi in annum ante æram vulgarem tertium collocat, quo Consules *Cn. Cornelius Lentulus* & *M. Valerius Messalinus* summæ rerum penes Romanos præfuere. Ingreditur differere de *Cyrenio*, seu *Quirinio*, Syriæ Præside, ac loco *Lucæ II, 2.* Curtate porro disputat de anno Baptismi Christi, ac præcipue de quinto decimo *Tiberii* imperantis anno, ejusque exordio. Pronuntiat paulo post, baptismum Christi anno æræ vulgaris 28 esse assignandum. Eundem sospitatorem morte piaculari defunctum esse anno æræ vulgaris 31, contendit, multumque laboris impendit solvendis eis, quæ ipsi obstare videntur, argumentis. De supremo Christi Paschate Autor ita sentit, ut eos refellere studeat, qui, Jesum prævenisse tempus legitimum, credunt, nominatim *Calmetum*, Græcos. In tractatione de quatuor *Danielis* Monarchiis tramutem, aliis consuetum, in exponendis prioribus bestiis tribus sequitur. Bestiam quartam, vel regnum Macedonicum, sub *Antiocho Epiphane*, Judæorum persecutore, vel imperium Romanum sub Imperatoribus, Christianorum insectatoribus, exstitisse, pronuntiat ac definit. *Caput undecimum Danielis* de Syriæ Regibus, ac Ægyptiorum Lagidis, ad *Cleopatram* usque dominatis, exponit. Veritati vim inferremus, nisi ingenue fateremur, multum judicii, plurimum ingenii, summamque industriæ laudem, in hisce Dissertationibus selectis utramque complere paginam. Gratulamur

Pag. 327. 385. 403. 424. 437. 452. 458. 475. 508. 590. 602. 634.

merito ætati noſtræ, qua Chriſtianorum doctores e fontibus genuinis expoſitiones ſacrarum literarum norunt derivare.

COMMENTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA de gemino Judæorum Meſſia, qua variæ Judæorum ſententiæ de Meſſia generatim, nominatim vero de duplici Meſſia, recenſentur; ſententiæ Chriſtianorum de hoc commento modeſte examinantur, & nova ſententia, placitis Talmudiſtarum ac Rabinorum congruens, ex ipſis eorum ſcriptis proponitur; Autore JUSTO MARTINO GLÆSENERO, *S. S. Theol. Lic. & ad D. Andr. Paſt. Hildesheim.*

Hildeſiæ & Lipſiæ, ſumtibus Bernh. Chriſtoph. Breitkopffii, 1738, 4.

Alph. 1 plag. 4.

Judæi, *Antiocho* ab *Epiphane* miſere habiti, Philoſophiam Græcorum cœperunt excolere, ſenſimque a fide & doctrina avita deflexerunt. Effuſa tandem fuit ſpes ipſorum in Meſſiam, conſpicuum & magnificum hujus mundi Monarcham, Judæorum regem externum. Liberationis, quam exoptabant ipſi, deſideria acceſſionibus ditarunt notiones illas, quibus de Meſſia perſuaſiones ſuas enuntiare conſueverant. Ex errore hoc prolapſi fuerunt ad fictiones alias, quæ obſtiterunt, quo minus Meſſiam Jeſum ſuſcipere, ac in Regem deligere animarum, valuerint. Ipſius forma ſervilis parum ipſis probatur. Error Judæorum poſtea latius ſerpſit, ac ipſi opus redemtionis, per quam ſeſe in externam libertatem & dominatum ſpectabilem aſſertum iri credunt, duos inter Meſſias partiri didicerunt, filium *Joſephi*, ſeu *Ephraimi*, & filium *Davidis*, quorum ille miſeriis exantlandis erit accommodatus, bellumque recuperandæ Palæſtinæ cauſa aggredietur, hic vero perficiet, ac penitus propulſabit. Edidit Pl. Rev. Autor jam in *Biblioth. Brem. Cl. VIII Faſc. 5 pag. 810* ante annos aliquot de gemino Judæorum Meſſia ſpecimen, in quo, ſemina opinionis, de gemino illo Meſſia divulgatæ, impulſus a Targumiſta nugivendulo (ad *Cant. IV, 5.*)

IV, 5,) ex comparatione cum ſervitute Ægyptiaca, quam *Moſes* & *Aharon* ſuſtulerunt, derivata eſſe, crediderat. Quæ Autoris ſententia cum minus probaretur *Theodoro Haſæo*, hic ei Διάσκεψιν, qua fundamentum traditionis Judaicæ de Meſſia *Joſephi* filio inveſtigatur, oppoſuit *pag. 482 ſeq.* Quod ipſum Autorem commovit, ut denuo ſententiam ſuam ſub incudem revocaret, ac ex parte immutaret. Commentationis ſummam hanc habe. Diſſerit Autor in ea, inprimis *Capite primo*, de variis Judæorum ſententiis, quas hi de Meſſia ſpeciatim fovere, ac cum aliis communicare, ſolent. *Capite ſecundo* ſententias Chriſtianorum de gemino illo Meſſia, quotquot quidem potuit reperire, ordine recenſuit, ac paſſim rationes, cur ab eis diſſentiat, expromſit. *Capite tertio* commentum illud inde a capite & ex primis uſque fontibus ſtaminibusque arceſſivit, teſtimoniis Judæorum ſeſe probe præmuniens. Accedunt Notæ & Obſervationes uberrimæ, quibus dogmata, paſſim commemorata, illuſtrantur, ac ſacri Codicis loca illuminantur. Ut Judæi in doctrina de Meſſia poſt Prophetarum mortem halucinari Pag. 3.
cœperint, id effecerunt, judice Noſtro, & neglectus religionis, & perverſum philoſophandi ſtudium, & deſiderium pacis ac libertatis tot inter bella ac diſſidia, & beneficia Meſſiæ, a Prophetis ſymbolo rerum terrenarum adumbrata. Addimus, dari Judæos, qui Meſſiæ regnum reputent pro ſpirituali, ac nihilo minus Meſſiam noſtrum repudient. Ipſi enim omnino ita ſunt diſcordes inter ſeſe, ut unus ipſorum id neget, quod alter affirmat. Ne vero credamus, Autori eſſe animum perverſas Judæorum de Meſſia opiniones ſub examen revocare, impedit ipſius promiſſio, qua refutationem errorum Judaicorum in poſterum rejicit tempus, promittens, ſeſe in publicam 4.
lucem eſſe enixurum Diſſertationem, ſeu librum, ut liquido ex ſcriptis Judæorum, Jeſum eſſe verum Meſſiam, & religionem Chriſtianam eapropter eſſe veram, conſtet, & quaquaverſum innoteſcat. Apprecamur eo fine Autori valetudinem vegetam, viresque inconcuſſas. Doctrinam, qua Judæi, venturum eſſe Meſſiam, Regem externum, ſibi perſuadent, *Maimonides* inſeruit dogmatum cardinalium numero, primus illorum, qui

radices religionis ipſorum in ordinem redegerunt. Hic potiſſime urſit loca *Num. XXIV, 17*, & *Devt. XXX, 3*. R. *Bechai* inſiſtit
Pag. 7. loco *Eſ. XXVIII, 16*, quo de lapide Zionis agitur fundamentali. Conſentiunt *Abarbanel*, *Menaſſeh ben Iſrael*, pluresque ex gente recutita. Alii contra, numero haud exigui, dogma illud, quo *Maimonides* adventui Meſſiæ ſuos eſſe intentos ſtatuit, ex numero doctrinarum cardinalium eximere & ejicere ſtuduerunt, nominatim R. *Joſeph. Albo*, exempli loco ad R. *Hillelem*, qui
8. futurum Meſſiam haud crediderit, provocans; *Tobias*, Medicinæ Doctor in libro: מספר העורמות או מעשה סוביה,
11. Venetiis primum edito, deinde Jeſuitii A. 1721 recuſo; R. *Simeon Kajira* in libro *Halachot gdolot*, teſte *Abarbanele* in *Roſch Emunah Cap. 22 fol. 30, 1*, & alii. Ne vero Judæi Naturaliſtæ & Philoſophi a plebe derideantur, odioque proſcindantur, fucum hoc pacto ſuis faciunt, ut, ex ſacro Codice V. T. quidem de inſtanti Meſſiæ adventu nihil proferri poſſe, credant, de
12. reliquo eum ex Cabbala innoteſcere exiſtiment. Nec dubitamus, quin de hoc grege exſtiterit veterator ille Judæus, quo
13. præeunte interpres Wertheimenſis fuit uſus. *Tobias* ſatis clare: *Sunt quidam ex Commentatoribus Gemaricis, qui putant, omnia de Chriſto pronuntiata vaticinia jam eſſe impleta in diebus Hiſkiæ, Regis Jehudæ, ſive ſub templo ſecundo, ſive*
14. *in diebus Haſmonæorum.* De tempore adventus Meſſiæ admodum diſſident Judæi invicem. Multi, id jam effluxiſſe, credunt. Qui dies Patriarcharum dixerunt ימי תחו, peccant in *Jo. VIII, 56, Luc. X, 24*, & *Ebr. XI.* R. *Salomo Iſacides* credi-
17. dit, 2000 annis a lege promulgata elapſis debuiſſe Meſſiam venire, cauſatus vero cum reliquis contribulibus, peccata Judæorum, quo minus venerit, fuiſſe impedimento. At quid futurum eſſe cenſebimus, cum in dies peccata eorum creſcant? De eis, quibus nomen fuit *Hillelis*, diſſerit Autor *pag. 18 ſeq.* R. *Hillel* in Tract. *Sanhedrin fol. 99, 1*, dicitur credi-
18. diſſe, Meſſiam jam veniſſe. Impoſitioni manuum Judæi jun-
20. xerunt eam dignitatem, qua vocati fuerunt *Rabbi*, ſed poſt Chriſti tempora. Tradebant novo Rabbino Judæi clavem & pupillares, clavem ſcilicet ut ſignum referandi & aperiendi aliis myſteria,

mysteria, qui ritus jam tempore Christi viguit. Confer *Luc. XI, 52, Matth. XXIII, 13.* Unde Christo ansa fuit subnata, dandi suis clavem & solventem & ligantem, id est, recludentem & claudentem, quemadmodum nonnullis videtur. R. *Gedalia* terminum adventus Messiæ fixit in anno mundi 4250. In Talmud Hierosolymitano Tract. *Berachot fol. 5, 1,* commemorarunt Judæorum doctores, Messiam jam tum natum esse, patriamque habuisse Bethlehem. Consentiunt alii. Ubinam vero Messias existat, Judæi non audent fateri. Alii perhibent, eum commorari in horto Eden, ac addunt, animas, antequam corpora generantur, jam exstare, ac de Messia agi in *Es. LIII, 5.* Alii putant, eum quidem natum, sed nondum patefactum, esse. Maxima vero Judæorum pars, Messiam adhuc venturum esse, sibi persuadet. Qui certum hujus adventus posuerunt tempus, fefellerunt & sese & alios. Alii, ut rationem reddant, cur Messias nondum venerit, ridicule proferunt causas, easque nugatorias. De duplici, seu gemino, Messia præcipue consulenda sunt loca, *Succa fol. 52, 1, Jalkut* ad *Zach. XII, 10, Breschit rabba* ad *Gen. XLIX, 14, Jalkut Simeonis P. II ad Ps. II, fol. 90 - 2, fol. 32, 4, Jalkut chadasch fol. 132, 2, Targumista* ad *Cant. IV, 5, VII, 3, Targumista, Jonathan* falsus, ad *Ex. XL, 11, Sohar fol. 203, 2, & fol. 25, 2, fol. 19, 3,* cujus Autor somniis allegoricis sese oblectavit. Cabbalistæ, Messiam, *Davidis* filium, ipsum fore *Davidem*, somniant. *Aben Esra* per angelum præcursorem, de quo *Mal. III, 1,* agitur, Messiam, ad eum locum commentatus, intellexit *Ben Joseph.* Alii filium viduæ *Sareptanæ* (*1 Reg. XVII, 17 seq.*) pro Messia filio *Josephi* venditant, eumque credunt fuisse *Jonam* Prophetam. Plura de utroque Messia congessit R. *Machir* in libro, quem appellavit אבקת רוכל, *pulverem pharmacopolæ aromatarii,* cujus *Partem primam* commentario instruxit ediditque *Antonius Hulsius.* Ipse, Messiam *Josephidem* in prælio adversus *Gogum* ac *Magogum* suscipiendo occubiturum esse, retulit, commemorans signa decem, quæ Deus ante Messiæ adventum sit editurus. Quæ *Jonathanis* in paraphrasi de lapide marmoreo & monstro, Romæ asservato, occurrunt, ea a supposititia Rabbini manu sunt in-

Pag. 22. 23. 27. 30. 31. 33. 39. 46. 52. 56. 59.

Pag. 61. ſerta. Per *monſtrum* vero illud, virginis formam referens, intelligimus imaginem in lapidem ſculptam, quam Romani de plebe olim expoſuerunt de *Joanna Papiſſa*. *Armilla* enim eſt diminutivum ex *Armgarda*, voce veteri, & cognomine fœminarum. *Armilus*, ſi conjecturæ locus, eſt fœmuncula, virum referens. Ejus ſub involucro R. *Machir* Pontificem Romanum notare voluit, quod ipſum ex ſigni ſeptimi declaratione quam facillime pateſcit. De reſurrectione, Judæorum ex ſententia, multa
75. diſſeruit Autor, lectu ſane digna. De ſtatu ſub Meſſia exo-
99. rituro Judæi tam varia tradunt, ut in eis deprehendere te credideris *ſcopas diſſolutas*. Obiter ſignificamus, Autorem in eo
105. eſſe, ut conſcribat librum, quo oſtenſurus eſt, ſub fabulis Talmudicis Judaicisque latere arcanam rerum ſapientiam. De nonnullis id credimus recte pronuntiari, ita tamen, ut, recutitos cæcos & vecordes ubique in ſapientiæ ſolio reſidere, vix fiat veriſimile. Quis dixerit, Judæos fabulas ſuas ulla probabili & ad ſapientiam compoſita ratione auſuros exponere? Græci & Latini antiquiſſimas ſuas fabulas ita adulterarunt recitando, haud ſecus ac Judæi ſuas, ut tandem nullum ſuppetat filum Ariadnæum, quo ad ullam convictionem progredi liceat. Origo utique ad hieroglyphica, & ad ea ſecula, eſt referenda, quibus gentes carebant alphaphetica ſcribendi ratione, & quibus unico ſigno integram exprimebant ideam. Sed procedimus cum Autore ad originem fabulæ de gemino Meſſia. Illa *Campegio*
115. *Vitringæ* videtur eſſe obſcura. Alii credunt, ex vaticiniis de humilitate ac gloria Chriſti, quam Judæi in una perſona morari poſſe negaverint, geminum ab eis confictum fuiſſe Meſſiam. Quæ
118 ſeq. ſententia minus probatur Noſtro, ſiquidem ad Chriſti uſque natales Judæi de unico Meſſia expoſuerunt prophetias. In Targumiſtis vetuſtis certe nulla ejus commenti exſtat vel vola, vel veſtigium. Alii, unius Meſſiæ munus geminum parabolice ſic fuiſſe adumbratum, arbitrantur; ſed quæ ſententia facile diſpellitur. Ven. Præpoſitus *Hermannus van der Hardt*, Meſſiam dici filium
131. *Ephraimi* ob amorem Dei patris in ipſum derivatum, adductus loco *Jer. XXXI, 20*, credidit. Sed nec hoc ad Judæorum teſtimonia de gemino Judæorum Meſſia quadrat. M. *Seb. Jacobus*

cobus Jungendres fabulam illam verporum ita interpretatur, ut ipſi Chriſtianos hac ratione ludibrio voluerint excipere, amplexos quippe Joſephidem illum inopemque Meſſiam. Sed hoc prorſus eſt incredibile. *Theodorus Haſæus* credidit, Meſſiam filium *Joſephi* ex eo capite eſſe excogitatum, quo Chriſtus noſter habitus fuerit pro filio *Joſephi*. Sed quid hæc faciunt ad filium *Ephraimi*? Fabula Targumiſtis genuinis eſt recentior. In *Sohare* prima ejus mentio, ac in Talmude Babylonico. Indubie Judæi ad geminam populi ſui rationem reſpexerunt, diviſi quippe in Iſraelitarum & Judæorum regna. Cum vero de *Joſepho* *) & *Ephraimo Jacobus* magnifica prædixerit, & Judæi ſuum Meſſiam cum tribubus decem noluerunt eſſe communem, in gratiam harum excogitarunt humiliorem & viliorem Meſſiam, filium quippe *Joſephi* & *Ephraimi*, reducturum tribus decem, quæ, Meſſia ſuo occiſo, Meſſiæ filio *Davidis* ſeſe aggregaturas eſſe docuerunt, qui Iſraelitas conjuncturus ſit cum Judæis, id eſt, tribu Juda & Benjamin. Quam ſententiam cum Autor Pl. Rev. ex ipſis Judæorum commentariis ſatis ſuperque demonſtraverit, nobis reique literariæ gratulamur, eo quod nunc tandem origo doctrinæ illius de gemino illo, quem Judæi exſpectant, Meſſia ſit in apricum producta, ac luce ſua eniteſcat. De reliquo non omnes Judæi geminum illum Meſſiam exſpectant, ſiquidem plures eorum contenti ſunt uno, & doctores Judæorum in doctrina, quam de Meſſia fovent, admodum inter ſeſe diſcordant.

Pag. 133. 135. 203 ſeq.

JOANNIS ROBECK, CALMARIA-SUEDI, EXERcitatio philoſophica de Εὐλόγῳ Ἐξαγωγῇ, ſive morte voluntaria Philoſophorum & bonorum virorum, etiam Judæorum & Chriſtianorum. Recenſuit, perpetuis animadverſionibus notavit, præfatus eſt, & Indicem rerum locupletiſſimum addidit, JO. NICOLAUS FUNCCIUS, Marburgenſis.

Rintelii, ſumtibus Robeckii, literis Jo. Godofr. Enax; 1736, 4. Alph. 2 plag. 3.

Cel.

*) *Gen. XCIX, 26. Conf. Deut. XXXIII, 16.*

Digitized by Google

Cel. *Funccius*, Profeſſor Eloqu. Hiſtoriar. & Polit. Rintelii, ibidemque Bibliothecæ Academicæ præfectus, fœtum hunc *Robeckii* infortunati fatalem animadverſionibus egregiis & Præfationis loco Diſſertatione proœmiali ſatis diffuſa emollivit, ornavitque, opusque ipſum, Perilluſtri Domino *Friderico Bodoni* Libero Baroni *de Adelebſen*, Conſiliario ac ſtatus adminiſtro primario in terris Haſſiacis invictiſſimi Suecorum Regis, inſcripſit ac dedicavit. Lectoris eſt, ad tria attendere potiſſimum momenta, ad vitam *Robeckii*, ad ſententiam ejusdem de morte voluntaria, & ad Cel. *Funccii* Notas ac Diſſertationem proœmialem. *Robeckius* ille A. 1672 Calmariæ, ad mare Balthicum ſita urbe, natus fuit patre civitatis illius Conſule primario, *Matthia Robeck*, ab ineunte ætate diſciplinis liberalioribus inſtitutus, viris doctiſſimis in patria familiariter uſus, & ad non contemnendum eruditionis faſtigium progreſſus. Sed moræ erat impatiens, & juvenili calore inflammatus, non per gradus, ſed per ſaltum, petebat ſublimia. Spem fefellit eventus. Ægritudo, inde menti ejus infuſa, tantum potuit, ut, fortuna offenſus, egrederetur e patria in Germaniam. Hildeshemii A. 1705 Ordini Jeſuitarum ſeſe aſſociavit, ac primam clericalem tonſuram in eccleſia collegiata B. *Mariæ Magdalenæ* ſumſit. Viennam inde abiit, diſceſſit inde ad almam *Mariæ* Lauretanæ domum, ubi A. 1710 ſacramentum pœnitentiæ recte exaudiendæ ſuſcepit, redux Viennam evaſit Subdiaconus, deinde Diaconus, ac paulo poſt Presbyter. Venit in Weſtphaliam A. 1727, & a *Joanne Adolpho de Twickel*, Vicario per ſeptentrionem Apoſtolico, impetravit, ut in domo Welgesbuttelana, prope Hamburgum ſita, & Pontificiæ religioni addicta, ſacrificium miſſæ celebrare, verbum Dei prædicare, & utriusque ſexus Chriſti fidelium confeſſiones excipere, aliaque munera paſtoralia exercere, libere ei licuerit. At vitæ tandem ſatur, Stoicæque Philoſophiæ per ſolitudinem vacans, A. 1734 ineunte Majo Rintelium conceſſit. Convenit ibi Cel. *Funccium*, ac non vulgarem doctrinam, prudentiam ſatis ſubactam, mores comtos, ac experientiam uſu collectam, ei probavit. Sacris non interfuit ſæpius, ſuoque ſeſe ſepelivit muſeo. Poſtea libros ſuos ac ſupellectilem reliquam Academiæ, vel pauperibus, legavit manu-

Digitized by Google

manuſcripta *Funccio* cum 90 florenis reliquit, commendationes atque teſtimonia Principum & Cardinalium exhibuit, quo facto, A. 1735 Bremam profectus eſt, ac 12 Cal. Quint. remiſit inde ciſtam involutam cum aliquot libellis. Mox ille nitide veſtitus naviculam ſolvit, ſolusque cum ea, ad ſpectantium uſque horrorem, abiit, tandem tribus infra Bremam milliaribus exanimis mortuusque in Viſurgi flumine repertus, atque in vicino pago ſepultus fuit. Eo mortis genere Cel. *Funccius* anſam ſibi datam credidit edendi Philoſophiæ illam, Autori funeſtam, de morte voluntaria partem, non tamen ſine ſuis animadverſionibus, ſtaturus promiſſis, *Robeckio* datis. Hæc ad *Robeckium*, & anſam edendi ſcriptum, ſufficiant. Diſſertatio *Robeckii*, qua morti ſponte adſcitæ colores obtegere molitur, a rigore demonſtrandi admodum diſſidet, quippe in qua Autor agit oratorem, &, ut accuratius judicemus, patronum cauſæ exulceratæ, qui magis in deſtruendo ac removendo argumenta oppoſita, quam in ſtabiliendis novis, vel in doctrina demonſtranda, eſt occupatus. Repſit per Autores Græcos Latinosque, Judæos, Chriſtianos, & naturali rerum cognitione duntaxat imbutos, *Senecam* inprimis, e quibus varia collegit, quæ potius collegit, & nonnullis criſibus, veluti ſeſamo, perſperſit, quam illuſtrandæ demonſtrationi juſtæ ſubjecit. Judicia ipſius, in *Lactantium*, *Auguſtinum*, *Hugonem Grotium*, aliosque, liberius lata, ſatis indicant, in *Robeckio* fuiſſe animum, paradoxa, ſingularia, & a reliquorum hominum ſententiis remotiſſima, ſectantem, ſibi ultra, quam par eſt, placentem, feliciorem in evertendis labefactandisque aliorum opinionibus, quam in eis, quæ placuerant, confirmandis. Subtiliſſima proinde ejus ambitio utramque fere complevit paginam. Genus vitæ & mortis non diſſenſit ab hac animi ſingulari pervicacia, & ab ea, quæ inde fuit enata, abſurditate. Sub operis enim exordio libertatem philoſophandi, & eclecticum diſſerendi ſtudium, promiſit; ſed *pag.* 47 Stoicos ſuos reliquis omnibus præponit, dictitans, *eos Philoſophis omnibus in Theologia naturali & Philoſophia morali ſuperiores* eſſe. Et, ſi quid judicamus, Stoici ipſi ſecum diſſederunt, & ea de animi magnitudine & conſtantia

Pag. 4 ſeq.

docuerunt, quæ cum voluntaria morte, ipſis probata, in concordiam redigi nequeunt. Nonnulla *Robeckius* affirmat juſto
Pag. 48. audacius. *Pythagoram*, tradit, vitam inedia finiiſſe, cum tamen, qua obierit ratione, adhuc ſub judice lis ſit. *Empedoclem*, credit, crateras Ætnæos inſiluiſſe, ac ita periiſſe. Sed veterum teſtimonia admodum de obitu ejus variant. Licere fatum voluntaria morte occupare tum, cum vita noſtra nulli amplius prodeſſe poteſt, Noſter judicat. At calamitoſiſſimorum quo-
51. que hominum, qui nemini poſſunt prodeſſe, innocens Deoque innixa patientia & fortitudo ſummos præſtare ſolent uſus. Ipſe ſententias eorum, quibuscum haud conſentit, vocat *figmenta*,
55. *ſingulares opiniones*, *ratiunculas*, *captiunculas*, & *ſomnia nugas-*
57. *que*. *Platoni* invito obtrudere conatur probatam necis volun-
61. tariæ doctrinam. *Lactantium* aggregat moroſophis & philodo-
65. xis, tradentem, ideo ex hoc corporis domicilio, niſi juſſu Dei, non eſſe recedendum, quia in hanc vitam ſponte noſtra non veniamus, hoc eſt, Deum vitæ necisque eſſe dominum. In ſui generis homines invehitur acriter, credens, ex perſuaſionibus antiſtitum ſcelera exerceri, & publice juberi vetita privatim, adeo ut exinde exiſtimet exorta eſſe bella illa funeſtiſſi-
68. ma, Smalcaldicum, Hugonotticum, & tricennale. Mirum profecto eſt, quantum ipſe ſeſe torqueat, ut, legem divinam,
74. *non occides*, morti voluntariæ non obſtare, affirmet. Dum vero credit, leges, conſuetudines, ac inſtituta, omnium populorum antiquorum, nominatim Romanorum, necem ſui approbaſſe, mirum in modum halucinatur, ſiquidem pauca exempla, vel barbara Cantabrorum conſuetudo, vim legis nunquam obtinue-
78. runt. *Antoninus* quidem Imperator & Philoſophus mortem voluntariam *Lib. VII §. 21* approbare videtur, ac Autor ad doctrinam ejus provocat; at alibi præcipit Imperator, quæ Stoico huic præcepto adverſantur, *Lib. III §. 7*, *Lib. IV §. 31*. Multus eſt in Stoicorum, *Senecæ* cumprimis & *Epicteti*, ſententiis, quas ipſi de αὐτοχειρίᾳ foverunt. *Darium Codomannum* credit in eo fuiſſe, ut, acinace ſtricto, ſeſe occideret, laudans teſtem *Curtium IV, 15*, ſed forti animo contra hoſtes depugnare, gladioque ſeſe defendere, dubius ſtatuit, mortem volunta-

Digitized by Google

luntariam vocans ſcelus *Lib. IV Cap. 15.* Et quantulum hic comprobant exempla? Ne dicam, Autorem ea e ſcriptoribus ſtabiliendæ ſuæ opinionis cauſa conſarcinaſſe, quæ nihil aliud indicant, quam haud recuſandam eſſe mortem honeſtam, aliquando melius eſſe mori, quam vivere, mortem moleſte non ferendam, meditationem mortis optimam eſſe philoſophiam. Hæc enim qui approbant, eis haud ideo videtur pulchrum, mortem ſibi inferre violentam. Prædicat obitum *Socratis*, ſed quem dicere potius debebat coactum, quam voluntarium, licet paululum anticipatum. Egregia eſt Diſſertatio M. *Georgii Chriſtiani Ibbekenii de Socrate mortem minus fortiter ſubeunte*, Lipſiæ A. 1735, 4, edita, quam præconibus *αὐτοχειρίας* commendare lubet. Cum patronus necis voluntariæ ſatis copioſus longusque in exemplis cumulatis, ac evertendis aliorum argumentis, ſibi obſtantibus, fuiſſet; tandem ad duodecim ſeſe accingit argumenta, quibus id ſibi eviciſſe, quod propoſuerat animo, dogma videtur. Primum vero argumentum eſt inverecundum. Deſumitur enim a debilitate ac vanitate eorum omnium, quæ adverſarii tanquam argumenta pro ſua opinione protrudant. Secundum eſt frontis perfrictæ plenum, deductum ex eo, quod nulla ſit lex, quæ jubeat, corpus, ejusque vitam, immo ſe ipſum, amare. Durus eſt Autor, dum, decalogum ad ſolos illos rudesque Judæos directum eſſe duntaxat, contendit, fluctuans admodum in Juris naturæ elementis, & *Auguſtino* ubique infeſtus, exiſtimanti, *αὐτοχειρίαν* præcepto Decalogi quinto eſſe prohibitam. Pervicaciam animi inſulſam prodit, idem præceptum, quatenus *αὐτοφονείαν* interdicit, vocans *intolerabile, perniciosum, & plus quam tyrannicum, præceptum.* Ipſe ſecum diſſidet, dum amorem ſui, cuique a natura inſitum, agnoſcit, ac nihilo ſecius credit, juſtum eſſe, manus ſibi violentas inferre, & ſeſe ſua ſponte e vita educere. Sed, ne contradictio diluceat, addit, homines ex amore ſui & inſtinctu naturali ſemet occidere, quod idem eſt ac contra ſolem loqui. Amor felicitatis quidem amorem vitæ moderetur, oportet. At, ſtatum internum hominis turbare, ut vel animæ fauſtitati, vel ſtatui externo, conſulatur, ſtoliditatem ſpirat, non rationem. Fa-

Pag. 89. 97. 98. 102. 110. 112. 117. 124. 129.

tetur ipſemet, amorem ſui in morte ſua ſponte ſumta affectum eſſe turbulentiſſimum, fontem omnium aliarum perturbationum, tunc præſertim concitatarum. O miſeras animas, tantis cum turbis e domicilio corporis evulſas! Αυτοχείρων congeſſit exempla, quorum tamen pars dimidia falſo ad eam claſſem fuit relata. *Rachelii*, Profeſſoris quondam Helmſtadienſis, Diſſertationem de *αὐτοχειρίᾳ* vituperat, ac refellere ſtudet, ſed Jove minus æquo. Ubique dominatur principii petitio ac calamiſtrata diſputatoris oratio. In Diſſertatione proœmiali Cel. *Funccius* ſcriptores de *αὐτοχειρίᾳ*, doctrinæ ipſius incommodis, exemplis, doctrinisque cognatis, more ſuo, hoc eſt, ſolide ſatis docteque, diſſerit.

DE L'USAGE DES ROMANS, OU L'ON FAIT VOIR leur utilité, & leur differens caracteres: avec une Bibliotheque des Romans, &c.

id eſt,

DE USU FABULARUM MILESIARUM, EArumque utilitate, & diverſis characteribus, cum Bibliotheca Fabularum ejusmodi, cui adjiciuntur Notæ criticæ de ipſarum ſelectu & editionibus, opera C. GORDONI DE PERCEL.

Tomi II.

Amſtelodami, apud viduam de Poilras, 1734, 8.

Alph. 1 plag. 11.

Huetius, literato orbi cognitus & celebratus Epiſcopus, edidit A. 1672, 12, Pariſiis libellum: *Diſcours touchant l'origine des Romans*, qui deinde in Latinum a *Pyrrhone* converſus prodiit, inſcriptionem præferens: *Liber de Origine fabularum Romanenſium.* Scripto huic *Julius Nigronus* in Diſſertatione morali de *Librorum amatoriorum lectione, junioribus maxime vitanda*, proluſerat, quæ A. 1622 Mediolani, & poſtea Coloniæ Agrippinæ A. 1630, in 12, lucem vidit publicam. Libri ejusmodi laudantur ab hoc, culpantur ab illo. Apologiam eis paravit *Chriſtianus Thomaſius*

ſius in Monaths-Geſprächen A. 1688 pag 23. Diſtinguimus inter libros laſcivos & mere amatorios, quos procul eſſe omnes jubent; & inter heroicos, qui docent virtutes, generoſis viris aliisque ſalubres. Inter hæc fatendum, homines in vetitum niti, librosque fabularum Romanenſium eo ardentius conquirere, quo ſeverius eis interdicitur. Sunt homines, qui norunt e libris improbis quoque proficere, in quorum numero Autor nomen ſuum profitetur. *Gerſon* celeberrimus librum peculiarem ſcripſit Gallice & Latine adverſus fabulam Romanenſem, quæ inſcribitur *de la Roſe*. At eo impenſius librum appetebant omnes. Prunas ſcilicet gliſcentes qui commovet, ignem alit; qui negligit, & intactas omittit, easdem facilius exſtinguit. Vituperat Autor libros ſcurriles & turpes, tolerandos cenſet eos, qui amorem ſapientem & moderatum, elegantiæ morum adjunctum, exequuntur & delineant, reclamante P. *Theophilo Rainaldo* in *Erotematibus de bonis ac malis libris*, Lugduni A. 1653, 4, editis, *pag. 46, 69*, &c. nec non *Nicolio* in *Ep. 1 de Viſionariis*. Adde repugnantium ac diſſuadentium numero R. P. Jeſuitas in *Ephemeridibus Trevoltienſibus A. 1703 Febr. pag. 311.* Interdictum in haſce fabulas ab aliquo Concilio promulgatum in cauſa fore, ut ſummum eis ponatur pretium, Autor exiſtimat, ratus, Jeſuitas permiſſuros potius eſſe librorum Romanenſium, quam Janſeniſticorum, lectionem, & ex adverſo eandem Janſeniſtis probatum iri opinionem. *Joannes Damaſcenus* citra contradictionem eccleſiæ condidit duas Romanenſes fabulas, Græce contextas, unam de *Barlaamo*, alteram de *Joſaphato*. *Joannes de Billi*, Carthuſianus, ac *Antonius Gerhardus*, Jeſuita, eam Gallice fuerunt interpretati. Addit Autor, *Gerhardum Jeſuitam* (*de Toulon*) in uſum transduxiſſe fabulas Romanenſes perquam venereas. *Andreas Pinto Ramirez*, Jeſuita Luſitanus, & *Adamus Kontſen*, Jeſuita Germanicus, ipſi conſcriptas a ſeſe ediderunt fabulas Mileſias. Janſeniſta *de S. Martino* Gallicam in linguam tranſtulit fabulam Romanenſem, quæ dicitur *Don Quixot*. *Antonius Arnaldus*, Janſeniſmi columna, eam, curis gaudia interpoſiturus, attente perlegit. Abbas *de Villiers*, qui tantopere declamavit adverſus fabulas Romanenſes *dans ſes reflexions ſur les defauts d'autrui Tom. I pag. 276, Tom. III pag.* Tom. I pag. 5. 7 ſeq. 12. 20. 22. 26.

46, compoſuit ipſe unam, cui eſt inſcriptio: *Memoires du Comte de .... redigez par M. de S. Evremont en IV Vol. 12.* Epiſcopi ſummi ac graves concinnarunt fabulas Romanenſes. *Camus* ſcripſit librum ejusmodi. *Fenelonius* protulit *Telemachum*. *Petrus Daniel Huetius* ſcripſit *Dianam de Caſtro*. Legendæ veteres quid ſunt aliud ac libri Romanenſes? *Homeri* & *Virgilii* carmina epi-
Pag. 35. ca, nec non *Ovidii* Metamorphoſes, leguntur impune. Sed nil ſunt niſi fabulæ Romanenſes. Quin potius conceditur lectio librorum amoribus plenorum? Heroes nocuerunt generi humano, vaſtarunt gentes, deſtruxerunt urbes. Si qua peccant lectores venerei, ea pertinent ad augmenta generis humani. Ita ratiocina-
39. tur Autor, an ſerio, vix credibile. Quot enim homicidia, peccata muta, & impuritatum monſtra, oriuntur ex animo, per lectionem librorum venereorum in transverſum acto? Multiplicatio hominum per ſeſe haud eſt utilis. Multitudo idem deſiderantium, quod ſingulis exſatiandis haud ſufficit, ad invidiam, diſcordiam, & bella inteſtina, ſæpius prolabitur, ſuadente neceſſitate, ſubinde, nec tamen ſemper, imaginaria. Ut fabulis Romanenſibus conciliet pretium & autoritatem *Percellius*, ad imperfectionem librorum hiſtoricorum confugit, cauſans, in eis plerumque reticeri actiones fœminarum, quæ tamen plerumque rebus magnis addant momentum. Hunc nævum ſuppleri in libellis Romanen-
53 ſeq. ſibus, credit. *Joannam* Papiſſam laudat, eamque præſtitiſſe docet *Urbano VIII*, *Gregorio VII*, deſpotiſmi univerſalis architecto, *Pau-*
89 ſeq. *lo II*, magiæ incuſato, *Bonifacio VIII* feroci, *Jolio II*, furoris inſimulato, *Liberio*, Arianis faventi, *Joanni XXII*, in fide hæſitanti. Arcanæ fraudes, quibus periit *Henricus IV*, a Duce *Eſpernonio* fuerunt excogitatæ, ac *Ravalliaco* ſuggeſtæ, fœminis & Jeſuitis adju-
98 ſeq. vantibus. Fœminas enim plerumque in rebus & religioſis & politicis omne punctum ferre, copioſe & ingenioſe Autor declarat. *P. D. Huetius*, *Michael Medina*, aliique Theologi celebres, mo-
101 ſeq. deratam fabularum Romanenſium meliorum lectionem haud ſolum permiſerunt, ſed etiam ſuaſerunt eis, qui negotia majoris momenti tractaturi, aut in aulis verſaturi, eſſent. *Nicolaus Antonius*, Canonicus olim Sevilienſis, in eadem navigat puppi. Ec-
119 ſeq. quid plura? Ut autem ſua ſeſe amœnitate & utilitate commendent libri Romanenſes, regulis opus eſt, quas decet ſcriptorem

in

in uſum deducere. Qui religionem violant, Regum ſanctiſſimas perſonas ſub cenſuram vocant, vel miniſtros eorum ſummos contemtui exponunt, fœminas ludibrio excipiunt, ſummatibus ad miſerias dejectis inſultant, mores honeſtos profligant. Uſus multiplex librorum Romanenſium oratorio ritu magis, quam philoſophico, prædicatur, ſubnexo conſilio de libris ejusmodi ad Chinenſes deportandis, plus valituris, quam Matheſeos difficultates. Subjecit Editor præconiis particulas curioſas (*pieces curieuſes*) de Poeta *Ruſſovio* (*Rouſſeau*), in Batavia ſuppreſſas, qui epiſtolam dedicatoriam præfigere conatus fuerat recenti editioni Poematum *Renierii*, ſatyrici nimium nonnullis adhibere viſus. Dominus *de Laſſerre* præmiſit literas, ad *Ruſſovium* datas, in quibus de forma & modulis Poetarum Satyricorum Gallicorum diſſerit, plenas ſatyris & jocis, haud oblique in *Ruſſovium* directas. Haſce excepit epiſtola ad Marchionem *Fenelonium*,[a]) Regis Chriſtianiſſimi legatum. Hæc ſunt illa curioſa. *Tomus* Operis *ſecundus* complectitur recenſionem libellorum Romanenſium, per gentes ſingulas emiſſorum. Interdum Autores incogniti detegunturs & judicia breviſſima apparent paſſim inſperſa. Germanorum libri ejusmodi complures hic non attinguntur. *Octavia* Sereniſſimi Ducis *Antonii Ulrici*, *Hercules Bucholzii*, Superintendentis Brunſuicenſis, & alia farinæ conſimilis volumina, peplo ſilentii involvuntur. Miramur tamen, unicum Autorem tot libros Romanenſes indicaſſe, rati, plerosque hoc corymbo libentius uſuros, quam eodem labore defuncturos.

Pag. 134 ſeq. 282 ſeq. 309.

RAISONNEMENS HAZARDEZ SUR LA PROſodie Françoiſe.

hoc eſt,

PERICULUM CRITICUM SUPER PROſodia Gallica.

Pariſiis, typis Didoti, 1737, 12.

Plag. 17½.

Ven. *Olivetus*, dari verſus, rhythmis haud adſtrictos, in lingua Gallica, adeoque aliquid medii inter rhythmos ipſius ac proſam, oſten-

a) Haud occulte in ea affirmatur, *Ruſſovium* verſibus laudaſſe & approbaſſe horribile illud crimen, quod nuper in Batavia exortum, & atrociſſimo naturæ inſtinctu accenſum, pauloque poſt eradicatum fuit. Vide *pag. 45.*

oſtenderat, laudatis eorum exemplis, qui olim ejus artis dederant ſpe-
Pag. 27. cimina ac publica documenta. Autor periculi critici, niſi fallimur,
211. hanc *Oliveti* ſententiam impugnare, ſuarum eſſe partium exiſtimavit, genere ſcribendi uſus & jucundo, & libero, & paſſim ſatyrico. Judicia ejus ſunt ejusdem generis. Dabimus unum & alterum exemplum. De origine facultatis poeticæ ſic judicat *pag. 20: Omnes mortales naſcuntur Poetæ, ſiquidem univerſi in lucem ſuſcipiuntur duabus graviſſimis cupiditatibus obnoxii, amori ac odio.* De origine rhythmorum *pag. 21* ita ſtatuit: *Non longe petierunt majores fundamentum carminum noſtrorum duplex. Ipſi conſultare Horatium ipſum auſi fuerunt, ac in ipſa pagina prima facile deprehenderunt numerum ſyllabarum, in verſibus ipſius definitum, cum triſti ac per caſum infauſtum expreſſa rhythmorum convenientia.*

Metaque fervidis
evitata rotis
palmaque nobilis
terrarum dominos
evehit ad Deos.

28 ſeq. Deinde in laudes Poeſeos rhythmicæ effunditur totus. Id vero vitii appellat *Germaniſmum*, quando menſura, numerus, & rhythmus, in carmine vinciuntur pleonaſmis, agreſtibusque transpoſitionibus. Adjun-
33. git hæc porro: *Eſtne hoc id omne, quod appellatur Germaniſmus, ſeu ars mutuandi Gallis pulchritudinem Germanicæ Poeſeos haud unam? Satius eſſet, ſcribere verſus bonos ſine conſonantibus, quam malam proſæ rhythmicæque orationis compagem.* Quid hic ſibi velit aculeus, nondum perſpicimus. Non apparet punctum illud, quo adverſantem fodicat. Germani certe id, quod Autor vocat Germaniſmum, dudum relegarunt ad Garamantas & Indos. Natio noſtra probat rhythmos, in quibus viget conſtructio verborum accurata, proſæ communis, in quibus haud turbatur ſyllabarum quantitas, ac in quibus puritas rhythmi, ſimilitudine pronuntiandi & earundem literarum repetitione nitens, eminet. Cum vero Itali & Galli ad hocce faſtigium Poeticam ſuam nondum evexerint, impedimentis neſcio quibus conſtricti; eapropter facile intelligitur, quid in poetica arte dici poſſit *Germaniſmus.* De reliquo Autor lectorem retinere valet genere ſcripturæ, quo uſus fuit admodum nativo & erecto, cui ſal haud deeſt. Differit vero non ſolum de *numero* Latinorum, origine Poetices, de rhythmo, de verſuum menſura, de quiete in verſibus faciendis, de verſibus maſculinis, ſeu fœmininis, & de quibusdam Gallorum ſpeciminibus poeticis, ſed etiam de pronuntiatione generatim, de vocalibus ac diphthongis, uſu ſyllabarum longarum ac brevium, de Oda, diviſione verſuum Gallicorum, de verſuum perfectione, eſſentia Poetices, Poeſi ſine rhythmo, verſibusque rhythmo vacuis, analyſi ver-
189 ſeq. ſuum Latinorum, imitatione, Latinæ Poeſeos translatione, lectione, ac declamatione. Subjungitur judicium hiſce capitibus criticum, quo neſcio cujus ſententia paſſim refellitur ac notatur, qui de Proſodia Gallica fuerat commentatus.

✲ ✲ ✲

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio VII.

HISTOIRE DU MONDE SACREE ET PROFANE, &c.

hoc eſt,

HISTORIA ORBIS SACRA ET PROFANA, inde a creatione mundi uſque ad deſtructionem imperii Aſſyriorum, ad mortem Sardanapali, & uſque ad excidium regnorum Judæ & Iſraelis ſub Achazo & Pekacho, in uſum introductionis ad PRIDEAUXII *Hiſtoriam Judaicam a opera & labore* SAMUELIS SCHUCKFORDI, *M. A. & Presbyteri Sheltoniani in provincia Norfolcienſi. Ex Anglico convertit* J. P. BERNARD, *Presbyter eccleſiæ Anglicanæ, D. Philoſ. & Diaconus Comitis Lotharingiæ, unius ex Angliæ primoribus.*

Tomi II.

Lugduni Batavorum, impenſis Joannis & Hermanni Verbeek, 1738, 8.

Alph. 1 plag. 17, Fig. æn. 3.

Humphredi Prideaux opus, quo intervallum illud, quod inter hiſtoriam V. & N. Teſt. intercedit, expletur, & lectu jucundum, & ſoliditate eximium, & uſu multiplici commendabibile, eſt.

Quam quidem ob cauſam id avido lectorum ſtudio exceptum, & apud exteros communi approbatione celebratum fuit. Ne quid igitur videretur hiſtoriae V. T. deeſſe, operam dare voluit *Samuel Schuckfordius*, qui a mundi natalibus uſque ad ruinam Aſſyriaci imperii, vel potius ad finem regnorum Judæ & Iſraelis, hiſtoriam omnem luci dare conſtituit. Et huic quoque fœtui propitia fuit Lucina, eo quod lectorem juvat ordiri omnem hiſtoriæ complexum ab ovo. *Prideauxius* annos a natali Jeſu numeravit retrorſum; *Schuckfordius* eos a condito mundo ſupputavit. Annum ante diluvium univerſale exſtitiſſe credit hic alium, atque eum, qui diu poſt cataclyſmum feralem eſſe cœpit in uſu. Suſpicatur, annum antediluvianum conſtitiſſe diebus 360, ac inde eveniſſe, ut circulus in 360 partes æquales, ſeu gradus, fuerit jam olim diſtributus. In ipſo diluvio exiſtimat curſum ſolis fuiſſe immutatum, qualem mutationem contigiſſe, ex opinionibus *Plutarchi de Placit. Philoſoph. II, 8, III, 12, V, 18, Platonis Polit. pag. 174, 175, 269, 270, 271,* & *Laertii* in *Vita Anaxagoræ IX ſegm. 33,* it demonſtratum Autor, ratus, homines poſtdiluvianos continuaſſe menſuram anni antiquiſſimam, at, notato ſolis motu diverſo, veterem menſuram annuam fuiſſe ab Ægyptiis & *Aſſi*, Rege Thebarum, correctam. Prius docet *Herodotus de Ægyptiis Lib. II;* poſterius vero *Syncellus pag. 123.* Babylonii veterem anni circulum ſecuti fuerunt uſque ad exitum *Sardanapali. Beleſis*, quem Autor putat exſtitiſſe *Nabonaſſarem*, æram condidit novam, & annum a Februario inchoavit, quo tempore is ad ſolium adſpiravit, nec non æque ac Medi vetuſtiores quinque adjectos dies, ſeu *epagomena*, anni cujusque fini adjunxit. *Thales*, annum numero 365 dierum eſſe æqualem, didicit ab Ægyptiis, eumque complevit, *Plato* & *Eudoxus* animadverterunt, teſte *Strabone Lib. XVII pag. 806*, anno correcto quotannis adhuc addendas eſſe ſex fere horas. Annus *Romuli* æque ac Ebræorum fuit 360 dierum. Supputatio dierum diluvii omnino ſignificat, menſes ſingulos ea ætate fuiſſe 30 dierum. Quinque enim menſes confeciſſe leguntur dies 150. Anni igitur 1656, qui uſque ad diluvium decurrerunt, truncandi ſunt annis plus quam 23, ſi eos ad menſuram *Juliani* revocare

vocare lubet. Cum vero ne quidem posthæc Judæi videantur aliam iniisse supputationem, anni quoque ab annis Judaicis, ad *Cyrum* usque computandis, detrahendi sunt Juliani, ad minimum 28. Cogitata hæc Autoris Pl. Rev. repetivimus in eorum gratiam, qui Chronologiæ accurandæ tempus curasque suas impendunt. Fragmenta historiæ vetustissimæ Ægyptiorum, Phœnicum, & Babyloniorum, Autor dextre explicare, atque cum *Mose* conciliare, studet. *Sanchoniathonis* & *Thaauthi* reliquias ipse pro fictionibus recusat, siquidem *Methodius*, *Apollinaris*, & *Eusebius*, qui *Porphyrium* refellere studuerunt, indubie id fraudis detexisse laborassent, quæ certe in loco piarum numeranda haud erat. In *Berosi sartis* eminet mirificum id, quod primorum hominum vitas ad annos justo complures extendit & diffudit sive *Berosus*, sive is, quem *Berosus* fuit secutus. *Livius* originem prodigiosarum narrationum solitam in exordio operis sui indicavit, ita sentiens: *Danda est hæc venia antiquitati, ut, miscendo ficta veris, primordia sua augustiora faciat.* Autor, quod sane miramur, *Ctesiam* denuo in Assyriacis fuit affectatus, fide *Herodoti* repudiata, qui tradidit, Assyrium cœpisse imperium 520 annis ante, quam Medi jugum Assyriorum excussérint, nec *Semiramin* abfuisse a *Nitocri*, matre *Labyneti*, disjunctius quinque generationibus. *Nimrodus* certe ad Assyriaca haud quadrat. *Herodotus* ex Persis ea rescivit, quæ de rebus Assyriorum scripsit *I, 95.* At quis contendere ausit, Persas hosce fide omni indignos fuisse. *Ctesiam* Autor tradit fuisse medicum *Artaxerxis Mnemonis*, ac in aula Persica diu versatum, ideoque credibiliorem, scripsisse ex actis publicis ac regni tabulariis, teste *Diodoro Siculo II pag. 84*; tantum temporis explevisse successionibus Regum, quantum sufficiat annis 1903, quorum observationes astronomicas *Callisthenes Alexandro M.* exhibuerit. Nec tamen ipse inficiatur, fabularum & erroris multum inesse *Ctesiæ* scriptis, ipsumque fide indignum visum fuisse *Aristoteli*, *Antigono*, *Caristheo*, *Plutarcho*, *Arriano*, & *Photio*. Nihilo minus tuetur catalogum Regum, a *Ctesia* perscriptum, licet nomina complura in eo manifeste sint Græca, nec ipsa Assyriacæ rei hilum referant, id quod Autor *Tom. I Lib. V pag. 320* largitur. *Plinius*

obſervationibus Chaldæorum aſtronomicis annos tribuit 480, *H. N. VII, 56, Beroſum* & *Epigenem* ſecutus. Reſpondet quidem Autor, hos credidiſſe, eas obſervationes ætate *Nabonaſſaris* inchoatas demum fuiſſe, & ex illa opinione ſupputationem ad tempus uſque ſuum inſtituiſſe: de reliquo de initiis obſervationum illarum longe ſecus eſſe pronuntiandum. De origine mundi & chao exteros concordare cum literis ſacris, loca, ab eo producta, evidenter oſtendunt. Hæc ad Præfationem. Nunc ad reliqua etiam progrediendum cenſemus. *Tomi primi Libri* ſunt *quinque*. *Primo* exponuntur res, diluvio univerſali antiquiores. *Secundo* recenſentur ea, quæ inde a diluvio illo uſque ad confuſionem linguarum fuerunt geſta. *Tertius* exhibet diſperſionem hominum & regionum enarrationem, quas ipſi occuparunt. *Quarto* ediſſeruntur varia, nempe hiſtoria *Nimrodi*, *Beli*, *Nini*, *Semiramidis*, & *Ninyæ*, initium regni Aſſyriaci, origines regnorum Ægypti, uſus literarum, ac inventio alphabeti. *Quintus* offert nobis hiſtoriam *Abrahami* uſque ad ejus in Ægyptum iter, Reges Thanitas, Memphitas, ac Thebanos, ad *Cainanem Lucæ*, quem proſcribit Autor. Et huc uſque quidem Pl. Rev. *Bernardus* translationem Gallicam adornavit. *Tomo II* Gallice interpretando alius quidam metaphraſtes animum appulit. *Libro ſexto* reliqua *Abrahami* hiſtoria exponitur, æque ac incola Græciæ primus, *Bacchus* veterum, origo regnorum Cananææ atque dynaſtiarum Ægypti, religio Ægypti, ejusque ſacerdotum inſtitutio, modus in regnis ſuccedendi fœmineus. *Septimus* complectitur hiſtoriam *Eſavi* ac *Jacobi*, jus primogenituræ, ætatem *Jobi* diſquiſitioni ſubjectam, vindicias actionum *Jacobi* penes *Labanum*, odia fratrum in *Joſephum*, hujusque translationem in Ægyptum, duces Idumææ, Reges paſtores in Ægyptum irruentes, ac expoſitionem *Exodi I, 8 ſeq.* *Octavo* ediſſeruntur coloniæ, ex Ægypto egreſſæ, diſtinctio inter *Belum* utrumque, initia *Cecropis* in Attica, hiſtoria *Cadmi*, adventus *Danai* in Græciam, origo regnorum Græciæ nonnullorum, inſtitutio Areopagi Athenienſis ac Concilii Amphictyonum, examen religionis Ægyptiacæ, idololatriæ origo & progreſſus, hiſtoria heroum, conjecturæ in ta-

bulam

bulam *Isidis*, & origo templorum. *Nono*, eoque ultimo, exponuntur natales *Mosis*, ac ejus reliquæ actiones usque ad transitum per mare rubrum, status scientiarum Ægypto tunc familiarium, Magia eorum, qui plura coluerunt numina, Magi Ægyptiorum, eorum & *Mosis* miracula, plagæ Ægypti, Israelitarum vindiciæ a furto in Ægyptios admisso, transitus per mare ab infidelium censura vindicatus, & adventus Israelitarum in deserta Arabiæ. Hæc ad summam *Tomi* utriusque. Nunc paucula ex utroque *Volumine* juvat delibare. Per *signum Caino positum Gen. IV, 15*, Autor in- Pag. 8.
telligit *declarationem gratiæ, qua pœna, in Cainum redundatura, divinitus fuit sublata.* Accedit huic sententiæ Summe Rev. *Tellerus* noster. *Lamechi*, duabus conjugibus onerati, orationem ita interpretatur: *Cur a vindicta Sethidarum nobis metuimus? Caino Deus gratiam delicti fecit, ut is, qui ipsum occisurus esset, septuplum lueret. An nos quemquam Sethidarum occidimus? Innoxii sumus. Si quis nos interemturus sit, is septuagies punietur. Gen. IV, 23.* *Onkelos* certe eundem secutus fuit sensum. *Berosus* æque decem generatio- 13.
nes a primo homine *Aloro* usque ad *Xisutrum*, qui vidit ter- 17.
ræ inundationem, computavit. *Eusebii* Chronicon, quo utimur, habet Autor pro *Scaligeri* labore. Expositionem, quam *Jo. Marshamus* de dynastiis Ægypti produxit, existimat omnium verosimillimam. Dynastas unam post alteram vixisse, negat, ratus, eas simul in diversis locis floruisse. Ægyptios historiam 28.
dynastiarum suarum finxisse tam veterem & antiquam, existimat, eo fine, ut Ebræis ipsi viderentur antiquiores. Causam, cur ætas hominum imminuta sit, egregie exponit, perpendens tum conditionem cœli terræque post diluvium deteriorem, tum indolem terrarum, in quas homines discesserunt, tum aeris humorumque nimias mutationes ac vicissitudines. Terram an- 35.
tediluvianam hominibus fuisse refertiorem, quam postdiluvianam, solide ostendit. Ad *Gen. IV, v. ult.* hæc annotat: Vox 42.
חוחל *profanandi* notionem tenet, quando ei subjicitur nomen; sin vero verbum infinitivo modo expressum sequitur, notio *inchoandi* luce sua effulget, e. g. *Num. XXX, 3, Ez. XXXIX, 7.*

Gen. VI, 1, XLI, 53, 2 Chron. III, 1, &c. Locus ipſe ita eſt reddendus: *Tunc cæptum eſt illis nomen indere a nomine Jehovæ.* Locum, in quo columnæ *Sethi* fuerunt poſitæ, determina-
Pag. 47. re non audet. Sunt, qui putant, a *Joſepho Sethum* cum *Mercurio Thyoth* fuiſſe permutatum. Apud *Euſebium* in *Chronico* legitur ſane, hiſtoriam dynaſtiarum Ægypti olim columnis a *Mercurio Thyoth* fuiſſe, teſte *Manethone*, inſcriptam. Terram *Siriadicam* fuiſſe juxta Tripolin Syriæ in montibus poſitam, *Joſuæ* dictam *Seir*, alibi aliquis noſtrum oſtendit. Feliciter Chronologiam Codicis Samaritani antediluvianam Autor conciliavit cum Ebrai-
51. ca. Communicandum eſt hoc inventum cum Lectore. MStum Pentateuchi Samaritani, quod vidit *Morinus*, ſcriptum fuit A. 1404. Ipſe *Morinus* id indicavit. *Harduinus* in *Chronolog. V. T. pag. 6* docuit idem. Autoritas Codicis, quem vidit *Hieronymus*, eſt antiquior. *Hieronymi* locus ita habet *Quæſtion. in Geneſin fol. 92, C, Tom. IV. Oper.* edit. *Froben.*: *Fiunt uſque ad diem nativitatis Noe anni vitæ Mathuſala trecenti quinquaginta quinque. Sexcenteſimo autem anno vitæ Noe diluvium factum eſt. Ac per hoc habita ſupputatione per partes, nongenteſimo quinquageſimo quinto anno Mathuſala diluvium fuiſſe convincitur. Cum autem ſupra nongentis ſexaginta novem annis vixiſſe ſit dictus, nulli dubium eſt, quatuordecim eum annos vixiſſe poſt diluvium. Et, cum verum eſt, quod octo tantum animæ in arca ſalvæ factæ ſunt, reſtat ergo, ut, quemadmodum in plerisque, ita & in hoc, ſit error in numero; ſiquidem & in Hebræis & Samaritanorum libris ita ſcriptum reperi: Et vixit Mathuſala, poſtquam genuit Lamech, ſeptingentos octoginta duos annos, & genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies Mathuſala anni nongenti ſexaginta novem, & mortuus eſt, & vixit Lamech 182 annis, & genuit Noe. A die ergo nativitatis Mathuſala uſque ad diem nativitatis Noe ſunt anni 369. His adde 600 annos Noe, quia in ſexcenteſimo vitæ ejus anno factum eſt diluvium, atque ita fit, ut 969 anno vitæ ſuæ Mathuſala mortuus ſit, eo anno, quo cæpit diluvium.* Quam ob rationem eſt evidens, librarium Samaritanum recentiorem ſcripſiſſe numerum 62 loco 162 ad indicandam ætatem, quæ ef-

fluxit

fluxit inter ætatem *Jaredi* & natalem *Henochi*, filii ipsius. Autor posthæc recenset errata chronologica Chronici *Eusebiani*, ac Pag. 53.
monet, *Chronicon Samaritanum*, quod dedit *Scaliger*, admodum differre ab eo, quod laudavit *Eusebius*. Inquirit in originem differentiarum chronologicarum, quæ intercedunt inter LXX & Codices Ebraicos. Inde ab *Onkelosi* & Vulgati 58.
Latini ætate numeri haud aliter fuerunt lecti in Codice sacro ac ætate nostra. *Antiochi* vero *Epiphanis* temporibus Autor id tribuit, ut exempla legis & V. T. fuerint erepta Judæis & concremata. Conjectat porro, furore *Antiochi* cessante, Pharisæos exemplaria V. T. collegisse, quotquot potuerint reperiri, & in hisce differentiam chronologicorum numerorum exstitisse. Liceat nobis addere censuram. Usu sic venisse, testimoniis erat evincendum. At hæc haud exstant. Conjecturis itaque fidendum. Sed hæ nobis persuadent, Samaritanos dudum apud Samaritas exstitisse Codices. Qui cum adhuc ætate *Hieronymi* cum numeris Codicum Ebraicorum conspirarunt, quid veritati magis congruit, quam Chronologiam eandem ante *Antiochum Epiphanem* jam in Codicibus Ebraicis exstitisse? Num quid vero in terris, *Antiocho Epiphani* subjectis, confederant tunc Judæi universi? An Judæis, alibi habitantibus, nulli ad manus fuerunt Codices V. T.? Hæc momenta qui meditatę expendunt, non possunt non opinione Autoris discedere. *Demetrius Phalereus*, *Philo* senior, *Eupolemus*, & *Jose-* 59.
phus, haud concordant cum numeris chronologicis Codicis Ebræi. Nemo hoc facile ignorat. At nec eisdem inter sese convenit, nec *Josephus* Græcus videtur linguæ Ebraicæ fuisse peritus. *Demetrius* ab orbe condito ad diluvium numerat annos 2148, *Alexander* vero Historicus apud *Eusebium* 2284. Si a Codice Ebræo discesserimus, incerta sunt omnia. Chronologiam LXX infirmo stare talo, indicio sunt anni *Metusalemi*, ultra diluvium diffusi. Patres primi nimiam autoritatem impertierunt LXX Interpretibus, eo quod linguæ Hebraicæ erant imperiti. *Hieronymus* tamen & *Augustinus* Chronologiam Ebraicam fuerunt amplexati. *Cappellus* ipse non potuit 61.
aliter LXX redigere in concordiam cum numeris Ebræi Codi-

cis,

cis, niſi largiendo licentiam ab illis admiſſam, & errata librario-
Pag. 62. rum accuſando. *Joſephus* media inceſſit via inter Ebræum Co-
66. dicem & LXX virorum numeros, alias ſequendo numeros Ebraicos, alias inſiſtendo Græcis. Græcæ translationis numeros non eadem ratione a librariis eſſe ſcriptos, *Auguſtinus* jam
68. animadvertit. Perſiſtit itaque & viget adhuc Ebræi Codicis Chronologia. De Geographia antediluviana differit Autor ita, ut exiſtimet, ſuperficiem terræ ſitumque fluviorum ipſa uni-
72. verſali diluvie nihil mutationis contraxiſſe. Paradiſi ſitum tabulis nonnullis æri inciſis ſecundum ſententias variorum exprimendum curavit. Videtur ſane deſcriptio *Moſis* de Paradiſo geographica fuiſſe inutilis, ni nomina fluviorum ac terrarum ejus ætate tuliſſent adhuc nomina eadem. In Babylonia exſtitiſſe Paradiſum, Autori probabile videtur. Videtur nobis *Adamus* ad occaſum Paradiſi, fortaſſis in Aſia minori, creatus. Inde translatus fuit verſus Orientem in Paradiſum, tam amplum, ut *exinde* פִּישׁוֹן profluxerint paſſim diviſimque *Phaſis* aurifer, *Gyndes*, *Tigris*, & *Orontes*. Magnus vero & præſtantiſſimus fluviorum, qui Paradiſum reddidit irriguum, fuit ipſe Euphrates. Tigris quoque alibi appellatur *Chiddekel*, e. g. in *Danielis* vaticiniis. *Orontes* in ſacro Codice nunquam non vocatur *Phrath*, Syris dictus *Fert* & *Fer*, ut eſt apud *Wilhelmum Tyrium*. Hæc ad *Librum primum*. Victimas beſtiasque
— mactatas jam *Adami* ætate fuiſſe ſacrificiis conſecratas ac com-
79. buſtas, Autor ſolide docet. *Noacho* autem eſum carnis demum fuiſſe indultum, ei haud accredimus, probe ſcientes, creophagiam ante diluvium legitimum a *Jo. Andrea Danzio* fuiſſe ſatis vindicatam. Diſcrimen certe, quo munda animalia ab immundis diſcrepant, præſto fuit jam ante diluviem univerſalem. *Abel* immolavit beſtiam. Deus per *Moſen* ſacrificia, & doctrinam de eis, non ab integro Judæis præſcripſit, ſed ve-
82. teres conſuetudines confirmavit, & additionibus emendavit adjectis *Jer. VII, 22.* Quis vero ignorat, veteres ex ſacrificiis plerisque cepiſſe cibum? Sacrificia eſſe inventum ingenii humani, merito Autor inficiatur. Meſſias eis fuit adumbratus, ſiquidem hujus adventu ea fuerunt ſublata, id quod

Autor

Digitized by Google

Autor oſtendit ex *Jo. IV, 22.* Et qui *Abel* fide potuiſſet im- Pag. 85.
molare, ni verbo Dei fuiſſet confiſus? Nonne univerſali con-
ſenſione olim mortales omnium regionum ſacrificia obtulerunt
Deo? Seculo aureo ſtatum Paradiſi fuiſſe adumbratum, Au- 91.
tor perſuadet lectori, ratus, *Lamechum* præſenſiſſe licentiam
edendi carnes, *Noacho* permittendam, ideoque præ gaudio
hunc ſic appellaſſe. Sanguine in cibum potumve uti haud li-
cuit Judæis, eo quod ei inerat typus peccatorum. Ipſi, in
deſertis Arabiæ degentes, ad fundamentum altaris effundere
juſſi ſunt ſanguinem, *Lev. XVII, 3, 4.* Errat Autor, qui
eum putat *offerendum* fuiſſe *ſupra altare.* In Palæſtinam in- 93.
ducti latius habitarunt, ideoque paſſim profundere ſanguinem
inſtar aquæ fuerunt juſſi, *Devt. XII, 21.* Inde illuſtrandus eſt
locus *1 Chron. XX, 11.* Si ſanguinem edere nemini liceret, Ju-
dæis haud fuiſſet permiſſum, *Devt. XXV, 21,* animalia per ſeſe 95.
mortua vendere exteris ac peregrinis. In montibus Gordiæis 97.
arcam ſubſediſſe, ibique terram Ararath definiendam eſſe, ipſe
negat ob *Gen. XI, 2.* Propendet potius in eam ſententiam,
quæ perhibet, *Noachum* apud Sacas pone mare Caſpium ex
navi in terram deſcendiſſe. Conſentit *Porcius Cato*, qui tra-
dit, terram 250 annis ante *Ninum* aquis fuiſſe obrutam, & ge-
nus humanum denuo in Scythia Sacarum cœpiſſe. Conciliari
cum ea ſententia poſſunt mythi de *Xiſuthro*, & antiquitates Scy-
tharum æque ac Tzinenſium. *Fohium* Tzinenſem Autor pro 100.
Noacho habet. Dubitamus vero admodum, an regio illa Schi-
nar & illud מִקֶּדֶם *Gen. XI, 2,* reddi poſſit *Babylonia* & *ab*
orientali plaga. Ad Babylonem haud exſtitit vallis ſpatioſa &
memorabilis, nec vetuſtiſſima *Babel* eſt Babylon. Deſignari
credimus *Palæobiblum*, *Cælen*que *Syriam*, Libano ac Antiliba-
no interceptam. Illud vero מִקֶּדֶם reddendum eſt *verſus*
orientalem plagam. *Arrat* regio indubie in inſula Arado eſt
quærenda. Huc fugerunt filii *Sennacheribi*, trans mare Ca-
ſpium utique haud ſatis ſecuri. Confuſionem linguarum, in
valle Sinear factam, Autor in utramque exponit partem. Pri-
mo expromit rationes, quibus, eam divino miraculo & intra
unicum temporis articulum contigiſſe, doceri ſolet. Deinde 132.

monet, ſalvis ac inviolatis verbis Hebraicis affirmari poſſe, mutationem illam ſermonis ſenſim eſſe enatam ex novis ambitioſorum hominum inventis, certatim & per diſſenſiones ad ardua enitentium. Adjungit conjecturam plane novam, ſuſpicatus, homines cœpiſſe tunc uti vocibus, quæ e compluribus ſyllabis fuerint conflatæ. Linguæ ſimpliciſſimæ, minusque cultæ, omnino carent vocibus ejusmodi compoſitis, atque genium referunt
Pag. 135. antiquum. Venit ei præterea in mentem, poſteros *Japheti*, *Semi*, ac *Chami*, diffuſos fuiſſe per terras inſulasque *ſecundum linguas* ac nationes ſuas diverſas. Quis vero contendet, horum ſingulos interfuiſſe exſtructioni turris ac valli terræ Sinear? *Hermannus von der Hardt* & *Campegius Vitringa* conſimilia,
Tom. II ni fallimur, jam docuerunt. Hæc ad *Librum ſecundum*. *Druſillus* Autoris, cujus in honorem columna in Capitolio fuit po-
pag. 146. ſita, vocandus erat *Duillius pag. 126*. Sed hæc obiter. Fieri potuiſſe, ut poſt *inciſum 36 Gen. XXXI* aliquid exciderit, ex Samaritano ſupplendum, interpres alter ſibi perſuadet. Mallemus, hæc Autori haud excidiſſent! Verum ad *Librum ter-
Tom. I *tium Tomi I* nobis eſt properandum. Vocabula nova in familiis inventa fuiſſe, tradit Autor. Vox *Aſchur*, *Gen. X, 11*, memorata, ipſi eſt vir & rex. Hierapolis, ipſius judicio, eſt
pag. 150. *Aleppo*, & illa dicitur a *Plinio* Magog. At Hierapolis differt ab urbe Aleppo, & apud *Plinium* eſt legendum *Mabog*, non Magog. *Harduinus*, *Aſſemannus*, *Thomas de Hyde*, aliique, hoc ipſum ſignificarunt pridem. Situm Thogarmæ definire haud audet. Antiochiæ vero nomen antiquum eſt Thogarma & Tograi.
153. Appellatio hæc poſterior frequens eſt in Arabum Geographis. Per Tarſchiſch intelligit Autor Ciliciam, indubie ob nomen urbis Tarſi. At in Prophetis & navigatione *Salomonis* Tarſchiſch eſt Turditania, ſeu Tarteſſis, Hiſpania Bætica. Kittim eſſe Macedones, Autor dilucide comprobavit. An Eliſcha fuerit Hellas, an Elis, haud definit. *Dodanim* ac *Rhodanim*
157. ſuperſtitant in Dardaniis prope Trojam. Ad Rhodum progredi cum Autore, haud lubet. Patriam *Jobi* Autor Idumææ credit vicinam. Regionem Chuſch per *Æthiopiam* exponi poſſe,
165. negat. Plerumque per Cuſch deſignatur *Caſiotis*, regio a Ca-

ſio

ſio monte uſque ad Midian & montem Sinai excurrens. Loca certe *2 Chron. XXI, 16, 2 Reg. XIX, 9,* ſunt ſatis luculenta, *Sennacheribum* Ægypto intuliſſe cladem, & Dioſpolin evertiſſe, Pag. 168. it demonſtratum ex *Jeſ. XX, 4, Nah. III, 8,* & *2 Reg. XVIII, 21. Bernardus* interpres fallitur, ponens ſitum lacus Sirbonis ad occaſum Damietæ, oppidi maritimi. *Schuckfordius* e contrario animadvertit ſolide, lacum Sirbonis eſſe fluvium Sichor *Joſ. XIII, 3,* ac fluvium, Ægypti & Palæſtinæ limitem. Chavilam Euphrati, in mare ſe jamjam exoneraturo, fuiſſe adjectam, ex *Gen. XXV, 18,* ſuſpicatur. Dubitamus, an ſuſpicioni 201. ſatis ſubſit rationum. Hæc ad *Librum tertium.* Per bellum, quod *Chronus* & *Titan* geſſerunt, Autor deſignari credit velitationes inter *Mizraim* & *Nimrodum. Chronus* eſt enim vel *Cham*, vel *Mizraim*, *Chami* filius. Poſterior *Chronus* commemoratur ab *Euſebii Præp. Evang. I, 10. Mizraimum* & *Menen* eſſe 205. eundem Regem, oſtendit. Propagationem literarum a gente 231. una ad alteram ſolide & ſedulo exequitur. Antediluvianis jam in uſu fuiſſe literas, putat. Interpres autem negat, ineſſe rationi allatæ pondus, opinans, hiſtoriam antediluvianam potuiſſe ad *Moſen* beneficio traditionis pervenire. Hæc ad *Librum quartum.* Annotationes ſunt perpaucæ ab Interpretibus verbis Autoris ſubjunctæ, quarum nonnullas emendavimus. Sed ſufficerint hæc in præſens, ſiquidem *Schuckfordii* libris nemo, qui opus *Humphredi Prideaux* approbat, commode poterit carere, quippe ſic ſcriptis, ut controverſiis religioſis locus haud fuerit relictus, & libertas, ingenuo Chriſtiano digna, uſquequaque triumphet.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE DE PORT-Royal, &c.
id eſt,
COMMENTARII, AD NOTITIAM HISTORIÆ Portus Regalis pertinentes, ſcripti a PETRO THOMA FOSSÆO.
Trajecti ad Rhenum, impenſis Societatis, 1739, 8.
Alph. 1 plag. 2.

Fontainii ac *Lanceloti* Commentarios, de eodem argumento compositos, orbis literatus grata & honorifica fronte excepit. Non dubitamus, quin eadem benevolentia & propensione libellum hunc sit prosecuturus, qui complectitur præmonenda perpauca, vitam *Petri Thomæ Fossæi*, & Commentarios ipsos, indice, quod dolemus, carentes. Hisce significatur, monasterium Portus regalis Parisiense nec novatoribus factiosis & ecclesiæ Romanæ perniciosis laborasse, nec disciplinas ibi tractatas fuisse errorum plenas, nec illi cœtui Romano ex ruina florentissimi illius quondam Collegii votivi utilitatis quidquam decessisse. Accusarunt Jesuitæ scilicet religiosos Collegii illius hæresium, impietatis, Sacramentorum contemtionis, concordiæ cum cœtu Genevensi initæ. Res tandem in nervum erupit, cum Rev. Patres Societatis Jesu contenderent, propositiones quinque, a sede Romana damnatas, desumtas esse ex *Cornelii Jansenii Augustino*, & religiosi illi, id ita esse, negarent. His quidem patrocinati sunt Archiepiscopus Parisiensis, *Gondy*, & ipse *Perefixius*. Unde ipsi A. 1669, 17 Febr. decretum obtinuerunt regium, quo ad bona, ipsis ademta, percipienda revocati fuerunt. Religiosis fœminis Portus regalis dona miraculorum fuisse impertita, inprimis Spinæ, contendit *Fossæus*. Mirum sane, Collegium religiosarum hoc ab ipso Cardinali *Noallio* destructum esse, eo quod illæ sese submittebant literis bullatis, quarum est initium: *Vineam Domini Sabaoth*, & præcepto sui Archiepiscopi. Hæc leguntur in præmonendis. Excipit ea compendium vitæ *Petri Thomæ Fossæi*, qui Rothomagi A. 1634, 6 Apr. ex familia Blesensi illustri in lucem fuit editus. Mater ipsius Abbatis, *de S. Cyrano* dicti, pietatem & fidem admirata, filium tradidit educandum Collegio Portus regalis votivo, & quidem filiabus suis tribus, quæ ibidem Deo operabantur. Fuerunt *Petro Thomæ* fratres *Gentianus* & *Hen-*
Pag. 17. *ricus*, ibidem instituti. A. 1644 liber *Arnaldi*, *de frequenti communione* inscriptus, fere in causa fuit, ut domus illa votiva orbaretur neophytis suis, qui inter hæc secessérunt in domum *Pelletieri des Touches*, dictam *le Chesnai*, Versaliæ propinquam. Redierunt ipsi A. 1645, refugeruntque ad Portum regalem.

Digitized by Google

regalem. Cum *Angelica*, Abbatiſſa Portus regalis, A. 1646 religioſas plures in illum reciperet, ſcholæ minores tum in ſuburbium Pariſienſe, S. *Jacobo* ſacrum, ſeceſſerunt, comple- Pag. 18.
xæ 24 diſcipulos & quatuor magiſtros, *Walonem de Beaupuis*, *Lancelotum*, ac *Nicolium*. Paulo poſt ad calumnias evitandas ſcholæ hæ, claſſibus quatuor diſtinctæ, in quatuor loca fuerunt translatæ. Bello Civili A. 1652 ingruente, incolentes Portum regalem diſceſſere. Illo deferveſcente, ipſi redierunt, illico 20.
regio juſſu diſpergendi. *Foſſæus* tunc ſeceſſit ad plateam veredariorum cum *Tillemontio*. Præfuit utrique vir optimus *Du Mont*, ex cujus fratre *Akakia du Lac Foſſæus* didicit linguam Ebraicam. Ea ætate *Arnaldus* ac 71 Doctores, *Arnaldi* defenſores, ex Collegio Sorbonico ejecti fuerunt. *Mazarinio* indulgente, A. 1657 diſcipuli retulerunt ſeſe ad Portum regalem. Dominus *le Maitre* ibi *Foſſæum* ad interpretanda ſcripta aliorum, & ea in Gallicum convertenda, erudivit. Operi *Vitarum Sanctorum* A. 1658 uterque manum admovit. Obiit inter hæc *le Maitre* 4 Nov. Tum applicuit ſeſe *Foſſæus Sacio*, ac Eremitæ *Eranio de la Riviere*, Hiſpanicum ſermonem didicit, & vitam *Bartholomæi des Martyrs*, Archiepiſcopi Pra- 23.
genſis, Hiſpanice ſcriptam, tranſtulit in Gallicum. Anno 1660, tempeſtate nova in Portum regalem deſæviente, ipſe cum *Tillemontio* ſeceſſit ad caſtellum *des Troux* ad *Burlugæum*, ibi ſacerdotem, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ peritiſſimum. Rediit inde in villam Portus regalis, cui nomen minoris portus regalis, ubi ſcripſit vitam S. *Thomæ*, Archiepiſcopi Cantuarienſis. Pariſios inde ſeſe contulit, & quidem in domum *Singlini* intra ſuburbium S. *Marcelli*, una cum *Sacio* & *Fontænio*. *Singli-* 24.
nus A. 1664, 17 Apr. fuit defunctus. A. 1666 aſſectatoribus Portus regalis vel carcer, vel exilium, fuit propoſitum. Delituerunt igitur ipſi hinc inde. *Sacius* & *Fontænius* in carcerem 26.
Baſtilienſem ad $2\frac{1}{2}$ annos dati fuerunt. *Foſſæus* & *Boſrogerius*, ejus frater, ad menſem cuſtodia damnati, in acceptis tulerunt liberationem ſuam *Tellierio*, qui ſtatus erat a ſecretis, ea tamen conditione, ut in Normandiam redirent. Perſecutione 28.
intermittente, A. 1668 revertit *Foſſæus* Pariſios, *Tillemontio* ac

Turnevio familiariter uſurus. Vitas Sanctorum edidit A. 1685
Pag. 30. & 1687, quantum ad duos priores menſes attinet. Defuncti *Sacii* poſthæc continuavit in Biblia expoſitionem. A. 1697 paralyſi gutturis laboravit, &, eo cum morbo conflictans, Commentarios hoſce elaboravit, ne periret notitia exercitiorum pietatis & inſectationum, Portum regalem illuſtrantium ac infeſtantium, quorum ipſe maximam partem fuerat teſtis oculatus. Obiit A. 1698, 4 Nov. patientiæque in calamitatibus mira præbuit documenta. Hiſce ſubjunxit Editor ſeriem librorum, a *Foſſæo* in lucem emiſſorum. Epitaphium ipſius in Necrologio Portus regalis legitur hoc: *Quem vivus concupierat tumulum Petrus Thomas du Foſſé, hunc ipſius cordi reſtituit pietas ſuorum. Hic nutritus a puero, hauſit pietatem, qua ſic lucentem temperavit facem, ut nunquam deſierit ardere caritate. Hinc per vitam exul ceſſit neceſſitati, non amori. Abſens enim corpore licet, præſens autem ſpiritu, huc ſecedere, deliteſcere, emori, una ipſius fuit ambitio.* Commentarius ipſe in *quatuor* abit *Libros*. Momenta præcipua & argumenta non ſolum hic in vita *Foſſæi* attigimus, ſed etiam alibi in vita Abbatis *S. Cyrani*, ac ad librum *Lanceloti*, commemoravimus. Quare in præſens nil ſupereſt, niſi ut ſcripturam & amœnitatem ſcripti hujus, e vena *Foſſæi* olim profecti, dignis encomiis proſequamur. Dolendum ſane, Collegium Portus regalis in gratiam Jeſuitarum fuiſſe exſtinctum ac deſiiſſe. Credebant enim hi, Janſeniſmi ſeminarium exitioſum inibi alī ac foveri. Ignorant adhuc Lexica noſtra literaria vitam *Foſſæi*. E re igitur credidimus fore, ſi eam copioſius delibaremus.

33.

36.

DISSERTATION, DANS LAQUELLE ON RECHERCHE, depuis quel tems le nom de France a été en uſage pour deſigner une portion des Gaules, &c.

id eſt,

DISSERTATIO, IN QUA DISQUIRITUR, A quonam inde tempore nomen Franciæ fuerit in uſu ad partem Galliarum deſignandam, ſpatium tractus ita denominati,

Digitized by Google

nominati, acceſſiones ejus & antiquiſſimæ diviſiones inde ab ævo ſtabilitæ Francicæ Monarchiæ; quæ reportavit præmium in Academia Francica Sueſſionenſi A. 1740, Autore Domino LE BEUF, Canonico & Subcantore Antiſſiodorenſi.

Pariſiis, proſtat apud Ch. Joan. Bapt. Deleſpinam, 1740, 8.

Plag. 5.

Vox *Franciæ* Seculo demum ſexto medio ita in uſu eſſe cœpit, ut terras, a *Chlodovæi* liberis poſſeſſas, deſignaverit, quæ primo a *Chlodovæo* & *Childerico* fuerunt occupatæ. In Vita S. *Cæſarei* Arelatenſis, a *Cypriano*, Epiſcopo Telonis Martio, ſcripta, ad A. 542 Francia jam denotat partem Galliæ, a Francis occupatam, nec non apud S. *Niſierum*, Epiſcopum Trevirenſem, apud *Du Cheſne Tom. I pag. 855.* *Marius*, qui deſiit ſcribere A. 581, ad annum 523 tradidit, *Sigiſmundum*, Regem Burgundiæ, Francis fuiſſe traditum, *& in Franciam in habitu Monachali perductum.* *Sigiſmundus* vero perductus fuit Aureliam. *Nuſſium*, Coloniæ vicinum, a *Gregorio Turonenſi IV, 14, 16,* Franciæ attribuitur. Ligeris a meridie Franciam tunc terminavit. Autor, qui *Geſta Francorum* circa annum 700 conſcripſit, *Franciam* Auſtraſiæ oppoſuit, per hanc deſignans Franciam orientalem, proximamque Rheno. *Fredegarius*, qui circa A. 641 ſcripſit, utitur vocibus *Neuſtria* & *Neuſtraſii.* At in MSto, quod Pariſiis exſtat in Collegio *Ludovici Magni*, legitur *Neptrecum* & *Neptraſii*, ex *Nempt* & *reich*, id eſt, præcipuum regnum, præcipua regni ſedes. Ut hujus vocis originationem, & ſignificatum vocis *nempt*, oſtendat Autor, ſecum ſtare, provocat ad *Eginhardum*, Seculi IX ſcriptorem, qui *Ep. 34* ad Imperatorem *Lotharium* ita ſcripſit inter alia: *Quamobrem admonendam cenſui neptitatem veſtram.* Neptitatem exponit per præcipuitatem & principalitatem, ex *nempt*, quaſi nemptitatem dixiſſet. Difficilius equidem hoc videtur creditu. Certiora ſunt, quæ de Concilio eccleſiaſtico, A. 511 Aureliæ habito, afferuntur. Vero abſimilis videtur Autori Cel. originatio Auſtraſiæ ex ſitu orientali, ſeu Oſter, Oſten, ſiquidem maxima

Pag. 7. 10. 12. 17. 24. 30. 32. 33. 36.

Auſtraſiæ

Auſtraſiæ pars verſus ſeptentriones reſpectu Galliarum ſita fuit. Alii vocem illam deducunt ex *Weſter*, id eſt, caſtello; alii ex
Pag. 37. *Auſtre*, ſeu digno, unde dici putant *Auſtrebertum* & *Auſtregiſilum*. Nobis videtur vocula *Auſtre* idem eſſe ac *æuſſerſt*, *extremement*, ita ut Auſtrebertus ſit *admodum dignus*, *æuſſerſt wehrt*, Auſtregiſilus *admodum fidus*, *admodum ſodalis*, *æuſſerſt geſelle*, *extrema regio*, *æuſſerſte Seite*. Neuſtraſii nobis videntur dici quaſi *innerſte*, interiores incolæ, introrſum habitantes. Poſthæc Cl. Autor definire ſtudet limites regni
39. *Chlodovæi*, jam ad plures digreſſi, dieque ſuo defuncti. Primo quidem Epiſcoporum ſedes exquirit, qui ad Synodum Aurelianenſem fuerant convocati. Regnum Burgundiæ limitibus
40. hiſce comprehendi, negat. Epiſcopi, Aureliam convocati, habitarunt inter Garumnam, Ligerim, & Sequanam. Unde colligit Autor, Franciam, ſeu *Chlodovæi* regnum, intra eos fluvios exſtitiſſe. *Thidericus* enim, filius ejus natu maximus, jam tum Auſtraſiam rexit, quare nec Rhemis, nec Viriduno, &c. Epiſcopi eo fuerunt arceſſiti. *Petrus* Epiſcopus dicitur & denominatur in Concilio Agedenſi *de Palatio*, in Aurelianenſi *de Santonibus*.
43. Unde Autor colligit, eum priori tempore habitaſſe in palatio quodam ad partem meridionalem Santonum. *Alarico* victo, *Chlodovæus* tenuit regnum, autore *Fredegario*, *a mari* (pæne) *Tyrrheno*, *Ligere fluvio*, *& montibus Pyrenæis uſque ad Oceanum*.
46. Carcaſſonem & Arelatum occupare haud potuit. Nivedunum, ſeu Nivernam, ditioni *Chlodovæi* obnoxiam fuiſſe, ſuſpicatur Autor. Diſquirit deinde regiones terrasque, quas
59. quadripartito filii, ex *Chlodevæo* geniti, tenuerunt. *Childeberto*
63. tribuit Bituricum, Cotentinum, partem Britanniæ, Provinciam, partem tractus Cenomanenſis, Beſſinum, Carnutum. Turonum *Clodemirus* accepit, *Gregorio* teſte. *Ditericus* tenuit Franciam antiquam, Rheno adjacentem uſque ad Oceanum, ac uſque ad Rhemos & Catalaunum. *Chlodemirus* ſedem
77. Aureliæ habuit, dominatus in agrum Burbonnenſem, Turonum, tractus Bituricenſis partem, Arverniæ vicinam, tractum inter Diviodunum & Antiſſiodorum, partem Senonenſium,
83. Andegavenſem & fortaſſe Cenomanenſem tractum *Clotharius* tenuit

tenuit Sueſſionem, ibique ſedem regiam, agrum Veromanduenſem, Turnacum, Atrebatum, Camerium, Tervanam, Ambianum, Bellovacum, Rothomagum. At quomodo partes illæ quatuor dici poſſunt *æqua lance* inſtitutæ? Reſpondet Cel. Autor, non reſpiciendum eſſe ad æqualitatem terrarum, ſed ad Pag. 95. æqualitatem legionum & equitum Francorum, paſſim commorantium, quæ ipſa Abbatis *du Bos* eſt ſententia. Miramur ſane diligentiam Cel. Autoris, qui difficultates nodoſiſſimas ſolvere,& nebulas dubitationum veriſimilitudine interpoſita feliciſſime propulſare, potuit, nihilque fecit reliqui, ut tenebris lucem & obſcuritati Phœbum inferret. Gratulamur ei ſucceſſum laboris tam auſpicato & præclare collocati.

SAGGIO DELL' ISTORIA DELL' INDICE ROMANO de' Libri proibiti.

hoc eſt,

SPECIMEN HISTORIÆ INDICIS ROMANI librorum prohibitorum.

Romæ, ex typographeo Komareccii al Corſo, 1739, 8.

Plag. 2.

Exiit Lipſiæ A. 1684 in lucem *Danielis Franci Diſquiſitio Academica de Papiſtarum Indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum* forma, quam vocant, quarta. In ea Autor promiſit, ſeſe hiſtoriæ Indicum librorum prohibitorum conſcribendæ ſtudium animumque eſſe applicaturum. Promiſſis vero is non ſtetit. *Jon. Conr. Schrammius*, Helmſtadienſium olim Theologus, tentavit in hac parte Hiſtoriæ eccleſiaſticæ nonnihil, ita tamen, ut ultra lineas primas non multum proceſſerit. Ante complures annos ſumſit hanc telam Anonymus pertexendam, ratus, morem libros prohibendi & expurgandi, immo comburendi, ſuperſtructum eſſe exemplo, quod in *Actis Apoſtolicis* legitur, nitique Conciliis & ſummorum Pontificum decretis. Producit ipſe ex 7. Bibliotheca Vallicellana *ſententiam Papæ Leonis de Apocryphis Scripturis*, ſcriptam Seculo nono, quæ ſic habet: *Curandum eſt*

& ſacerdotali diligentia maxime providendum, ut falſi Codices & a ſincera veritate diſcordes in ullo uſu lectionis habeantur, quia habent ſemina falſitatum. Non ſolum hæc interdicenda ſunt, ſed etiam penitus auferenda, atque ignibus concremanda, quia, quamvis ſint in illis quædam, quæ videantur habere ſpeciem pietatis, nunquam tamen vacua ſunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut per mirabilium narrationum ſeductos laqueos cujuscunque errores implicentur. Unde, ſi quis Epiſcoporum apocrypha habere non prohibuerit, vel eos libros, qui ab hæreticis ſunt vitiati, in Eccleſia permiſerit legi, hæreticum ſe noverit judicandum. Quoniam, qui alium ab errore non revocat, ſe ipſum errare demonſtrat. Tractatus autem S. Hieronymi, Ambroſii, & ceterorum S. S. Patrum, expoſitiones Veteris & Novi Teſtamenti, quæ a nominatiſſimis Doctorum Orthodoxis graviter factæ ſunt, prout Ordo poſcet, in Eccleſia legantur. *Leonis Magni* hoc eſſe decretum, Autor
Pag. 8. ſibi perſuadet. *Gelaſius* Papa dicitur in Synodo Romana ſecunda A. 496 Indicem hæreticorum propoſuiſſe, quorum libri a fidelibus ſint vitandi, autore *Bellarmino Lib. III de Laicis Cap. 20. Joſephus Blanchinius* in Prolegomenis ad *Tom. IV Anaſtaſii Bibliothecarii pag. 61* largitur, *Gelaſio* deberi decretum illud & Indicem librorum prohibitorum. *Guilielmus Cavens* contra credidit, ad officinam *Iſidori Mercatoris* utrumque eſſe relegandum. Noſter vero, Indicem illum *Gelaſio* autore promulgatum fuiſſe, credit, ab *Hormiſda* auctum. Conſenſu *Petri de Marca* & *Fontanini* in *Antiquit. Hortæ Lib. II Cap. 3 pag. 218* ſeſe tuetur idem. Nonus Canon Concilii Nicæni ſecundi, A. 787 celebrati, ſpeciem Indicis ejusmodi præfert. En ipſum:
31. *Omnia puerilia ludibria inſanosque debacchationes atque conſcripta, quæ falſo contra venerabiles imagines facta ſunt, dari oportet in Epiſcopio Conſtantinopoleos, ut recondantur cum ceterorum Hæreticorum libris.* *Innocentius III* Epiſtolam miſit ad Chriſtianos civitatis & diœceſeos Metenſis A. 1199, ut ipſi vitarent libros ſacros omnes, in linguam Francicam antiquam converſos, factos quippe a perſonis ſuſpectis. Vid. *Bzovius* in *Annal. Eccleſ. Tom. XIII pag. 30 ed. 2.* Archiepiſcopus Senonum, *Petrus*

Digitized by Google

trus Corbulenſis, A. 1210 in Concilio provinciali Pariſienſi prohibuit, & flammis adjudicavit, *quaternulos Magiſtri David de Dinant*, legi prohibuit *libros Ariſtotelis de naturali Philoſophia & Commenta* (commentarios ſuper eis), & tradi præcepit e contrario ſacerdotibus dioeceſanis *libros theologicos*, Romano ſermone ſcriptos. Videatur *Martenii & Durandi Theſaurus novus Anecdotorum Tom. IV f. 166.* *Paulus IV* primus fuit, qui Indicem ſua autoritate munitum Romæ edidit, cui titulus: *Index Autorum & librorum, qui tanquam hæretici, aut ſuſpecti, aut pernicioſi, ab officio S. R. Inquiſitionis reprobantur, & in univerſa Chriſti republica interdicuntur. Romæ, apud Antonium Bladum, impreſſorem Cameralem*, A. 1557, *in* 4. Proluſerat jam *Carolus V*, qui A. 1546, & cum Supplementis A. 1556, Indicem ejusmodi in lucem emitti juſſerat. *Paulus IV* A. 1559 copioſiorem Indicem adornandum curavit, cui titulus: *Index Autorum & librorum, qui ab Officio ſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis caveri ab omnibus & ſingulis in univerſa Chriſtiana Republica mandantur, ſub cenſuris contra legentes, vel tenentes, libros prohibitos in Bulla, quæ lecta eſt in Cœna Domini, expreſſis - - Romæ, apud Antonium Bladum*, 1559, *menſe Januarii*, *in* 4. Idem Index quoque editus fuit in 12. Recudi fecit *Vergerius* Baſileæ hunc Indicem, annotationibusque ſuis inſtruxit. In Congregatione, ſecundæ ſeſſioni Tridentinæ præmiſſa, de conſcribendo ejusmodi Indice fuerat deliberatum, & res ipſa ſancita, teſte *Pallavicino XV, 18, 19.* Synodo finita A. 1563, 4 Dec. cogitatum fuit de Indice edendo, qui A. 1564 in lucem prodiit, literis bullatis *Pii IV*, 24 Martii editis, confirmatus. Cœpit tum quoque deputatio Concilii, ab Indice cognominata, cujus a ſecretis fuit P. *Franciſcus Forerius*, Dominicanus, in Luſitania natus. Hanc poſtea Deputationem *Pius V* in *Congregationem Indicis* mutavit, eique Secretarium aggregavit *Antonium Poſſium.* Succeſſu temporis Pontifices Dominicanos eis muniis admoverunt, qui in hunc uſque diem Congregationem illam procurant. Index ille, qui Tridentinus vocatur, hinc inde anno eodem fuit recuſus. *Clemens VIII* A. 1596, 4, atque 8, *Indi-*

Pag. 12.

14.

16.

17.

18.

tem librorum prohibitorum cum regulis confectis per Patres, a
Pag. 20. *Tridentina Synodo delectos, autoritate Pii IV primum editum, poſtea vero a Sixto V auctum, & nunc demum Clementis VIII juſſu recognitum, apud Impreſſores Camerales* evulgavit. Renovarunt editionem hujus Indicis viri, a religione Pontificia alieni. Prodiit Hanoviæ A. 1611, 8, *Index, edi-*
21. *tus ad teſtificandum fraudes & falſationes Pontificias per Franc. Junium, cum Indice librorum, & Regiſtris, confectis per Patres Concilii Tridentini, & autoritate Pii IV, ac poſtea per Sixtum V & Clementem VIII.* Oxonii A. 1627, 8. *Thomas Giames* eundem quoque recudendum curavit. Magiſter ſacri palatii, *Joannes Maria Guanzellus*, Braſigellenſis, denuo
22. ſeſe huic operæ affixit, ac *Indicis librorum expurgandorum, in ſtudioſorum gratiam confecti, Tomum primum, in quo 50 Autorum libri, præ ceteris deſiderati, emendantur*, edidit Romæ A. 1607, 8. Editio hæc repetita fuit Bergomi A. 1608, 8. Diſſeruit de hoc libro *Struvius* in *Nova librorum variorum collectione Faſc. I Præf. pag. 37.* Elenchus librorum prohibitorum A. 1624, 12, & idem Coloniæ Agrippinæ A. 1627, prodiit. Tandem *Franciſcus Magdalenus Capiferrius*, Indicis a ſecretis, A. 1632 Romæ, 12, inſcripſit ſummo Pontifici *Urbano VIII Elen-*
23. *chum librorum omnium, tum in Tridentino Clementinoque Indice, tum in aliis omnibus S. Ind. Congregationis particularibus decretis, hactenus prohibitorum, ordine uno alphabetico.* Cui acceſſit denuo Index Librorum a Sac. Indicis Congregatione paſſim ad annum uſque 1630 Tridenti 12, nec non Romæ A. 1640, 8. Antwerpiæ A. 1644, Coloniæ A. 1647, Lugduni A. 1650. Exiit in lucem A. 1638 *Hiſtoria Inquiſitionis*, Autore Fr. *Paulo Sarpio*, ſi-
24. mulque ab eo nonnihil de Indice illo concertatum fuit *Sarpium* inter & Cardinalem *Albizium*, ejus antagoniſtam, quantum attinet ad ejus obligationem. *Giannonius* certe in libro: *Iſtoria civile del Regno di Napoli, Tom. III Lib. XXVII pag. 436* perhibere haud fuit veritus, autoritatem Indicis in Hiſpania limites intra anguſtos coercitam eſſe, nec eum ex toto, nec exacte, ibi eſſe
26. receptum. *Index librorum prohibitorum, Alexandri VIII, Pontificis Maximi, juſſu editus*, Romæ A. 1664, 4, adſpexit lucem. In-

dex

dex hic porro eſt alphabeticus, deinde onomaſticus, & tertio exhibet argumenta, ſeu materias. Quartum locum occupat Appendix, quintum Index *Clementinus*, quem alii vocant Tridentinum. A. 1665, 8, exiit denuo ille Index. A. 1667 prodiit Romæ *Appendix Decretorum, quæ publicata ſunt, & locis conſuetis affixa poſt Indicis Romani A. 1664 editionem ad extrema uſque Alexandri VII, P. M.* Index idem poſtea ſemper retentus, at appendicibus & ſupplementis locupletatus fuit A. 1670, 1680, & 1683. Evulgatus is fuit denuo A. 1704, 8, Romæ ſub titulo: *Index librorum - - - uſque ad annum 1681. Eidem accedit in fine Appendix uſque ad menſem Junii.* Excepit hanc editionem *Appendix noviſſima - - ab anno 1704 uſque ad totum menſem Martii* 1716, 8. A. 1718 ſecuta hanc fuit *Appendix noviſſimæ Appendicis*, & hanc alia uſque ad totum menſem Junii 1734, Romæ, 8. Non fuiſſemus tam longi in argumento libelli delibando, ſi eruditis gentium cultiorum viris hæc poſſent eſſe obvia & comperta. Autorem libelli licuit nobis ex *pag. 24* detegere, ubi ipſe prodidit, ſeſe eſſe ſcriptorem *Bibliothecæ fugitivæ* (Biblioteca volante), hoc eſt, *Joannem Cinellium.*

Pag. 27.

29.

DEGLI OCCHIALI DA NASO, INVENTATI DA SALVINO ARMATI, &c.

hoc eſt,

DE OCULARIIS NASI, SEU PERSPICILLIS, A Salvino Armati, Nobili Florentino, inventis, Commentatio hiſtorica, Autore DOMINICO MARIA MANNI, Academico Florentino.

Florentiæ, ex typographeo Antonii Marii Albizzini, 1738, 4.

Plag. 13.

Honori ac ornamento Florentiæ eo quoque nomine Cel. Autor ivit conſultum, quod inventionem perſpicillorum, ſingulare providentiæ divinæ munus, Florentino *Salvino Armati* aggreſſus fuit vindicare. Inſcripſit tractationem Ill. Domino *Andreæ de Verrætano*, Equiti Ordinis S. *Stephani*. Expoſuerat vero jam ſententiam ſuam in *Ratiocinationibus*, ſeu rationalibus commentationibus, inſertis *Tomo IV Opuſculorum*, quæ P. *Calo-*

Præf. pag. 14.

Calogiera colligit, ac in Commentario *de Florentinis inventis Cap. 25*, ut videre licet ex Ill. *Scipionis Maffæi Obſervationum literariarum Veronenſium Tomo I.* Solent alii inventionem illam Fr. *Alexandro Spinæ*, Piſano, aſſertum ire. *Petrarcha* jam ocularia meminit. Ipſe enim *de remediis utriusque*
Comm. *fortunæ* hæc habet: *Viſum languidum ocularibus refovet*, ac in
pag. 4. Epiſtola de origine, vita, converſatione, & ſtudiorum ſuorum ſucceſſu, ſic inter alia: *Ad ocularium confugiendum erat auxilium.* Veteres partem in caſſide ferrata oculis obverſam, per quam obvia, licet facies ſit obtecta, cerni poſſunt, dixere *ocular*, *oculare*, & *ocularium*. *Rigordus Medicus* in *Vita Philippi*
5. *II*, Regis Galliarum, ad A. 1215 ita: *Occiditur cultello - - recepto in capite per ocularium galeæ. Matthæus Pariſienſis* ad A. 1217: *Irruit quidam de Regalibus, & per ocularium galeæ, caput eius perforando, cerebrum effudit. Guilielmus Brito* in *Philipp. Lib. II: Feneſtras Pergaleæ medias, quibus eſt ocularia nomen, per quas admittit ocularis pupula lumen.* Sunt, qui vitreos orbiculos, ſeu perſpicilla, putant a veteribus appellari *ſpecilla*. *Plinius* certe *H. N. LIII, 7*, ita tradit: *C. Julius Medicus, dum in-*
7. *ungit, ſpecillum per oculum trabens.* At *Varro* hos facile retundit, judice *Cælio Rhodigino Lect. Antiq. XV, 13. Varro* enim hæc habet: *Hinc, quo oculos inungimus, quibus ſpecimus, ſpecillum.* Alii, ut perſpicillorum oſtendant antiqui-
10. tatem, confugiunt ad illud *Plauti: Vitrum cedo, neceſſe eſt conſpicillo uti. Voſſius* monet ad iſthæc: *Primum nego, hæc eſſe Plauti; nego etiam, hæc legi apud veterem quemquam. Plauti* tamen hoc eſt in *Ciſtellaria Act. I v. 93: Dum red-*
13. *eo domum, conſpicillo conſecutus eſt clanculum me uſque ad fores*, quamvis ſignificatus vocis ad perſpicilla noſtra haud quadret. *Gerhardi* enim hæc ſunt: *Conſpicillum eſt locus, unde*
14. *quis conſpicere poſſit, ſicut interpretatur* Nonius Marcellus, *qui & ex* Plauti *Medico adducit: In conſpicillo aſſervabam, pallium*
21. *obſervabam; ubi non aliter capere poſſis, quam illo Ciſtellariæ loco.* Veteres dixere eos *ocularios*, qui oculos ſimulacrorum ac ſtatuarum conficiebant, teſte Inſcriptione una & altera. Conf. *Gudii Inſcript. p. 224 n. 10.* Cel. Autor per *feneſtras*, ſeu ὀπὰς, *Eccl. XII, 3*, memoratas, deſignari credit

pupillas

Digitized by Google

pupillas oculi & oculos ipſos, palpebris circumcluſos. *Geierus* certe noſtras hic a janua aberravit, ratus, ſignificari perſpicilla ſenibus familiaria. Perſpicillorum enim inventio eſt ad ætatem recentiorem trahenda. *Ægidius Menagius*, circa A. 1150 ocularia, ſeu perſpicilla, jam in uſu fuiſſe, credidit, adductus verſiculis *Procoprodomi* in Poemate verſuum politicorum contra *Alegumenum* hiſce: Pag. 23. 24.

Ἔρχονται, βλέπουσιν εὐθὺς, κρατοῦσιν τὸν σφυγμόν τε
Θωρῶσι καὶ τὰ σκύβαλα μετὰ τῦ ὑελίυ.

At ſalva res eſt. Τέλιον hoc loco eſt operculum vitreum, excrementis merdisque ſuperimpoſitum. Specularia veterum Autor vix attingit, de quibus conferri poteſt Diſſ. *Jo. Oldermanni de Specularibus veterum*, A. 1719 Helmſtadii in lucem emiſſa. Per pilam vitream veteres jam res obvias, minutas & obſcuras, reddidiſſe majores clarioresque, jam *Seneca* tradidit *Quæſt. Nat. I, 6*, & ex eo *Petrarcha de Remediis utriusque fortunæ II, 83*. Oſtendit Cel. Autor ſolide, ante Seculum XIII inſtrumenta vitrea, oculis infirmis accommodata, in uſu haud fuiſſe; eumque in finem teſtimonia idem ſentientium coacervat. Sunt, qui perſpicilli inventionem Fr. *Alexandro Spinæ*, Piſano, tribuunt, qui A. 1312 rebus humanis valedixit. Fr. certe *Dominicus da Peccioli*, Piſanus, in *Chronico* ſuo habet iſthæc: *Frater Alexander de Spina, Piſanus, manibus ſuis, quicquid voluiſſet, operabatur, e charitate victus aliis communicabat. Unde, cum tempore illo quidam vitrea ſpecilla, quæ ocularia vulgus appellat, primus adinveniſſet, pulchro ſane, utili, ac novo, invento, neminique vellet artem ipſam conficiendi communicare, hic bonus vir & artifex, illis viſis, ſtatim, nullo docente, didicit, & alios, qui ſcire voluerunt, docuit. Canebat modulate, ſcribebat eleganter, & deſcriptos libros, quos minia appellant, ornabat. Nullam prorſus manualium artium ignoravit.* Repetiit idem teſtimonium *Franciſcus Redi* in Epiſtola ad *Paulum Falconierium*, qua in inventionem perſpicillorum inquiſivit, ac negavit, eam *Alexandro de Spina* deberi ex omni parte. *Ferdinandus Leopoldus a Miliore*, Florentinus antiquitatum indagator, in *Florentia illuſtrata* ex Necrologio Florentino antiquo 20. 36. 34. 62.

Pag. 64. tiquo docet, inventorem fuiſſe *Salvinum Armati* (*Salvino degli Armati*), *Armati* filium, ex nobile ſtirpe procreatum. En Inſcriptionem *Salvini* ſepulcralem: + QUI DIACE SALVIN DIO GLI D ARMATO DEGLI ARMATI DI FIR. INVENTOR DEGL OCHIALI PERDONI LA PECCATA. ANNO. D. MCCCXVII. Inventio certe eo anno iam fuit ſatis vulgata. *Bernardus* certe *Gordonius*, Profeſſor Medicinæ Montispeſſulanus, in libro, cui nomen
75. *Lilium Medicinæ, Lib. III Cap. 5* de paſſionibus oculorum expoſuit, & quidem de debilitate viſus, hunc in modum: *Et, ſi fuerit hiems, conficiatur in cineribus, ubi ſit calor ad modum gallinæ cubantis, & agitetur, & ſervetur in vaſe vitreo, & oculis inſtilletur, & eſt tantæ virtutis, quod decrepitum faceret le-*
76. *gere literas minutas ſine ocularibus.* Liber hic A. 1305 fuit compoſitus. In Procœmio enim hæc leguntur: *Inchoatus eſt liber iſte cum auxilio magni Dei, in præclaro ſtudio Montispeſſulani poſt annum vigeſimum lecturæ noſtræ anno Domini 1305 menſe Julii.* Copioſius hæc repetivimus decerpta, tum quidem quod ea a pluribus legi ſunt digna, tum quod liber ipſe in manus Germanorum ac gentium ſeptentrionalium haud facile videtur perventurus. Liceat tamen ſuſpicari, *Salvinum* illum Florentiæ quidem perſpicilla primum elaboraſſe, ac ibi pro eorum inventore habitum fuiſſe, inventionem vero ipſam eſſe antiquiorem, Seculo XIV quippe ineunte jam per Gallias vulgatam. *Gerbertus* certe, ſeu Pontifex *Silveſter*, jam *Ottoni* Imperatori oſtendit Arcton, ſeu ſtellam polo proximam, per fiſtulam, ſeu tubum opticum, teſte *Ditmaro Merſeburgenſi Annal. VI, pag. 399* edit. *Leibn.* Qualis illa fuerit fiſtula, perſpicitur ex *Joannis Mabillonii Deſcriptione itineris Germanici pag. 53 ſeq.* ubi hæc leguntur: *Conradus Monachus Chronicon illud monaſterii Schirenſis ab A. 1096 inchoavit, atque ad ſuum tempus, id eſt, ad Seculum XIII, deduxit; Stephanus Abbas ad noſtrum Seculum produxit; & in lucem emitti curavit A. 1623. Hic Conradus manu ſua varios exaravit membranaceos Codices, ab Aventino laudatos; quorum unus magiſtri Petri, cognomento Comeſtoris, ſcholaſticam hiſtoriam continens, in quinque primis*

foliis

foliis artium liberalium imagines repræſentat, - - - deinde in ſecundo folio picta Muſica, & in tertio Aſtronomia, exhibetur, adjunctam habens a dextris Ptolemæi effigiem, ſidera contemplantis ope inſtrumenti longioris, quod inſtar tubi optici, quatuor ductus habentis, concinnatum eſt, & in fronte hujus libri conſpicitur. Cur ductibus nonnullis conſtitit fiſtula, ſi vitra ei inſerta fuerunt nulla? An vitrorum ejusmodi indoles innoteſcere potuit, niſi innotuiſſent ſimul perſpicilla? An modus poliendi vitra, tubo optico apta, & perſpicilla differt? Sed hæc ὡς ἐν παρέδῳ.

OSSERVAZIONI DI OTTAVIO BOCCHI SOPRA UN antico Teatro ſcoperto in Adria, &c.

id eſt,

OCTAVII BOCHII OBSERVATIONES IN ANTIquum Theatrum, Adriæ detectum, ad eruditiſſimos Academicos nobilis Academiæ Etruſcæ, quæ viget floretque in antiquiſſima civitate Cortona.

Venetiis, ex typographeo Simonis Occhi, 1739, 4.

Plag. 5.

Adriæ A. 1661 fundamenta antiqui Amphitheatri fuerunt detecta, quæ a temporibus Hetruſcis plerique arceſſunt, quibus urbs illa floruit, Romanis rerum dominis afflictata. In figura æri inciſa Amphitheatrum illud repræſentatur. Numi Adriæ exſtant adhuc longe antiquiſſimi, in quibus legitur *Hatri*, *Hat*, *Yat*, unde mare, quod nunc vocatur *Golfo di Venetia*, *ſinus Venetus*, olim *Atriaticum*, poſtea *Adriaticum*, Pag. 8. fuit appellatum. Statuæ exiguæ, ex ære factæ, Adriæ fuerunt inventæ ſimul cum bulla, referentes rationem veſtitus antiquorum Enetorum ac Trojanorum, vel potius Hetruſcorum. *Tarquinii Priſci* ætate Gallos Adriæ fuiſſe moleſtos ac infauſtos, Autor docet ex *Livii Lib. V*, atque *Plinii H. N. III, 14, 16.* Adriam, imperantibus Romanis, exſtitiſſe adhuc, licet exiguam & vilem, autor eſt *Strabo Lib. V* ac *Tacitus Lib. III* m. *Ann.* nec non ipſe *Plinius III, 16.* Amphitheatra Græca habue-

Pag. 13. runt ampliorem orcheſtram & ſcenam magis recedentem, ac pulpitum latitudine minori; Romani contra orcheſtram exſtruxerunt minutiorem, ſcenam reddiderunt ampliorem. Neutrius generis eſt Adriaticum hoc Amphitheatum; quare nihil reſtat, niſi ut, illud Thuſcanicum fuiſſe, credamus. Imagines tres, e coctili materia factæ, theatro olim huic adhæſerunt, ante aliquot annos in loco Gavello, quinque milliaribus Adriæ ab urbe
14. disjuncto, inventæ. Inſcriptiones, in ipſis obviæ, literas exhibent incompertas, quæ vulgo Hetruſcæ exiſtimari ſolent. Laterculis coctilibus veteres inſcripſiſſe obſervationes, ſignificavit *Plinius H. N. VII, 56.* Exhibuit eruditiſſimis Academicis Cl. Autor Inſcriptiones, Tabulis V, VI, & VII, allatas, Adriæ effoſſas. Primæ Inſcriptionis exitus annum declarat 450 & 13 diem Aprilis. Secundæ primordia oſtentant vocem *Pax*, & voces Latinas partim, partim Græ-
15. cas. Tertia eſt commatis ejusdem, & deſignat annum 603. Ad Adriam præterea A. 1736 effoſſa eſt ara peculiaris figuræ, capitulo & latiore baſi ornata, quæ, poſita in proſcenio olim, exhibet pictum vaſculum Etruſcum altitudinis unciarum quindecim, latitudinis vero ſexdecim, & ſemis. Ludiones in eo pi-
16. cti ſunt, tres in antica, tres in poſtica, omnes perſonati. Tres cum barbis longis, tres cum perſona juvenili. Quinque apparent nudi, unus videtur eſſe palliatus, qui fuſcinam vibrat. Singuli caput oſtentant galeatum, ſeu galericulo ex ære armatum. Qui fuſcinam tenet, videtur eſſe retiarius, reliquos vero ſecutores & pugnantes cum his etiam mirmillones. Unde fit veriſimile, pugnas huius generis eſſe perantiquas. Amphoris Cois laus erat maxima; maxima Hadrianis firmitas, teſte *Plinio*
18. *XXXV, 12.* Præcelluiſſe ceteris artifices vaſculorum opificio Hadrienſes, indicat vas diota apud Cel. *Gorium* in *Muſeo Etruſco P. II pag. 428.* Spectanda præbet Autor monu-
22. menta porro duo, Græcis literis, orbem ambientibus, inſcripta. In primo, quod ex ære eſt, videmur nobis hæc legiſſe: M N Ευτύχη σοφοι, id eſt, Μνῆμα (monumentum) *Eutiche ſapienti* ſc. dedicatum. In altero lateritio literæ majusculæ alphabeti Græci leguntur hoc ordine: A B Γ Δ E E H Ϝ Θ I K Λ M N.

Digitized by Google

N M. Eta hic præcedit literæ Zita, & Ni præit literam M. Autor Cl. ut haſce Inſcriptiones exponeret, periculum facere recuſavit. Videmur vero nobis rem acu tetigiſſe. Veteres Pag. 23.
juxta theatra ſoliti fuerant templa Diis moliri, teſte *Vitruvio I, 7.* Ante hos centum annos in vineis prope Adriam inventus fuit tubus plumbeus, rotundus, craſſus, & amplus, fortaſſis aquæductus pars inſignis, qui ad mare tendit. De reliquo vaſa 24.
fictilia Tuſca, quale ſub finem Diatribæ Cl. Autor in numo æreo exhibet, cui adſcriptum eſt HAT, id eſt, *Hatria.* Veteribus fuerunt in deliciis crebroque uſu, prædicata a *Martiali Lib. XIV Epigr. 98,* & a *Perſio Sat. III v. 60.* Tantus jam Italos patriæ inceſſit exploranda cupiditas, ut hiſtoriam ſuppleant veterem e monumentis paſſis effoſſis. Quis inſtitutum illud non juſtiſſimis ad cœlum tollat laudibus?

DESCRIPTION DE LA VILLE ET DES ENVIRONS d' Orleans, &c.

id eſt,

DESCRIPTIO URBIS ET CONFINIORUM Aureliæ, obſervationibus hiſtoricis illuſtrata.

Aureliæ, ex typographeo Franciſci Ruzo, 1736, 8. Plag. $7\frac{1}{2}$.

Opuſculum in lucem emiſit *Polluchius*, telam exorſus eſt Rev. P. *Dom Touſſaints Dupleſſis*, Benedictinus Congregationis S. *Mauri* Monachus, cum Aureliæ commoraretur. Hiſtoriam urbis tantæ hic adornaturus, progreſſus jam fuerat ad regnum Regis *Chlodovæi.* Deſcriptionem hanc ipſe operi erat præmiſſurus, iſagoges loco. Editor eam, cujus ſupplementum non edetur, annotationibus hiſtoricis ornavit, uſus libris *Le Maire*, *La Souſſaie*, & *Guyon*, Autorum de rebus Aureliæ diſſerentium. Aureliam ducali honore evexit *Philippus*, Rex Valeſius, A. 1344, 2
Epiſcopatu antiquiſſimo inſignem inde ab anno 391. Academiam Aurelianenſem celebrant univerſi. *Philippus Valeſius* 17
mœnia urbis ampliavit. Baſilicam concremarunt Normanni A. 883, & A. 999 funeſtum ea incendium fuit perpeſſa. Omittimus

rempla & loca publica reliqua. Ad S. *Euverti* regula S. *Au-*
Pag. 75. *guſtini* fuit introducta circiter medium Seculi XII. Diſciplinæ ibi monaſticæ autor fuit S. *Victor Pariſienſis* per Abbatem *Gilduinum*, Abbatem S. *Victoris*, qui *Rogerium* Cœnobio huic videtur Aureliæ præfeciſſe. *Philippum*, filium S. *Ludovici*, te-
83. nuiſſe Aureliam apanagii loco, fama dictitat communis. At, id eſſe veritati minus conſentaneum, longe lateque demonſtravit Editor peculiari Commentario ſubjuncto, innixus inprimis chartæ *Ludovici Sancti*, A. 1268 datæ, qua recenſentur loca, quæ pater *Philippo*, filio ſuo primum genito, hæreditariæ poſſeſſionis formula tradit tenenda. Accedit tandem Domini *Du Pleſſis* Diſſertatio, qua oſtendere is ſtuduit, Aureliam eſſe antiquam
3. urbem *Genabum*. Idem ſenſere *Aimoinus*, Monachus S. *Benedicti* ad Ligerim, *Hugo*, Monachus ejusdem Abbatiæ, A. 1109 hiſtoriam ſcribens, *Ægidius Pariſienſis*, *Robertus Gaguin*, *Papirius Maſſon*, *Joſephus Scaliger*, *Aubertus Miraus*, *Chriſtophorus Cellarius*, *Baldrandus*, *Sanſon*, *Adrianus Valeſius*, aliique. Rationibus præterea pugnat Autor, & lacertos admodum movet, ut opiniones ſibi adverſantes repellat & profliget. Alii Genabum habent pro oppido *Gien*, alii id exiſtimant eſſe urbem *Gergeau*, ſeu Gegoviam. En argumentum primum. *Cæſar B. G. VII*, 2, & *Strabo IV pag. 191*, tradunt, Genabum fuiſſe ſitum in terra Carnutenſium. Ipſe addit, Carnutenſes habitaſſe tractum, qui nunc diœceſibus Carnutenſi, Bleſenſi, ac Aurelianenſi, continentur; oppidum Gien haud eſſe referendum ad diœceſin Aurelianenſem; in Itinerario *Antonini* Genabum poni in via regia inter Auguſtodunum ac Pariſios, & 77 m. p. a Novioduno disjunctum fuiſſe; Gien oppidum vocari Giemum & Giemacum, non Genabum. Gergoviam æque repudiat, quia ibi nunquam exſtitit Epiſcopatus. *Cæſar* ſignificat, Genabum ripæ Ligeris
5. dextræ fuiſſe adjectam. Qui ſitus Autori videtur non niſi in Aureliam quadrare. Cenabum *Antonini Lucas Holſtenius* pro Geneva habuit, eo quod imponitur inter Mediolanum ac Argentoratum. At Cenabum alterum eo haud eſt trahendum. Genabum, ſeu Cenabum, *Julius Cæſar* diruit, *Aurelius*, noſtro judi-
7. cante, id reſtituit, & ex ſuo nomine appellari voluit. *Civitas*

Aure-

Aurelianorum legitur jam in antiqua *Notitia provinciarum urbium Galliæ*, quæ videtur, imperante *Honorio*, fuisse literis mandata. *Sidonius Apollinaris* eam *urbem* vocat *Aurelianensem Lib. VIII Ep. 15. Ecclesia Aurelianensis* commemoratur in *Concil. Labb. Tom. IV pag. 1410, 1783, & Tom. V pag. 304, 389.* Episcopi ibi convenerunt Seculo sexto. Numi, ibi percussi, habent nomen *Aurilianis* & *Aurelianis.* Quid Cel. Canonicus *Le Beuf* sit de hac sententia pronuntiaturus, avemus scire. Ipse enim arbitratur, Genabum esse *Gien vieux.* Vide *Journal des Sçavans 1739 Jun. pag. 167 seq.*

ESSAIS DE THEODICE'E SUR LA BONTE' de Dieu, la liberté de l'homme, & du l'origine du mal, &c.

id est,

TENTAMEN THEODICEÆ DE BONITATE Dei, libertate hominis, & origine mali, Autore G. G. DE LEIBNITZ. Nova Editio, aucta historia vitæ & recensione operum ejusdem, accurante M. L. DE NEUFVILLE.

Tomi II.

Amstelodami, impensis Fanciſci Changuioni, 1734, 12 maj.

Alph. 1 plag. 14.

Si quæ accessiones, vel a *Leibnitio*, vel ab Editore, profectæ, editionem hanc a reliquis editionibus distinguerent, ac internoscendam præberent; nostrum esset omnino, earum inire numerum, ac ex eis promulsida cum lectoribus communicare. Cum vero hic liber aliquoties, Gallice, Latine, & Germanice, redditus, in publicam lucem exierit, manibusque eorum, qui controversias de gratia atque consulta Metaphysices, inprimis Theologiæ & naturalis & revelatæ, non a limine salutarunt, teratur; nobis nil dicendum restat, præterquam quod hæc editio ita fuerit adornata, ut nitore chartæ, accurata vocum, negligenter antea positarum, emendatione, & biographia *Leibnitia-*

na, nec non expoſitione de ſcriptis ſummi poſt fata Viri, e Germanico in Gallicum converſa, ſeſe admodum commendet. Credimus vero, Cl. Editorem operæ pretium facturum fuiſſe, ſi literarium commercium, quod *Leibnitio* cum *Samuele Clarkio* interceſſit quondam, & quod Germanice Francofurti Lipſiæque A. 1720, 8, prodiit, ob argumenti affinitatem addidiſſet.

DISSERTATION SUR LES BULLES CONTRE BAJUS, où l'on montre, qu'elles ne ſont pas reçues par l'Egliſe, &c.

id eſt,

DISSERTATIO SUPER LITERIS BULLATIS, contra Bajum promulgatis, in qua oſtenditur, eas ab Eccleſia haud eſſe receptas.

Partes II.

Trajecti ad Rhenum, ſumtibus Societatis, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 16½.

Ad hiſtoriam diſcidii, quod inde a duobus Seculis in Romana eccleſia alte inſedit, hæc ipſa bipartita Diſſertatio facit admodum. Controverſia illa *Janſeniſtica* non eſt de nihilo, ſiquidem in ipſam de gratia Dei doctrinam influit non parce. Ii, qui Janſeniſtis haud favent, contra eos laudant literas Pontificis Romani bullatas, quæ adverſus *Bajum* fuerunt datæ, quarum tres ſunt ſatis notæ, nempe *Pii V* A. 1567, *Gre-*
Pag. 5. *gorii XIII* A. 1579, & *Urbani VIII* A. 1642. Hiſce literis, veluti capite Meduſæ, ſeſe muniunt Jeſuitæ in celebribus *de Auxiliis* congregationibus, Ordinis Lovanienſis doctores tres, *Schinkelius*, *Beuſecum*, & *Deſanges*, fuerunt illi, quorum commemorationi curia Romana iniit rationes ad literas illas bullatas
8. evulgandas. Triumviri hi, ita refert Noſter, ſcripſere A. 1642 ad patrem Romæ purpuratum *Barberinium*, ſedente Pontifice *Urbano VIII* ad clavum, autoritatem *Auguſtini* non eſſe tantam, quin ea poſſit rejici, ſiquidem *Pius V* & *Gregorius XIII* nonnullas damnaverint propoſitiones, in ſenſu vocibusque ipſis *Au-*

guſtini

guſtini prolatas. Eandem opinionem Seculo elapſo Doctor Theologiæ & Profeſſor Navarrenſis A. 1649 Pariſiis in Collegio Sorbonico publice propugnavit. Contra *Apparatum* hujus Doctoris jam A. 1640 Dominus *de Barcos* eam ob cauſam ediderat opus, quod inſcriptum: *Quæ ſit S. Auguſtini & doctrinæ ejus autoritas.* Doctor Navarrenſis *Pereytet* docuit tum Pariſiis, doctrinam *Molinæ* cenſura eſſe notatam a *Clemente VIII, Pium* vero *V, Gregorium XIII,* & *Urbanum VIII, Auguſtini* doctrinam damnaſſe. Eadem ſenſit in libro Pariſiis A. 1650 edito, cui titulus: *Apparatus ad Tractatum de gratia.* Jeſuitæ allegarunt bullatas in *Bajum* editas literas ad roborandam primam Jeſuitæ Antiſſiodorenſis propoſitionem, in qua hic Profeſſor aſſeruerat, *Chriſtianum, deliberate agentem, non ſemper eſſe obligatum ad agendum conformiter fini ſupernaturali, ſiquidem perſonam Chriſtiani deponere poteſt in actionibus, quæ non ſunt propriæ hominis Chriſtiani.* Inde exarſit nova controverſia. Archiepiſcopi enim, Senonenſis & Cameracenſis, docuere, ſingulas actiones ad Deum per amorem eſſe referendas, nitentes potiſſimum literis bullatis, in *Bajum* emiſſis. Ut vero alii poſſent haſce Bullas cum autoritate *Auguſtini* in concordiam redigere, in rem ſuam verterunt famoſam clauſulam primæ Anti-*Bajanæ* Bullæ, oſtenſuri, doctrinam Divi *Auguſtini* inibi non eſſe damnatam. Ita ſenſere doctores Lovanienſes & Lemoſini. Alii contra Theologi, uti Autor, qui *Bajana* compoſuit, ac celebris Pater Oratorii *de Gennes* credidere, ſe doctrinæ S. *Auguſtini* rectius ire conſultum, ſi contenderent, literas illas bullatas ab eccleſia haud eſſe receptas. Autor hujus Diſſertationis eandem inflat tibiam. *Parte priori* ſtudet comprobare, illas eſſe infra receptionem eccleſiæ apertam expreſſamque collocandas. *Poſteriori* addit, illis deeſſe etiam receptionem tacitam. Jeſuita *du Cheſne* Duaci A. 1731 hiſtoriam illarum bullatarum literarum edidit in lucem. Titulus, operi præfixus, ſic habet: *Hiſtoire du Baïaniſme ou de l'Héreſie de Michel Baïus, avec des notes hiſtoriques, chronologiques, & critiques, & ſuivie d'éclairciſſemens theologiques & d'un recueil de pieces juſtificatives, par le Pere* J. B. du Cheſne, *de la Compagnie de Jeſus.*

Pag. 4.

5.

6.

7.

8.

Jesus. Testimoniis hujus Jesuitæ Noster sæpius utitur, ut Jesuitas proprio jugulet acinace. Ex *Bajanis* Jesuita desumsit pleraque. In arva sua derivavit multum ex rivis *Historiæ Jansenismi*, ac ex libro: *L'Histoire de la Congregation de Auxiliis.* Nec inficiandum, Jesuitam fontes ipsos nonnunquam turbasse,
Pag. 9. dexteritate, Historicum ornante, subinde exutus. Commentarii Cameracensis Archiepiscopi & Sorbonæ adversus inhibitionem Parlamenti, 18 Febr. A. 1735 publicatam, qua suppressus fuit Archiepiscopi liber: *L' Instruction pastorale*, novas disquisitiones pepererunt. Non omittimus illud, Autori nostro deberi gratias, eo quod anecdota bene multa de literis bullatis *In eminenti* passim suppeditaverit. Inprimis præmittit *Baji* vitam, mentem, & studia. Differit de doctrina *Molinæ*, monet-
3. que, Scholasticos corrupisse linguam primorum ecclesiæ Patrum. Cardinales *Contarenus* & *Baronius* novas addidere opiniones.
4. *Petrus Lombartus*, Archiepiscopus Armacenus, Hibernorum Primas, Pontifici *Paulo V* hoc malum exposuit, conquestus de liberi arbitrii viribus nimium elatis, unde Pelagianismus revivisçat. *Petrus Soto*, Dominicanus, ante Concilium Tridentinum jam ingemuerat, *ingenii potius lumine, quam Patrum autoritate*,
5. hanc doctrinam tractari. A. 1550 *Bajus* ad Doctoratum fuit evectus, ipse lectioni Patrum admodum immersus, Scholasticorum a doctrinis alienior. Patres Gardiani Nivellensis ac Athensis monasterii misere Parisios 18 propositiones, suppres-
6. so Autoris librique, ex quo decerpti erant, nomine. Collegium Sorbonicum eas notavit censura A. 1560, 27 Junii. In *Bajum* faba fuerat cusa, qui tamen, licet omnem moveret la-
7. pidem, exemplum censuræ obtinere non potuit. *Bajus* ad mentem *Augustini* hanc propositionem adhibuerat: *Liberum arbitrium non potest ex se nisi peccare: & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale, vel veniale.* Per censuram propositio illa in numerum hæreseon erat relata hunc in modum: *Hæc propositio pro utraque sui parte est hæretica. Augustinus* vero *Lib. III ad Bonif. Cap. 8 n. 24* ita: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet.* Eadem senserat Papa *Innocentius I Ep. 181* inter *Augustinianas*, Cardinalis *Gran-*

vella

velliana A. 1561, 18 Oct. ad *Philippum II* literas, Bruxellæ datas, ſcripſit, rationem ei de controverſia nova reddens, atque hæc inferens: *Doctores iſti Lovanienſes ceteroqui ſunt maxime catholici, virique eruditiſſimi, ac probatiſſimæ vitæ.* Dilucide aſſerit, *ipſos uti quibusdam locutionibus ſchola non tritis, licet id in ſe non tantum contineat mali.* *Granvellæ* Papa id dederat mandati, ut placide litem componeret. Sed is per fratrem ſuum, apud Gallos legatum, impedivit, quo minus Lovanienſes Theologi edere poſſent in Gallia Opera S. *Proſperi.* Adverſarii, qui *Bajum*, & collegam ejus, *Heſſels*, invadere cœperant, obſtiterunt quoque, ne duumviri Tridentum ad Concilium delegarentur. Ipſe *Bajus*, nihilo ſecius a Principe ſuo & ordine theologico amandatus, ſeu potius miſſus, fuit Tridentum, ubi nomine ordinis ſui congregationi interfuit uſque ad annum 1563. Opera ejus formis publicis deſcripta fuerunt cum approbatione & privilegio. *Tapperus* obierat A. 1559. Inde *Raveſteynius* continuavit inimicitiam contra *Bajum*, nullique operæ pepercit Romæ ac in Hiſpania per ſuos, ut *Bajum* deprimeret, ejusque laudibus adverſaretur. *Montaltus*, poſtea *Sixtus V* appellatus, ipſe inter inimicos *Baji* nomen ſuum eſt profeſſus. Eis artibus, inſciente *Bajo*, effectum eſt, ut famoſæ literæ bullatæ *Pii V* A. 1567, 1 Oct. ederentur Romæ. Communicat, hiſce præmiſſis, Autor cum lectore Bullas illas tres, Latine Galliceque, eisque ſubjungit ſuum judicium, & rariſſima ſæpius ex Hiſtoria eccleſiaſtica intexit momenta, in id toto pectore incumbens, ut oſtendat, eas ab eccleſia nec aperte, nec tacite, fuiſſe receptas. Noſtrum non eſt, quærere, an infallibilitas pronuntiatorum ſummi Romanorum Pontificis tum demum ſua autoritate gaudeat, cum illa pro veris & genuinis ab eccleſia, id eſt, a doctoribus eccleſiæ, reputantur, ac publice approbantur.

Pag. 9. 10. 11 ſeq.

DEFENSE DES PROPHETIES DE LA RELIgion Chrétienne, &c.
hoc eſt,
VINDICIÆ PROPHETIARUM RELIGIOnis Chriſtianæ, Autore R. P. BALTO, e Soc. Jeſu,

contra Hugonem Grotium & Richardum Simonium.

Tomus III.

Pariſiis, impenſis Didoti, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 13.

Per Prophetias Deum gentem Judaicam edocuiſſe ea, quæ ad felicitatem per Meſſiam attinebant, Autor Pl. Rev. in Præfatione expoſuit, dolens, quod hæretici veteres, Judæi ac Critici recentiores, veritatem hanc obfuſcare haud omittant. Marcionitæ temeritatem ſuam in eo jam oſtenderunt, quod Meſſiam noſtrum, prædictionibus V. T. conformem, repudiare ſtuduere. Manichæi de prædictionibus hiſce admodum tenuiter, ni effrænate, ſentiebant. *Theodoro Mopsveſteno* id in vitio ponitur, quod prædictionibus illis haud fuerit æquus ac
Præf. benignus. Socinianos Autor credit in ſchola Proteſtantium di-
pag. 12. diciſſe contemnere autoritatem eccleſiæ ac traditionis conſtantiſſimæ, nec non univerſalis. Inprimis in eis notat pruritum male interpretandi, ac in ſenſus degeneres detorquendi, Prophetarum vaticinia, quibus de trinitate, de Chriſti divina natura, de ſatisfactione ejus vicaria, ac de incarnatione filii Dei, exponitur. *Hugo Grotius*, qui ſcripſerat ſub initio libri *de*
23 ſeq. *Pietate Ordinum Hollandiæ*, hæreſin non eſſe *Sociniana* deteſtabiliorem, ac librum *de Satisfactione Chriſti adverſus Fauſtum Socinum* ediderat, *Joannis Crellii* moderatiori reſponſione ita fuit immutatus, ut fateretur, ſe ex ea multa & utilia & jucunda addidiciſſe, ac ut loca, olim in libris quinque de Meſſia ex V. T. expoſita, in *Commentariis Biblicis* luce ſua orbaret. Ne vero faſtidium moveret expoſitionibus prædictionum V. T., geminum eis attribuit ſenſum ac duplicem eventum. Quare vulgo apud Batavos *Grotius* pro anteſignano hujus expoſitionum ſpeciei reputatur. Conf. *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande Lettr. 17.* Quid igitur eſt mirum, ſi *Richardus Simonius*, admirator & ſectator *Grotii*, ad eundem lapidem & ad ſaxa jam icta offendit? *Tomis duobus* prioribus Autor Rev. Socinianam *Simonio* pellem detrahere alloborat. *Tomo tertio*

ſibi

ſibi ſimul cum *Grotio* credit rem eſſe. In id enim toto pectore incumbit, ut Pontificiis ſit impedimento, quo minus ex ſcriptis *Grotii* & *Simonii* peſtem contrahant Socinianam. Eundem in finem maximus ac illuſtris Epiſcopus edidit verſionem N. T. Gallicam Trevoltii, adjunxit ei duas perdoctas iſagogas & adminitiones una cum Diſſertatione adverſus *Grotium* conſcripta. *Baltus* vero præcipue vaticinia Prophetarum, a dunmviris ad alienum ſenſum deflexa, ſibi ob oculos poſita habuit. Quamobrem *Libro primo* aggreditur proſternere *Grotii* doctrinam capitalem de gemino vaticiniorum ſenſu. Quæ ipſi opinio eapropter vituperanda & aſſenſu indigna videtur, quod autoritati Soſpitatoris, Evangeliſtarum, & Apoſtolorum, ſit adverſa, qui vaticinia V. T. adhibuerunt loco fundamenti, cui dogmata ſua ſuperſtruxerunt. Sancti Eccleſiæ Patres eundem inſtitiſſe tramitem ab eodem perhibentur, vindicaturi religionem Chriſtianam Catholicamque adverſus Judæos, ſimulacrorum cultores, & hæreticos, atque emendationem omnis terrarum orbis inculcantes. Ipſe credit, Judæos, ut tela Chriſtianorum eliderent, circumſpexiſſe novas vaticiniorum expoſitiones, easque *Grotium* adoptaſſe. Chriſtus certe comites itineris Emmauntici docuit argumentis, ex *Moſe*, Prophetis, & Pſalmis, de eis, quæ ad adſpectabile ſuum miniſterium in terris attinebant. Ut *Grotius* elabatur, prophetias in typos convertit, ſed improſpero plerumque eventu. Ipſe oraculum *Eſaiæ* de virgine, filium paritura, cui nomen Emanuel, exponit de fœmina *Eſaiæ* ipſa, in *Comment. ad Matth. I, 22.* Eadem ſorte interpretatur vaticinium illud *Eſ. IX, 6*, de *Ezechia*, filia *Achazi*, licet Paraphraſtes Chaldaicus de Meſſia locum acceperit, & perfectiones de *filio* illo prædicatæ in filium θεάνθρωπον, qui eſt אֵל גִּבּוֹר אֲבִי עַד cadere tantum poſſint. *Grotius* quidem in ſenſu altero & allegorico Meſſiam ſubaudit. Sed quomodo tum convinces, ſi geminum illum ſenſum admiſeris, Judæos, qui in ſenſu priori hærebunt, altero repudiato. Quod ipſum nec *Grotius in Matth. I, 22*, nec *Epiſcopius ad loc. cit.* & in *Inſtitut. Theolog. Lib. III Cap. 13*, negarunt, rati, vaticiniis propheticis allatis noluiſſe Judæos convincere unum alterumque

Pag. 17.

2.

3.

Apoſtolorum, quin potius miraculis ac teſtimonio de reſurrectione Jeſu Chriſti vera convictionem elicuiſſe ſint cenſendi.

Pag. 4. Scopus hujus opinionis indubie exſtitit Socinianismus, ſtudiumque evertendi oracula, de Chriſti dignitate in oraculis Veteris Inſtrumenti obvia. *Grotius* & Sociniani credunt, Chriſtum & Apoſtolos laudaſſe oracula illa ad ſermones ſuos exornandos, non

6. ad convincendum. At ubi Chriſtus & Apoſtoli huic opinioni ul-

7. lam conciliarunt ſpeciem, ejusque minimam injecerunt ſuſpicionem? *Richardus Simonius* in *Hiſt. critique du N.T. Cap. 21* quidem objicit, Judæis jam olim ornamenta hæc fuiſſe in deliciis. At qui tum fieri potuit, ut eam objectionem Phariſæi & doctiſſimi Judæorum haud oppoſuerint præconibus ſalutis? Num quid Evangeliſtæ tam mala egerunt fide, ut eam reſponſionem omiſerint? Abſit per omnem modum. Confer. potius *Matth. XXII, 41, Marc. XII, 31, Luc. XX, 41.* *Davides* Meſſiam vocavit *Dominum ſuum Pſ. CX.* Judæi ætatis noſtræ *Davidem* ipſum,

10. vel *Salomonem*, impudenter ibi intelligendum exiſtimant. *Chryſoſtomus* robur ejus argumenti egregie oppoſuit hæreticis ac Ju-

12 ſeq. dæis. Meſſias oſtendit *Luc. IV, 16, 17, 18*, tum conſtitiſſe eventum oraculo *Eſaiæ LXI, 1 ſeq.* ſed ex hypotheſi *Grotiana* hoc Chriſti pronuntiatum veritati haud congruit. Sed confer. *Matth. XI, 2 ſeq.* ac exemplum Judæorum *Luc. IV, 22.* Ni *Baltus Abrahami Calovii Biblia illuſtrata* in uſus ſuos convertit, eis tamen egregie poterat uti. Non pœnitebit utique Lectorem conferre utrumque. Nobis certe Ven. *Baltus* videtur munere ſuo ſic eſſe perfunctus, ut multa cum laude corollam reportarit.

DEFENSE DU CHRISTIANISME, &c.
id eſt,
VINDICIÆ REI CHRISTIANÆ, SEU ANTIDOtum adverſus ſcriptum, quod appellatur: Lettres ſur la Religion eſſentielle à l'Homme, *per FRANCISCUM DE ROCHES, Eccleſiaſten Genevæ.*

Tomi II.

Lauſannæ

Lauſannæ & Genevæ, apud Marcum Michaelem Bouſquetum, ejusque ſocios, 1741, 8.

Alph. 2 plag. 3.

Expoſitionem exhibuimus alibi argumenti, quod ineſt literis illis, quæ religionem homini peculiarem a ſuperfluis expurgatam, magnificentiori, quam veriori, titulo repræſentant. Ex ſtilo muliebriter venuſto, ex crebrarum contradictionum tenebris, ex contemtu ſcientiarum Logicesque inopia, & telæ infirmiori compage, nonnulli collegerunt, Autorem fuiſſe fœminam. Alii contra deprehendere ſibi viſi fuerunt hominem ingenio ditiorem, judicio pauperiorem, in cortice hærentem, a ſcientiarum aditu remotum, Deiſtarum ſodalem, fratrem Autoris literarum fanaticarum, ni earum Autorem ipſum. Sunt, qui *Morlandi* nomen fœtui illi obtruſerunt aſſignaruntve patrem. Levioris certe armaturæ eſt miles ille, in quibuscunque tandem caſtris meruerit ſtipendia. Viri, ob occupationes ſerias a difficiliori ſcientiarum progreſſu ſegreges, in libellum illum certe cupiditate incredibili ruerunt accenſi, tanquam vellus aureum reportaturi. Congruunt in hoſce libri ejusmodi, ad delectandum ſcripti, pigmentisque pulcherrimis magnum nihil occultantes. Ne vero venenum, quod libello paſſim inhæret, generi humano conciliet detrimenta, prodiit in ſcenam orbis Chriſtiani vir, ſolide & excellenter doctus, qui Autorem Pl. Rev. ad eum refellendum, & ad literas præſtantiſſimas illecebris literarum opponendas, inflammavit epiſtola, quæ agmen *Tomi primi* ducit. In ea vir, munere politico indubie fungens, nitide & eleganter oſtendit, 1) Autorem literarum, *de religione homini propria* inſcriptarum, Logicæ eſſe inimicum tum verbis, tum re ipſa, 2) admiſiſſe paſſim negligentiam & affectationem, licet ſtilo uſus fuerit claro, ſimplici, facili, & eleganti, 3) adverſari doctrinæ de fide juſtificante, myſteriis, ſatisfactione Jeſu Chriſti vicaria, &c. 4) ſtilum molliculum adhibuiſſe, indignum rebus tam gravibus, 5) titulum libro præfixiſſe inconvenientem, 6) miraculis Jeſu Chriſti inſultaſſe, 7) contradictionibus luculentiſſimis ſeſe ludibrio hominum perſpi-

Tom. I pag. 12.

Pag. 26. caciorum expoſuiſſe, 8) convertiſſe præcepta Evangelii in conſilia, hiſtorias N. T. in narrationes dubias & incertas, myſteria in ſpinas, mutuis ſtimulis repungentes; 9) fuiſſe tam impudentem, ut libros *Moſis* exiſtimaverit plenos eſſe rebus puerilibus, abſurdis, ſenſui communi repugnantibus, & manifeſte injuſtis; 10) labefactare & ſubruere veritates maximi ponderis, nec firmiora ſubſtituere, auſum; 11) ex principio univerſali de ente ſibi ſufficiente voluiſſe exponere cuncta & pauciſſima, imo
31. falſa hinc inde ex eo deduxiſſe; 12) damnaſſe Logicen, Criticen, & in verborum diſtinctionibus, ac principii expoſitione, quam plurimi mortalium haud intelligant, miſere hærere; 13) agere voluiſſe Ethices magiſtrum, nec tamen meminiſſe aliquid
39. de precibus, de cultu publico, de adoratione, &c. Hæc ediſſeruntur in Epiſtola procœmiali. Autor ipſe literis quadraginta animadverſiones ac confutationem ſuam complexus eſt, quarum viginti habentur *Tomo priori*, totidem *poſteriori*. Comparat literas fanaticas & eas, quibus *religio eſſentialis* ſuit de-
6. picta, inter ſeſe. Oſtendit, harum Autorem Theologis eſſe iniquum, a Logica minus inſtructum, ſtolide elaboraſſe de re-
39. ligione univerſa ad evidentiam revocanda. Monet, illum in miracula peccaſſe, eisque confirmatam revelationem repudiare. Suſpicionem rumoris adeſpoti ab enarrationibus Evangeliſtarum
79. depellit. Locum *Matth. XXVIII, 15*, exponit ex indole famæ ejusmodi dicis cauſa evulgatæ. Conjectat, Epiſtolographum a religione Chriſtiana eſſe alienum, eo quod hiſtorias, de factis antiquis commemoratas, promiſcue nauſeat & ſuſpectat, mi-
89. raculisque abnuit fidem. Evidenter, perſpicue, & vivide, vindex religionis Chriſtianæ adverſarium pellit, dimovet, & con-
131. vincit. Doctrinam de miraculis ſolide vindicat, angelisque ma-
149. lis non mirabilia tribuenda docet, ſiquidem ſolus Deus edere poteſt miracula, quibus conſulit finibus, ſapientiſſime & optime prædefinitis. Nec omnipotentia, nec infinita bonitas ac ſapientia, cum rebus finitis eſt communicanda, communicari certe non
163. poteſt. Cur Deum decuerit revelandi actio, & cur ipſe haud ſingulis impertiverit revelationem patefaciendam, egregias af-
173. fert cauſas. Obligationem divinam, qua infideles ad Evange-

lium

Digitized by Google

ſum ſuſcipiendum obſtricti ſint, ſolide vindicat. Principium illud de ente ſibi ſufficiente deprehendit minus accommodatum vulgo, nimisque metaphyſicum, tantum abeſt, ut illud revelationi divinæ antecellat. Deum æque favere piis ac impiis, negat *religionis eſſentialis ſcriptor*, nec tamen largitur, Deo peccata & improbitates diſplicere, ignarus ſcilicet decentiæ Dei, ſeu Θεοπρεπείας. Alibi tamen affirmat, dari pœnas naturales & poſitivas, ſolitus impingere, & in contraria currere. Exponit Noſter ſollicite modum, quo ἀνθρωποπαθῶς dicta in S. S. capienda ſint. Similitudinem a maſſa auri ad lapidem Lydium probata illuſtrat, & oſtendit ſimul, in eo *Morlandum*, ſeu Epiſtolographum, nihil inveniſſe, quo ſyſtema ſuum recentius ſtabilire poſſit. Refellit Apocataſtaſeos doctrinam. Repudiat notionem *juſtitiæ*, quam Epiſtolographus, ſibi non conſtans, invehere contendit. Negat, *Moſis* dictum: *Deus vidit, omnia, quæ fecerat, eſſe bona*, illi hypotheſi patrocinari, idque de mundo creato & ſtatu integritatis exponit. An catechumeno ſint examinanda ſigillatim miracula, diſquirit. Oſtendit ſolide, fidem Chriſtianam haud reddi incertam ob varias Codicis ſacri translationes & interpretationes: in illis enim manere elementa doctrinæ ſalva; has tantum ad difficiliora loca ſpectare commonſtrans. Hiſtoria ſacri Codicis capita vindicat a contemtu. Notat Epiſtolographi doctrinam de Chriſto, mancam quippe & truncatam. Oſtendit, nihil abſurdi ineſſe cladibus, a *Moſe* & *Joſua* genti Cananæorum illatis, ipſisque cerimoniis *Moſaicis*. Miracula exſtitiſſe doctrinæ Jeſu documenta certiſſima, aſſerit. Convincit eum falſi, qui dictum ſacri Codicis excitaverat, quod nuſpiam legitur. Præcepta Chriſti eſſe mera conſilia, firmiſſimis inductus argumentis, inficiatur. Jeſum eſſe non duntaxat doctorem & ducem viæ, ſed etiam legislatorem, docet. Myſteria eſſe perſpicue revelata, oſtendit, licet non ex toto ſint pateſacta. Pacem a Chriſto eſſe inculcatam, diſſenſiones nihilo minus efferatorum eſſe prænuntiatas, monet. Myſteriorum ignorationem affectatam eſſe exitio ſempiterno luendam, ex *Jo. III, 8-18*, docet. Differentiam ſtare immobilem inter Judaiſmum, Muhammediſmum, & Chriſtianiſmum, oſtendit. Epiſtolographum

Pag. 178.
181.
190.
201.
205.
224.
241.
244.
255.
269.
295.
310.
329.
Tom. II pag. 5.
8.
30.

Pag. 40. phum circa notionem *essentialis religionis* sibi haud constare, evincit. Idem demonstrat, Epistolographi definitionem fidei Christianæ propositam esse nimis angustam, & fabricatoris ra-
68. tiocinationibus destructam. Non solus Deus est objectum hujus fidei, sed quicquid a Deo est revelatum salutis a nobis consequendæ causa; fundamentum est Dei immutabilis veracitas. Epistolographi fides est cognitio naturalis, nobisque evidens,
74. quam licet tenere de Numinis supremi attributis. At nihilo minus exigit obedientiam erga Dei promissa, provocans ad *Ebr.*
96. *XI*, heroasque spectabilis fidei, inibi commemoratos. Justitia Dei, eodem judice, postulat, ut hominum singuli ad beatitudinem reducantur. At idem historica facta a fide dimovit. Ergo & promissionibus Dei in systemate ejus locus haud esse
103. debet, ruinoso sane, & contradictionibus laborante. Destru-
126. xit *Paulus* systema ejusmodi *2 Cor. X, 5.* Imputatam justitiam Autor & systema substitutionis ab insultibus vindicat, provocans ad *Phil. III, 9, 10, 11.* Voces λύτρϖ, *redemtionis* & *pretii*, per quod redemti sumus, a contemtu Epistolographi defendit.
132. Deus certe salutem nobis non *vendit*, sed ex mero favore gratuito impertit, *Luc. XVII, 10, Eph. I, 11, 1 Tim. I, Es. LV, 1, Apoc. III, 18.* Fides nostra est conditio beatitudinis obtinendæ *Jo. III, 36.* Reconciliatos esse homines cum Deo per Christum, Autor solide docet, ac offendicula, contra hanc doctrinam
157. subnata, removet ex *Rom. I, 16.* Ostendit, systema substitutionis non pugnare cum entis sibi sufficientis natura, & illius usus
169. recenset, profecto magnos gravissimosque. Id, quod contradictionem implicat, ab eo, quod intelligentiam nostram trans-
196. scendit, sollicite discernit. Doctrinam de Christo exponit ita, ut exhibeat ea, quæ sunt perspicua, ac deinde illa, quæ sunt
201. obscura. Adorationem soli ejus naturæ divinæ esse præstandam, contendit *pag. 204.* In Epistolographo notat Sabellianismum,
208. Socinianismum, & Apollinarismo mixtum. Tum vero ostendit, animam Christi non fuisse personam creatam an-
216. te reliqua, eamque cœlestem, refellens inprimis Anonymi Angli Dissertationem theologico-criticam, quam, Hanoveræ A. 1740 Latine factam, stricturis pulcherrimis confixit Vir S. Rev.

Laurent.

Digitized by Google

Laurentius Hagemannus. Cel. *de Roches* humanitatem & ſoliditatem hic adeo conjunxit, ut prævideamus, fore, ut Britannus Anonymus haſce annotationes ipſe collaudet. Inde redit Vir Cel. ad Epiſtolographum, ac Spiritus ſancti cauſam adverſus Epiſtolographum agit. Doctrinam de æterna impiorum miſeria videtur quodammodo in medio relinquere. Mala, quæ terris incubant, majora eſſe bonis, quibus eæ gaudent, contendit Epiſtolographus. Quem offenſionis lapidem Annotator egregie ſubmovet. Habeat ſibi ſuam religionem eſſentialem, id eſt, naturalem & contradictionibus plenam, Epiſtolographus. Munere & dono ejus, quod ſpirat perniciem, non indigemus, male inſtructo. Vivat contra ejus malleus & confutator floreatque! Pag. 248. 280.

LE DUE IFIGENIE D' EURIPIDE IN AULIDE, E IN Tauri, tradotte in Verſo Toſcano ſciolto col Teſto Greco e coll' annotazioni, &c.

id eſt,

UTRAQUE IPHIGENIA EURIPIDIS, IN Aulide & in Tauris, in verſum Thuſcanum converſa a P. JOANNE BAPTISTA CARACCIOLO, Clerico regulari, Academico Hetruſco, una cum textu Græco, ac annotationibus ejusdem.

Florentiæ, ex typographeo Celſitudinis Regiæ per Tartinos & Francos, 1729, 8.

Alph. 1 plag. 6½.

Quemadmodum *Nicodemus Friſchlinus* quondam inter Germanos Poetas Græcos Latinis verſibus egregie expreſſit, ac utramque linguam opere ipſo una eademque editione conjunxit; ita *Caracciolus* eodem more inter Italos gloriam ſuam effert, ex editione unius alteriusque partis *Euripidis* collectam. Dignam ſua natione operam dedit, ne Græcæ linguæ peritia ibi intercidat, ubi, Conſtantinopoli a Turcis expugnata, primas egit radices, jure poſtliminii Romam & in regiones confines revocata. Noſtræ ætatis homines Græca ſolent viliori ponere

in pretio, rati, cogitationes graves, pulchras, nitide expreſſas, & ſublimes, deeſſe veteſtis ſcriptoribus Græcis. Hoſce in viam rectiusque judicium reducere voluit Clariſſ. *Caracciolus*, translatione ſua Hetruſca Italos edocturus, quam belle, graviter, & ſententioſe, diſſeruerint ſcripſerintque Græci, Græcisque Muſam dediſſe ore rotundo loqui. In prima hac Tragœdia pars veteris Philoſophiæ eminet inſignis ac eximia; in altera videtur *Euripides* oſtendiſſe, quantum univerſalis eloquentia ac poetice valeant. Copioſius hæc Autor perſequitur in Præfatione. Argumenta utrique Tragœdiæ præfixit. Translatio ipſa, quantum nobis judicare licet, eſt perſpicua & fidelis. Annotationes ſunt partim criticæ, partim geographicæ, & ex antiqua hiſtoria fabulisque depromtæ. E variantibus lectionibus paſſim ſeligit eam, quæ ipſi maxime viſa probabilis. Sæpius voces Græcas exponit difficiliores, Italicasque eis ſubjungit gloſ-
Pag. 37. ſas. Ita σεφαφόρους exponit per *funales*. *Baridas* oſtendit eſſe magnas & in modum turris ædificatas domos. Ἐλίσσων περὶ νίκας ei eſt, qui volvit præcipitatque curſum
50. propter victorias. Πλάγια φρονεῖν idem ei eſt ac *inverſo eſſe ingenio, perverſa eſſe indole*. Κομψέειν, κομψεύεσθαι, ipſo judice, eſt *jocari, argute dicere, ſcite & urbane cavillari*. Τὸ
52. Φιλότιμον ipſi eſt *ipſa gloria & honor*. Ἀμφίβληστρον exponit per *rete piſcatorium, quod undique circumcingit & cir-*
240. *cuminiicit aliquid*. Intexit quoque *pag. 401 ſeq.* nonnihil de origine logomachiarum. De *Diana*, a Scythis culta, *Tauropola* & *Taurica* dicta, paucula attulit. Nævos ac ſphalmata
423. Operi ſubjecit. Non fefellerimus nosmet aliosve, ſi genuine profiteamur, *Caracciolum* nobis moviſſe ſalivam, conſimilia ejus ſpecimina expetendi atque ſpectandi complura, quæ eandem curam, & peritiam Græcæ linguæ non minorem, teſtificentur, orbique erudito oſtendant.

Pharos, das iſt, unverhoft aufblickendes Licht in denen dicken Finſterniſſen der älteſten Egyptiſchen Hiſtorie, ꝛc.

id eſt,

PHAROS, SEU PRÆTER SPEM EXORTA LUX in denſis vetuſtiſſimæ Ægypti hiſtoriæ tenebris, in tutam confir-

Digitized by Google

confirmationem & claram enodationem multarum Moſaicarum commemorationum, alias etiam ad utile & neceſſarium ſupplementum diverſorum operum, quibus de rebus Ægyptiacis agitur, præcipue vero Harmoniæ, per Prideauxium & Schukfortum inter ſacros exterosque ſcriptores exſtantis; una cum Chronologia Danielis, haud ita pridem reſignati. Opera JACOBI KOCHII, Eccleſiaſtæ in Berkela majori prope Hamelium intra Principatum Calenbergicum.

Lemgoviæ, typis impenſisque Joannis Henrici Meyeri, 1741, 4

Plag. $21\frac{1}{2}$.

Nova plane & inaudita eſt huc usque Pl. Rev. Autoris expoſitio, qua ipſe antiquiſſimas Regum Ægypti dynaſtias illuſtrare molitur. Ita enim ipſe rationes ſuas ſubduxit, ut ante *Mercurium II*, ſeu *Syphoen*, exiſtimet deſcriptam fuiſſe brevem Regum illorum facinorumque, ab eis editorum, hiſtoriam, ex lingua Ebraica explicabilem, a *Manethone* haud ſatis intellectam. *Hyc-Sos* credit denuo exſtitiſſe Ebræos paſtores. Laterculum *Eratoſthenis* excellere reliquis dynaſtiarum deſcriptionibus, ſciſcit, tabularia qui Ægyptiorum vocaverit in ſubſidia. *Manethonem* ſuſpectæ fabuloſæ dementiæ ac odii in Ebræos exerciti coarguit, ratus tamen, ex multitudine nominum priſcorum *Manethonis* ſignificatus vocum Ebraicarum adhuc pellucere. Autorem Chronographei a *Manethone* disjungendum cenſet. Dolendum vero eſt, epitomen ejus duntaxat reſtare, in qua XV dynaſtiæ *Manethonis* in ſeriem ac ſucceſſionem redactæ conſpiciuntur. Reliquas XV dynaſtias *Mene* Rege vetuſtiores fuiſſe, Autor epitomes credidit, ideoque recenſere omiſit. Priſcarum harum XV dynaſtiarum originem Noſter ſuſpicatur ex XV generationibus exortam, quas ad *Vulcanum*, *Solem*, X Patriarchas antediluvianos, *Chamum*, *Mizraimum*, & *Menen*, refert. *Menen* exiſtimat eſſe *Anamim*, vel *Anam*, cujus fit mentio *Gen. X, 13*. *Herodoti* & *Joſephi* autoritatem haud magni in vetuſtiſſima Ægypti hiſtoria facit, externorum quippe. Ætatum 341 *Herodoti* ſingulas metitur qua-

Pag. 2.

5.

7.

driennio veluti cyclo agrorum, quem a ſeſe arbitratur detectum in *Jeſ. XXVIII, 24 ſeq.* Annos 15000, quos *Herodotus* a *Bacchо* uſque ad *Amaſin* effluxiſſe tradit, computat ita, ut loco annorum 1000 ſumat 12, illumque *Bacchum* fuiſſe *Noachum*, ſibi perſuadeat. Subjungit hiſce regulas duas, unam, quæ dictitat, Regem paſtorum Ægypti *Aſſin* vixiſſe ævo *Moſis*; alteram, quæ
Pag. 12. perhibet, nomina nuda & cognomina, quæ *Eratoſthenes*, *Manetho*, aliique, aſſervarunt, ex ſermone Ebraico eſſe exponenda, & inſtar ſerici hiſtoricæ capienda. Sumit itaque, linguam Ægypti primam ab Ebraica haud multum diſcrepaſſe. Id certum eſt, Phœnicum ſermonem ab Ebraico fuiſſe vix diverſum, Phœnicas vero & Ægyptios communi a ſtirpe prognatos eſſe, *Gen. X, 13, 15.* *Pharaonem Moſis*, *Aſſin Joſephi*, *Acheſcum Ocarum Eratoſthenis*, *Metheſuphin Manethonis*, *Rameſſen Tubaeten Syncelli*, eandem Regis perſonam ex עבר, *tur-*
16. *batorem*, ex מות & סוף, *mortuum in mari algoſo*, & ex טבע, *ſubmerſum.* Anteceſſor *Aſſis* fuit *Apophes*, *Acheſci Apappus*, *Meuteſuphis Phiops*, *Rameſſis Tubaetis* vero *Rameſſe-Seon* ſeu *ſocius tributarius paſtorum.* *Saophis Comaſtes* eſt ipſi *Joſephus* procurator ex Pheteſeph, *Joſepho diſtributore panis*, & κομέειν voce, cui eſt poteſtas *nutriendi*, *curam gerendi.* Exempli loco dabimus nomina e catalogis, ad ætatem *Taegari* referenda, expoſitione Pl. Rev, Autoris illuſtrata, ut lector ipſe de inſti-
23. tuti ratione judicium queat ferre. En illa:

Taegar	טגר - - -	*Heros Arenuus*, Taegar,
Amachus	αμαχος, אמל -	*imbellis factus*
Momcheri	מום—חרי - -	*labe membrorum obſcœnorum*
Venephes	ונפש - - - - -	*& reſpirationis* (faucium)
Uſophædus	וסגר - - - - -	*ſed lugens, pœnitens,*
Miebidus	(אברם) מעבר - -	*a familiari, ſeu ſectatore,* (Abramo)
Sememphis	שמי מפזד	Semo (Patriarchæ poſtero) *reſtitutus eſt*
Bienaches	באנחות	*per preces*
Bochos	בכות	*Interim fletus*
Keuchos	קעעת	*animorum compunctio, anxietas, ad Numen placandum,*

Bine-

Binothris בנעתרת *in cœtu ſupplicationum publico,*
Tlas תלא *ubi agnum victimam*
Sethenes שת־אנש *ſtatuerat miſere ægrotus.*

Fundamentum expoſitionis reſpexit, in *Gen. XII, 10 ſeq.* deſcriptum. Syphin, qui vulgo habetur pro ſuperſtitionis Judaïcæ conditore, Autor exiſtimat, eſſe *Joſephum*, Ægypti Prorege. *Apophen* ſuſpicatur Iſraelitis vexandis ſeſe oblectaſſe. *Janian*, ſeu *Jannen*, pro adminiſtro Regis habet primario, ac pro *Thyot*, *Hermete* primo, & *Atlante* ſeniori. Unde ſerpentes exorti fuerint, qui Gorgonidum capitibus a Poetis affingi ſolent, audet divinare. Fabulam *Phaetontis* & Pyrenæorum montium incendia, longe lateque patentia, ad miraculum ſolare, quod ævo *Joſuæ* contigit, trahit. Circumciſionem Ægyptiis *Joſuæ* ævo nondum familiarem fuiſſe, Autor ſolide inter cetera argumenta ex *Joſ. V, 9*, demonſtrat, *Spenceriana* ſentiendi libidine profligata. *Seſac*, ipſius ex judicio, fuit *Seſoſtris*. Manichæiſmum evertit, ratus, principium ſi malum æquali vi inſtructum fuiſſet ad *Oromaſdi* opera tollenda, & in nihilum redigenda, nihil creari potuiſſe. Chinenſium hieroglyphica ad notiones diſtinctas denotandas ſufficere, negat, ſuſpicatus, neminem de vetuſtiſſimis eorum recte lectis certum eſſe poſſe. Memphin urbem, a *Pempha* exſtructam, fuiſſe *Noph* dictam ex *Anoiphis* Regis nomine, ſibi perſuadet. Hiſtoriam vero priſcorum Ægypti Regum ad *Nectanebum* uſque, & ad *Alexandri Magni* ætatem, perſequitur, & pro viribus exponit, ſecutus *Eratoſthenis* laterculum uſque ad *Amuth-Antheum*, & poſthæc fidem amplexus *Herodoti*. Stupendam ſane Autor adhibuit diligentiam ad antiquiſſima Ægypti fata in lucem protrahenda & emendanda, veluti alterum ſeſe præbens *Herculem*, qui, cum Augiæ ſtabulum perpurgaret, animum haud deſpondit. Non eſt noſtrum, hypotheſes nonnullas curatius inſpicere, vel examinare, ſiquidem ad hominum audaculorum opiniones revincendas, quas ipſi ex Chronologia Ægyptiorum ficta depromunt, everſuri fidem Codicis ſacri, Vir Pl. Rev. ſatis ſuperque ſeſe oſtendit aptum & accommodatum, exhibitis paſſim indiciis non contemnendis, quibus opiniones ipſius fulciuntur ac confirmantur. Videtur etiam & origine & prima mutatione linguarum profundius quiddam ſapere. Rogamus ipſum publice, ut con-

Pag. 26. 58. 69. 71. 83. 90. 107. 129.

Digitized by Google

jecturas, vel demonſtrationes, ſuper hac re conquiſitas, eruditæ civitati exhibeat, ni *Schuckfordianæ* opinioni ſubſcribat. Niſi fallimur, ipſe etiam, ſtamina linguæ Ebraicæ monoſyllaba eſſe, ſibi perſuadet, Cum vero in abſtruſiſſimis antiquitatum ſacrarum penetralibus acutiorem ſeſe plurimis præbeat ubique; non poſſumus, quin ab ipſo contendamus, ut cogitata ſua cum erudita civitate dignetur, quantum quoque ad hujus rei momenta attinet, communicare.

CHRISTOPHORI THEODOSII WALTHERI, Præconis Evangelici in ora Malabarica, Ellipſes Hebraicæ, ſive de vocibus, quæ in Codice Hebraico per Ellipſin ſupprimuntur. Denuo edidit, obſervationes novas, Mantiſſam, & Diſſertationem, una cum Indice, adjecit, CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS.

Dreſdæ & Lipſiæ, apud Fridericum Hekel, 1740, 8. Plag. 9.

Egregium Ellipſibus Græcis *Lambertus Bos* ac Cel. *Chriſtianus Schœttgenius* ſtudium operamque impenderant, cultoribus Græci ſermonis probatiſſimam. Eundem jam laborem *Waltherus*, qui nuper ex oris Malabaricis redux apud Editorem obiit Dreſdæ ad 27 April. anni 1741 diem ſupremum, ac idem Cel. *Schoettgenius* ad linguæ Ebraicæ indolem melius introſpiciendam felici ſidere tranſtulerunt. Ii enim ubique hominibus inſunt affectus ac loquendi formulæ, a quibus ellipſes pendent ſatis tritæ, ut immerito *Franciſcus Wokenius* a lingua Ebraica V. T. ellipſes removere allaboraverit. Cel. Editor in Præfatione, *Waltherianæ* tractationi præmiſſa, ſolide *Wokenio* fecit ſatis, addens, ipſum mediocribus ingeniis eſſe inſerendum, nec ſcripta ejus ætatem latura, ac præterea adjungens nonnihil de ipſius *Waltheri* vita meritisque. Haud dubitamus, quin Cel. *Schœttgenius* copioſiora jam de *Walthero*, quem moribundum mortuumque ipſe in ædibus ſuis vidit, fuerit commentatus, e quibus tempore ſuo delibandi potiora flagramus cupiditate. Ut *Waltherus*, beate defunctus, tractationem hanc, ſeu Diſſertationem, conſcriberet, autor ei fuit Ven. D. *Joannes Henri-*

Henricus Michaelis, in prælectionibus Academicis publice exoptans, ut hanc curam ſuſciperet aliquis ad normam, qua *Lambertus Bos* de Ellipſibus Græcis expoſuerat. Decerpenda nunc ſunt ſpeciminis loco nonnulla ex opuſculo egregio. Vox אבנות & אבן ſubaudienda eſt poſt נזית, תותח, סקל, & רגם. Elliptice omittitur אֲרוֹן, *dominus*, *Gen. XXXIX, 14*, אֲהֲבִים, *amores*, *Hoſ. VIII, 10*, אוֹחֵל poſt נטה *Jer. XIV, 8*, 2 *Sam. VI, 10*, *Cant. I, 7*, &c. & תקע *Gen. XXXI, 25*, *XII, 8*, *XXVI, 22*, nec non בוא & צאת *Ex. XV, 10*. Subaudi vocem אומות, *nationes*, *1 Sam. XXVII, 8*, אָוֶן poſt מָגוּר *Jer. IV, 15*, אור poſt האיר *Gen. I, 15, 17*, *Ez. XLIII, 2*, אַיִל, *aries*, ante המלואים *Ex. XXIX, 34*, אֵיפָה poſt עשרון *Ex. XXIX, 40*. Vox אִישׁ ſæpius ſupplenda. שֶׁקֶר ponitur *Pſ. CXIX, 86*, pro אנשי שקר, *viris perverſis*. Paſſim inſeruit Cl. Editor exquiſita prorſus ſupplementa. Ita ante יעקוב *Pſ. XXIV, 6*, ſupplet vocem אֱלֹהֵי, & ante ישראל *Hoſ. VIII, 2*, ſubaudiendam monet æque vocem אלהי, nec non ante vocem סִינַי *Pſ. LXVIII, 9, 18*. Poſt vocem הבוע ſupplendum monet *Waltherus* אוֹמֵר *Pſ. XCIV, 4*, ob locum *Pſ. XIX, 3*. Poſt verba *Ez. XLV, 16*, יהיו אל התרומה, *erant ad oblationem hanc* ſubaudiendam credit vocem אסורים, *obligati*. Poſt חרה & נטר, חטם & חשך ſubaudienda vox אף, *ira*. Editor monet, ſubaudiendam eſſe vocem ארב, *inſidias*, poſt vocem שוח *Pſ. III, 7*. Vocem ארץ omiſſam indicat Autor in locis *Dan. VIII, 9*, ac *Zeph. II, 9*, *Jer. I, 13*, &c. quæ quidem annotatio inſignem promittit uſum. Verbo החזיק, *Neh. III, 4 ſeq.* obvio, quod interpretes varie reddunt, addendam putat vocem בֶּרֶק, *fiſſuram*, ut ſignificetur *reædificatio*. Ad phraſin *Eſ. II, 3*, *Pſ. XXIV, 3*, ſubaudienda omnino eſt vox בית, quemadmodum plene legitur *Eſ. III, 2*, הר בא יהוה. Ante vocem אָוֶן ſubaudienda etiam eſt vox בית *Hoſ. X, 8*, *XII, 11*. Vox דָּבָר ſæpius abeſt, nihilo minus tamen ab interprete reſpicienda eſt. Idem de voce דֶּרֶךְ eſt pronuntiandum. *Eſther* dicitur induiſſe מַלְכוּת, *regnum*, *Eſth. V, 1*. At quis dubitat, ſubaudiendam eſſe vocem לבוש, *veſtem*? Legitur ſic *VI, 8*, & *VIII, 15*, לְבוּשׁ מַלְכוּת. Voci ירע, ſignificatum aphrodiſiacum ſuſtinenti, Autor adhærere putat ſubaudiendam alteram, nempe מִשְׁכָּב. Voci נִרְפָּתִי *Job. XXX, 15*, addit ſubaudiendam vocem נֶפֶשׁ, *ſpontaneam* animam *meam* intelligens. In loco *2 Par. XXXV, 11*, poſt מְפַשְּׁטִים, *detrahentes*, ſubaudiendam

Pag. 4. 13. 15. 16. 18. 20. 27. 30. 47.

dam esse vocem עור, *pellem*, Cl. Editor ex *Mich. III, 3*, perspi-
Pag. 54. cuum planumque reddidit. Nec de nihilo est monuisse, in loco *Es. XXIII, 4*, ad vocem ים subaudiendam esse vocem עיר, ut *civitas maritima*, Tyrus scilicet, intelligatur. Ad vocem אריאל,
62. *Es. XXIX, 1*, obviam, subaudit Editor vocem קִרְיַת, designatam esse ratus *urbem Davidis*, seu *Hierosolymam*, siquidem heroes dicti fuerint *Ariel 2 Sam. XXIII, 20*, quorum princeps fuerit *David*. Si quid videmus, *Ariel* fuit Moabitidis caput, alias *Rabbat Moab* & *Ar*, *Areopolis*, dicta; Hierosolymis vero ob idololatriæ ac vitæ pejoris maculas inditum fuit nomen *Ariel*, alibi *Sodomorum*, *Ægypti*, *Babelis*, &c. Nec placet illud Autoris, voci שְׁלִישִׁיָּה, quæ legitur *Es. XV, 5*, & *Jer. XLVIII, 34*, subaudiendam esse שָׁנָה, quasi *trienne* quid significatum esset. Subest vox קִרְיָה, seu עִיר, ac intelligitur, contextu jubente, *locus tribus vicis constans*, qualem Græci *tricomion* solent appellare. Non est nostrum, singula huc transferre, quæ vel asteriſco, vel obelo, videntur digna. Id tamen affirmare licet, singula fere tanta accuratione, tanto delectu, esse scripta, ut vix in eis exstet, quod ansam emendandi & supplendi nobis suppeditare possit. Adjunxit *Ellipsibus nomi-*
97. *num verborum & particularum*, ab Autore profectis, Cel. Editor mantissam de ellipsi affixorum, ac Dissertationem de singulari aliqua linguæ Hebraicæ Ellipsi. Hæc in eo consistit, ut infinitivus solus ponatur, reliquum vero verbum ab interprete subaudiendum sit. Ita dicitur *Gen. XLI, 43*, ונתן, *& dando*, sc. dedit *eum* (hoc est, præposuit,) *omni Ægypto*. *Ex. VIII, 11, & vidit Pharao,*
102. *quod levamen sibi esset*, והכבד sc. הכביד *& indurando* induravit *cor suum*. *Lev. II, 6*, פתות *frangendo* franges eam *in frusta*. *Num. XV, 35* רגום *lapidando* sc. תרגם lapidabit, *ipsum lapidi-*
105. *bus tota congregatio*. Ita Editor *Es. V, 5*, ad הסיר subaudiendum monet אסיר, *removebo*, & ad פרץ subaudit אפרוץ, *rumpam*. Singularis est ellipsis, quando nomen substantivum ita ponitur, ut ali-
111. quod tempus verbi cognati subaudiatur. Ita ad vocem ומשוש *Es. VIII, 6*, subaudienda vox שש, *& gaudio gaudet de Rezin*. Plene legitur formula *Cap. LXVI, 10*. Optandum sane foret, ut omnes, qui Veteris Fœderis libros interpretantur, & Lexica Ebraica conscribunt, huc animum appellerent, lucemque locis difficilioribus haud unis fœnerarentur. Gratias habemus B. Autori & Cel. Editori de hac parte Philologiæ sacræ tam feliciter expleta.

✲ ✲ ✲

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio VIII.

HISTORIA LEODINENSIS, PER EPISCOPORUM & Principum ſeriem digeſta, a Ferdinandi Bavari initiis ad Epiſcopi ac Principis Georgii Ludovici a Bergis, hodie regnantis, adminiſtrationem continuata.

Tomus III.

Leodii, typis Everardi Kints, 1737, fol.
Alph. 5 plag. 20.

Tomum primum ac *ſecundum* jam pridem lectione ac judicio noſtro excepimus pro meritis. In præſens ex eis, quæ *Tomus III* complectitur, potiora decerpemus, ac curis noſtris proſequemur. Diſſidiis ejusmodi *tertius* hic *Tomus* eſt plenus, quæ civibus plerumque, nec raro ipſis rerum dominis, ſunt exitioſa. Habet enim hoc a natura dominatio omnis, ut intra terminos coerceri, limitibusque circumſcribi, nolit, gravesque ei ſubditorum accendat querelas, quoties hi exiſtimant, privilegia ſua conculcari, vetuſtos aboleri mores, ac libertatem populi peſſum dari. In fine conſpicitur Conſulum Leodienſium ſeries, ab A. 1612 ad annum uſque 1736 continuata. Tractatione ipſa ediſſeruntur Epiſcoporum vitæ ac res geſtæ inde ab A. 1612 ad noſtram uſque ætatem, nominatim *Ferdinandi Bavari*, Epiſcopi nonageſimi, *Maximiliani ab Elderen*, *Joſephi Clementis*, ac *Georgii Ludovici a*

 Bergis,

Bergis, qui adhuc ad clavum basilicæ Leodii residet. *Ferdinandi* patruus, *Ernestus*, paulo ante exstiterat Episcopus, qui *Ferdinandum* A. 1600 suum in Episcopatu Leodiensi adjutorem renuntiaverat, ac ad annum proxime sequentem primario Canonicatu ditarat. *Ernestus* potiebatur Archiepiscopatu Colonienſi, Episcopatibusque quatuor præerat, Leodii
Pag. 2. ac Coloniæ successorem nactus patruelem, *Wilhelmi V*, Bavariæ Ducis, filium, *Ferdinandum*, qui *Matthiam* Francofurti in Cæsarem cum Electoribus sociis elegit, deinde ad 27 Jan. A. 1613, magnificentissimo apparatu stipatus, Leodium intravit. Cum Princeps novus juberet, ut oppidani solverent assem
5. in singulas ædium fenestras, (vocant vectigal *des Voirieres*,) exarsit in plebis animo tumultus ac seditio. Quo minus *Ferdinandus* sacris sese ordinibus recipiendis obstringere deberet, ipse effecit indulgentiam per Papalem ad quinquen-
6. nium, veritus, ne *Maximilianus* frater, Dux Elector Bavariæ, pergeret liberis carere. Tum quoque solenniſſime corpus Divi *Alberti* fuit translatum, olim filii ac fratris Brabantiorum Ducum. Non est, quod vitam ejus hic repetamus. Alii eum vocant *Alberonem*, *Henrici Probi*, primi Ducis Brabantiæ, fratrem. Per idem tempus P. *Franciscus Fleron*, Leodiensis, domus Jesuitarum rector, ab Episcopo civitatisque senatu obtinuit Philosophiæ docendæ in seminario Catenæ mu-
7. nus. At Academia interceſſit Lovanienſis. Eam ab causam licentia illa fuit impedita. *Petrus Stevard*, Canonicus, A. 1613 in honorem *Walburgis* templum Leodii constructit parochiale. In comitiis Ratisbonensibus a Cæsare *Matthia Ferdinandus* obti-
9. nuit edictum A. 1613, 8 Dec. quo electionis magistratuum Leodiensium mos, ab Episcopo *Joanne Hinsbergenſi* olim introductus, A. 1603 abrogatus, fuit denuo revocatus in usum.
13. Diploma Cæsaris displicuit populo Leodienſi, cujus odium Episcopus libello publico amoliri conatus, reformavit curias ecclesiasticas, legatum Pontificis, secum hospitantem, comiter excepit, preces quadraginta horarum instituit, oppignora-
16. tumque Comitatum Hornensem redemit. Annus 1614 diluviis laboravit. Leodium sese receperunt Angli Jesuitæ, magna Britannia

Digitized by Google

tannia pulsi. Eosdem illico insecutæ matronæ Anglæ, quas vulgo *Cloppas* appellant, habitantes nunc in Avroti suburbio domum, cui nomen *des Coquins*, ubi plurimas magnæ Britanniæ familias, religionis causa ad sese digressas, recipere solent. Inter hæc exarserunt controversiæ, una de potestate admittendi matrimonium in tertio gradu consanguinitatis inter Legatum Colonienſem ac Vicarium generalem Leodienſem, in qua hic superior discessit, altera de successione in provincias Juliacenſes, mortuo Cliviorum Duce vacuefactas. Ordines Leodienſium a legatis Imperatoriis coerciti. Edictum de numis aureis argenteisque ad Belgarum pretium revocandis promulgavit anno ineunte 1615 Episcopus. Denuo conquestus fuit de magistratibus Leodii idem in judicio camerali Spirensi, recusantibus parere edicto de pretio numis statuto. Comitia acta Trajecti ad Mosam inter cognitores causarum Archiducis *Alberti*, Brabantiæ Ducis, ac *Ferdinandi*. Eodem anno Imperator in Aquisgranenses, sæpius contumaces, animadvertit praviſſime. *Ambrosius de Spinola*, *Alberti* Archiducis copiarum præfectos, Aquisgranum 22 Aug. occupavit, ac Pontificium senatum, expulsis Protestantibus, reposuit. A. 1618 initia ac semina belli tricennalis diffusa, quorum fructus funesti carptim exponuntur. A. 1627 vires Leodiensium a *Ferdinando* Episcopo fuerunt attritæ. Quantopere Autor faveat juribus civium Leodienſium, constat luculentiſſime ex *pag. 65*, ubi ad annum 1628 ita disserit: *Cum tam facile tunc temporis decreta impertirentur unius partis, altera inaudita, nemini mirum sit, ab Episcopo victos apud Ferdinandum II Leodienses. Verum illud erat curiosius inquirendum, num ista, tanto apparatu, convenirent cum privilegiis Civitatis, in quorum possessione stabat, quæ concessa ac confirmata a præcedentibus Cæsaribus Regibusque fuerant, atque iis de rebus ad ipsum Cæsarem a civitate erat referendum.* Senatus Leodienſis confugit ad opem Capituli, ac intercedit articulis edicti novi 50. Copiæ Principis Episcopi in terram Leodienſium immissæ, quas secutus Hispanorum exercitus, novus Leodii hostis, cui *Henricus*, Comes Bergensis, præfuit, & qui

Pag. 17. 18. 22. 33. 48 seq. 66. 68.

Pag. 72. & qui per tres hebdomadas Hasbaniam fuit populatus. Missi a senatu civitatis, qui Cæsaris auxilium implorarent. Ipsi a Cæsare A. 1629 benignum retulerunt responsum. Memoria dignus exstitit libellus, quo D. *Rausin* fundamenta libertatis privilegiorum urbis Leodii *inde a tempore Julii Cæsaris* deduxerat. De judicio Camerali supremo ita judicat Autor: *Ibi lites æternum vivunt, ac inferunt partibus præter perditum tempus ingentes impensas.* Motus dein civiles persequitur, in magistratuum electione ipso *Jacobi* festo die excitatos.

Episcopi consilia, quibus coercere ac circumscribere studuit civium sic dicta jura, aperit. Hispanos, regionem a Vello deserere coactos, in Campiniam Hasbaniamque irrupisse, tradit. Irruptionis factæ consilia fratribus, *de Bocholt*, seu *Bucholz*, dictis, alteri Præposito, alteri summo Prætori, a civibus attributa. Quapropter plebs irruit tumultuosa in sacras S. *Lamberti* ædes, ac summo Præposito manus injecit. Armatos a Leodiensibus pulsos, Regem Gallorum Leodienses tutatum esse, addit. Hinc Cæsar Leodienses in fidem tutelamque recepit, legatumque ad eos misit. Nec eo secius turbis in civitate indultum. A. 1631 Cæsaris edictum, de electione magistratuum urbis olim latum, denuo confirmatum. Hispani a Leodiensibus expulsi. Anno sequenti Leodienses jusso Cæsaria obtemperarunt. Ad 19 Apr. Episcopus jussit Protestantes ex solo Leodiensi emigrare. Suecos A. 1633 recipere coacti Leodienses. Dux bellicus *Pappenheimius* agros infestavit A. 1632. A. 1636 Cæsar Leodienses denuo in clientelam publicamque defensionem suscepit, jubens, ut nobiliores civium arma in eos arriperent, qui publicam tutelam labefactare auderent. *Joannes de Werth* ac Croatæ civitatem omni aditu per sex fere menses prohibuerunt. Croatas oppidani repulere. Scripsit amice Rex Gallorum ad Leodienses. Ad Pontificem vero Romanorum querelas suas dirigebant Capitulares, quæ Episcopo minus probatæ. Paulo post ad eas responsum dedit Pontifex, significans, sese pro Leodiensibus literas daturum ad *Ferdinandum*, ac moniturum, ne sibi subditos molestе tractet. Consul *de la Ruelle* A. 1637 per insidias interfectus fuit, cui parentatum a plebe

74. 76 seq. 79. 80. 93. 105. 120. 131. 135. 141. 144.

fuit

fuit nece percuſſoris *Grandmontii*, Burgundi. A. 1638 ſenatus jure ſuo uſus eſt proſcribendi perfidos & inviſos. Contra ducem copiarum *Piccolomini* Leodienſes arma corripuere. Pau- Pag. 165.
lo poſt ingruit bellum Huenſe, quo Epiſcopus Leodienſes
frangere, ſibique penitus ſubjicere, tentavit A. 1639. Exce- 169.
pit illud A. 1640 pax Tungrenſis. Autor ſubinde patris Je- 185.
ſuitæ *Boville* hiſtoriam vel laudat, vel emendat & ſupplet. A.
1647 Lotharingi Leodienſibus fuere graves. Princeps Arau- 236.
ſicanus Leodium inviſit. Variis deinde inteſtinis diſcordiis
laboravit civitas, prouti alii Epiſcopo, alii privilegiis ſuis,
favebant. Civitas inter hæc ab Epiſcopo obſeſſa tam arcte,
ut ſeſe dedere, ac conditiones præſcriptas ſuſcipere, cogeretur
A. 1649. Triumphans ingreſſus eſt Epiſcopus civitatem, 274.
abrogavit Magiſtrorum (Conſulum) ac Juratorum jurisdictio-
nem, in curia exerceri ſolitam, ſanxit novam electionis Con- 279.
ſulum formam, in poſterum ſervandam, præſidium militare
civibus impoſuit, tributa imperavit, caſtellum, veluti frænum,
in eorum cervicibus collocavit, tormentis cinctum. Ele- 290.
cti A. 1649 novi Conſules novam ſecundum formulam. Dis- 292.
ploſa ſunt prima vice in ſignum lætitiæ bellica novæ Arcis
tormenta. Conſules abſtinere cœperunt a frequentando D.
Jacobi templo. Tum primum fidelitatis ſacramentum fuit in-
termiſſum, quod ad ædem Fratrum Minorum ad hunc usque
diem civibus præſtiterant Conſules novi. A. 1650 ordines
provinciales Epiſcopo ſignificarunt, ſeſe invitis & inconſul- 293.
tis exſtructam eſſe arcem. Canonici, qui electionem *Ma-*
ximiliani adjutoris conſenſu ſuo corroborare noluere, caru-
erunt ad annum reditibus, ſeu Præbendis ſuis. Epiſcopus
vero A. 1650, 13 Sept. Arembergi, in Weſtfaliæ Ducatu, ſu- 297.
bita morte correptus, exſpiravit, Bonnæ ac Leodii ſucceſſo-
rem nactus ſuum ex fratre nepotem, *Maximilianum Henricum*,
filium *Alberti VI*, Ducis Bavariæ, ac *Mathildis*, Leuchtenber-
genſis Laudgraviæ. Non eſt noſtrum, ſingula accuratius per- 301.
cenſere. *Maximiliano* Epiſcopo ad clavum ſedente, me-
morabilia omnino evenerunt multa. Sed potiora ſunt
pax Thenenſis, bellica *Ludovici XIV* expeditio, deſtructio 325.

arcis Leodienſis, Noviomagenſis pax, ac poſt eam motus Leodienſium turbulenti, reconciliatio pacis inter civitatem
Pag. 390. & Epiſcopum, res Furſtembergicorum. *Joanne Ludovico* Epiſcopum agente, civitas tormentis majoribus ignivomis
457. oppugnata. In *Joſephi Clementis* vita epiſcopali exponitur de ejus ad partes Gallicas defectione, de arcis oppugnatione,
482. ac ejus A. 1715 per pacem Badenſem reditu. In enarrandis eis, quæ a Celſiſſimo Principe Epiſcopo *Georgio Ludovico* Bergenſi fuerunt geſta, Autor & brevis & prudens eſſe laboravit. De reliquo notamus in Autore duos nævos, unum, quod civitati videatur propenſior fuiſſe, quam Epiſcopis, alterum, quod ſermonem adhibuerit haud ſatis caſtum terſumque. Id vero ſummis laudibus prædicandum ducimus, quod acta publica conquiſiverit, eisque large inventis hiſtoriam ſuam judicaverit ſuperſtruendam. Indicem copioſiorem ſi libro quis ſubjunxiſſet, is ſane in commoda publica haud peccaſſet.

CONCILIUM LATERANENSE STEPHANI III A. 769. nunc primum in lucem editum ex antiquiſſimo Codice Veronenſi MSto nongentorum annorum, & dicatum ſanctiſſimo Domino CLEMENTI XII, Pont. Opt. Max. opera & ſtudio CAJETANI CENNI.

Romæ, ex typographia Vaticana, 1735, 4. Plag. 18.

Præclarum ſacræ antiquitatis monumentum publici juris fecit Vir doctiſſimus, Presbyter Piſtorienſis, Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi D. *Ludovici Belluga*, Romanæ eccleſiæ Presbyteri Cardinalis S. *Priſcæ* a Bibliotheca, de editione Vaticana *Anaſtaſii de Vitis Romanorum Pontificum* ante aliquot annos præclare meritus. Inſigni Codice, ab Ampliſſimi Capituli Veronenſis proceribus accepto uſus fuit. Ipſe primus, hoc adminiculo potitus, integram indicati Concilii hiſtoriam, nec non nomina & numerum Epiſcoporum, qui ex Francia & Italia convenere, adhuc a peritis omnibus deſideratam, expla-

explanavit, & in lucem eduxit. Inprimis inde constare ajunt, Episcopos Galliarum sanctæ sedi Romanæ obnoxios & subjectos fuisse. Obtinuit vero illud monumentum a nobilissimo Comite *Ottolino Ottolini*, Viro celeberrimo, doctrinarumque laudibus præstantissimo, atque *Josepho Blanchino*, Congregationis Oratorii in urbe Verona Presbytero longe spectatissimo doctissimoque. Ubi MStum lectorem destituit, Autor reliqua supplevit ex *Anastasio*, ex collectione Romana *Lucæ Holstenii*, & ex *Acherii Spicilegio*. Hac ratione propemodum 40 Episcopos sedium Italiæ adjunxit catalogis, nec non duodecim Gallicanos, antea minus recte cognitos. In initio hujus Concilii non numerantur anni Imperatoris, ut fieri antea solebat. Formula initialis chronologica sic habet: *regnante uno & eadem sancta Trinitate*. Nulla enim *Stephano III* spes supererat, Iconomachos posse resipiscere. Nulla amplius Italiæ pars ab Exarchis servabatur, sed potius Exarchatus ipse in ditionem sanctæ sedis, judice Autore, concesserat, omnisque defecerat a Græcis Italia. *Desiderii* annos supputare potuisset scriptor, nisi Rex iste terram sedis Apostolicæ ferro & flammis tum vastasset. *Primicerii* illico sub exordio Concilii fit mentio. Is enim, sede vacante, unus erat ex Triumviris, penes quos erat rerum gerendarum potestas. Transitum Pontificis Exarcho Italiæ nuntiabat Archipresbyter, Archidiaconus, & Primicerius Notariorum. Absentis Pontificis locum tuebantur Archidiaconus & Archipresbyter. Primicerius Notariorum erat judex Palatinus, ac proinde ad gradus majores adscendere prohibebatur, antequam munus ejus ab *Alexandro III* officio sacro aggregaretur. Ipse primicerius & secundicerius in omnibus deambulationibus solenniоribus per manus ducebant Papam, succedentibus Episcopis & ceteris proceribus. Contra *Pagium* Autor ostendit, Subdiaconos perinde ac ceteros minores Ecclesiæ Clericos ab excelsa Pontificatus Romani sede fuisse remotos atque sejunctos. Ordinem Romanum primum *Mabillonii* non fuisse juniorem *Carolo Magno*, idem docet. Ex Sacerdotibus & Diaconis, tum summatim 35, Pontifex solebat eligi. Ad sacrum Collegium

Pag. 14.

15.

17.

gium conſtricta fuit Pontificis electio Seculo XI, cum *Nicolaus II* decrevit, ut a ſolis Cardinalibus Pontifex eligeretur.
Pag. 19. *Alexander III* confirmavit decretum. Olim optimates & militiæ præfecti intererant etiam electioni. Eligebant Pontificem Clerici & Laici. Utrique autem in tres claſſes dividebantur. Laici conſtabant civium, militum, & univerſi populi, cœtu, Clerici vero diſtribuebantur in Sacerdotes, Proceres eccleſiæ, & univerſum Clerum. Sacerdotes erant ſeptem Epiſcopi Cardinales & 28 Presbyteri, item Cardinales, quorum pars inter congregatos Epiſcopos, ordini ſuo congruenter, ſedebat. Proceres Cleri, ſeu Eccleſiæ, erant Archidiaconus, ſeptem Judices Palatini, & ſi qui alii officiis Romanæ eccleſiæ conſpicui jure ſecernebantur a reliquo Clero. Ac proinde Diaconi etiam regionarii eisdem annumerabantur. Univerſus demum Clerus continebat Subdiaconos, Acolythos, Notariosque eos, qui nullo fungebantur officio Palatino. Ele-
20. ctionis tempore *Stephani III* hic erat ordo. Ingraveſcente *Pauli IV* valetudine, deprehendit primicerius impia *Nepeſini Totonis*, ejusque ſectatorum, conſilia de ambitu Pontificali, &, quæ erat ejus autoritas, convocatis reliquis Judicibus, arceſſitoque conjuratore *Totone*, machinamenta ejus eluſit, quod flagitium antea prohibitum fuerat in Concilio Romano *Symmachi*, multo poſt *Paulus IV* peculiari Bulla eſt deteſtatus. Utraque vero Conſtitutio præmittitur cerimoniali electionis Romani Pontificis, quibus ſeſe ſacramento hodie adſtringunt Eminentiſſimi electores. Papa demortuo, Archipresbyter,
21. Archidiaconus, & Primicerius, curam rerum gerebant. Primum omnium præbebant ſibi invicem ſacramentum de ſucceſſore rite eligendo in baſilica Petri. Deinde, juſtis defuncto Pontifici ſolutis, jejunium & preces pro novo eligendo inchoabant. Primicerius, in narratione ad Concilium, *Pauli* mortem adſtringit diei 29 Junii, ſed tamen diei dominico. Reponendus itaque eſt dies 28 Junii, aut primicerii error eſt
24. admittendus. Erant hæc ex Præfatione fuſius decerpenda, ſiquidem ea noſſe nullius non intereſt. Hinc ſequitur Concilium ipſum, A. 769, 12 Apr. habitum, allatis in medium IV Evange-

Digitized by Google

Evangeliis. Additur expoſitio, *Capitibus quatuor* comprehenſa. *Capite primo* recenſentur provinciæ tum civiles, tum eccleſiaſticæ, Galliarum & Italiæ, Concilii tempore; *ſecundo* commemorantur ſedes Epiſcoporum Franciæ, qui Concilio Lateranenſi adfuerunt; *tertio* ediſſeruntur ſedes Epiſcoporum Thuſciæ atque Campaniæ, & provinciæ Italiæ, qui adfuerunt *Stephani III* Concilio; *quarto* ediſſeruntur nomina duo & quinquaginta Epiſcoporum, qui Concilio Lateranenſi adfuerunt, e quibus emendari & ſuppleri poſſunt catalogi. Id inprimis memoratu dignum eſt, Concilii patres alapas in ſuo conſpectu juſſiſſe intruſo Pontifici, ſeu conjuratori, infringi.

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM HISTORico-geographicarum de Boſniæ regno, Hungarici quondam juris, occaſione armorum Cæſareorum, hoc anno 1737 in Boſniam motorum.

Lugduni Batavorum, impenſis Buartſi, 1737, 4.

Plag. 19½.

In Præfatione eam ſibi operam Autor, quisquis ille exſtiterit, putavit datam, ut doceat, Imperatori tunc temporis invictiſſimo juſtiſſimas ſuppetiiſſe rationes ſuſcipiendi in Turcos belli. Id vero agit in ipſa tractatione, ut jura Auguſtiſſimo Imperatori in avulſum ſceptro Hungarico Boſniæ regnum vindicet, deinde vero emolumenta expendat multiplicia, ex naturali regionis hujus ſitu & conditione in disjunctiorum Cæſaris regionum tam ſecuritatem, quam commercium, redundatura. Reges Hungariæ dudum ſibi ſubjecere ac adjunxere regnum Boſniæ. Exeunte enim Seculo XI *Ladislaus Sanctus* donationis a ſorore factæ juribus, nec non conjugii vinculo, cum *Creſcimiri* filia initi, ac inde ſtabilito proximo cognationis cum *Zuinimero* gradu, atque armis victricibus prima poteſtatis in Dalmatiam, Croatiam, Boſniam, ac contermina regna, jecit fundamenta, quæ poſthæc quarto ſupra decimum Seculo *Carolus* & *Ludovicus* Andegavenſes, ſubactis Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Boſniæ, Serviæ, & Bulgariæ, Pag. 1.

regulis, deſpotis, ac toparchis, reddiderunt firmiora. Quæ ipſa eſt origo titulorum, quos Hungariæ Reges nominibus ſuis adſcripſerunt. Primi, Boſniæ qui incoluerunt regnum, fuere Illyrici. Illyrici veteris terminos Autor operoſe diſquirit, quibus & ipſa Boſnia fuit concluſa. Scordiſci olim regiones, quæ nunc Sclavonia & Boſnia appellantur, habitarunt. *Bela, Stephani* Regis frater, A. 1271 *Dux Machoviæ &*
Pag. 6. *Boſnæ* (id eſt, Myſiæ, ſeu Bulgariæ, & Boſniæ,) voluit appellari. Pannoniam interamnem, Savum inter ac Dravum interjectam, medio Seculo ſexto *Slavi*, avitis ultra Caucaſum ſedibus a vicina Turcorum gente expulſi, inundarunt. Slavos mox exceperunt *Serbli*, ſeu *Sibli*, Romanis Servi. Effluente Seculo IX Servii incoluere illum tractum, qui Boſniæ conſtituit regnum. Seculo decimo inclaruerunt armis minacibus cruentisque *Patzinacitæ*, populus ultra Iſtrum in Scythia Europæa quondam commoratus, ita dictus ab inſula *Peuce*, ad oſtia
10. Iſtri collocanda. Ipſi Boſniam invaſere præter regiones illas, quæ a Peucinis, ſeu Pizinis, Peutzinigis, ſeu Bozinacis, dicta
12. fuit Boſnia. In hodierna Myſia, ſeu Servia, urbes Dardanorum præcipue coruſcant, *Niſſa*, olim *Naiſus*, *Neſus*, *Naeſſus*, *Naiſſus*, dicta, nec non *Scopiorum* urbs, olim vocata *Scupi*, nunc *Scopia* & *Uſchub* apud Turcos appellari ſolita.
13. *Croati*, *Chrobati*, quaſi *Hruati* nativo ore, cognominati ſic fuerunt, eo quod multum terræ poſſidebant. Croatia minor,
14. ſeu maritima, vocata etiam fuit olim *Rubea* & *Baptizata*; mediterraneæ autem nomen fuit *Magnæ* & *Albæ*. Nonnunquam Croatia montanas Sclavoniæ, Boſniæ, & Raſciæ, regiones ambitu ac ſignificatu ſuo comprehendit. *Zachlumitæ*, ſeu *Zachlumii*, *Ochlumii*, *Chlumii*, meridionalem Boſniæ partem inde ab Epidauriis, ſeu Raguſinis, ad Orontium usque fluvium, hodie Narentam, incoluere. Originatio ex flumine Zachlumo. Seculo XIII Comitatus Chelmenſis innotuit, ac conſtituit tandem Seculo XV *Ducatum ſancti Sabæ*, in ſuperiori Boſnia ſitum.
15. Zachlubis, ſeu Zachlumis, hinc vicini erant Terbuniotæ, vel Tribunitæ, ſic dicti ab oppido primario *Terbunia*, vel *Tribunia*, *Plinii* & *Melæ Tribulio*, hodie *Trebigna*, ſeu *Trebigni*, vocato.

Digitized by Google

vocato. Iidem cognominati fuere *Canalitæ* a canali, seu aquæductu, cui vicina erat *Catari*, seu *Cataræ*, civitas, Græcis Decatera, vel Decatara, Illyricis *Cotor*. Ab ea Tribunitæ, seu Canalitæ, ad Epidaurum usque protendebantur in Diocliæ confiniis, unde *Dioclii*, *Diocleenses*, *Diocletiani* apud *Porphyrogenetum* dicti. Erudite hæc Autor edisserit. Idem credit, *Clissam*, Dalmatiæ urbem, esse veterum *Andetrium*, *Andecrium*, *Andretrium*, *Andretium*; Dulcinium vero, Italis *Dulcigno*, esse Dolciam, Docleam, Dociam, Doclealinam, Diocliam, seu urbem Diocleensem veterum. *Rentani*, *Arentani*, *Narentani*, exstiterunt gens ad Orontium, Naronem, vel Narentam, fluvium accolens. Hosce cum definit ac describit Cel. Autor, de insula Dalmatiæ vicina, Meleta, ita commentatur §. *8 pag. 19*: *Meletam, seu Melozeatem, D. Lucas in Actis Apostolorum Meliten, D. Apostoli Pauli ex naufragio refugium nominat, & plerique cum Melite, vel Malta, Rhodisiorum, seu Joanniticorum, sede, confundunt.* Quodsi hunc locum, genus scripturæ, notitiam locorum Dalmatiæ, ac scriptorum laudatorum nomina, sub unum conspectum revocaverimus, non possumus, quin suspicemur, Autorem esse *Ignatium Georgii*. Charta fere loquitur, domicilium sibi Venetias suppeditasse. Sed ad rem revertendum. Ipse, quid sint *Despotæ*, *Crales*, *Vayvodæ*, *Bani*, ac *Zupani*, luculenter exponit Autor. *Voyevoda* notat belli ducem ex *voyska*, exercitus. Banum putat ex *banderio* dictum, eo quod vexillo (*ban*, *panier*,) præeat aliis. Hinc ad dominos Bosniæ recensendos procedit. Bosnia cur *Rama* in Regum titulis dicta fuerit, non satis est in expedito. Difficultatem Noster ita solvit, tradens: *Primus Ramæ titulo inscriptus legitur Bela II Cæcus, Almi filius, qui illum ad oram maris tractum, a perlabente & in Naronem effuso Rama fluvio simile nomen sortitum, inde ab A. 1138 jam possedit, autorque exstitit, ut ab eo dein Hungariæ Reges pari titulo uterentur.* Ramam a Rascia distinguere oportet. Posteriori enim ætate Servia in *Ramam & Rasciam*, seu Bosniam, ipsamque Serviam, distribui solebat. In *Sigismundi*, Regis Hungarorum, titulo adscriptæ sunt regiones *Gallicia* &

Pag. 16. 18 seq. 20 seq. 22. 27. 29.

Lodomeria. Oſtendit Autor, priorem dictam eſſe ab Halicz, ſeu Halicia, urbe ad Boryſthenem, ſeu Danaſtrim, ſita, ratus, Hypanim flumen nunc Bog vocari, ac *Tyram* flumen
Pag. 30. appellari nunc Danaſtrim, *Nieſter.* Halicienſem vero dominatum poſt *Romani*, ex Polonorum gente, ab A. 1197 Halicienſis Principis, obitum, *Colomanus*, *Andreæ II*, Hungariæ
32. Regis, filius, A. 1206 circiter ducta uxore *Salomea*, *Leſci Albi* ſorore, dotis loco ſibi vindicavit, ac, conſtituente ſic patre *Andrea*, ſolenni ritu ab Epiſcopis Haliciæ Rex inunctus, *Lodomeriam* pariter (ſeu Wolodimiriam) obtinuit, Ruſſiæ metropolin, quam prædeceſſor *Romanus* quoque poſſederat. Præterea oſtendit Cel. Autor, Ramam Dalmatiæ & Croatiæ Regibus paruiſſe. Adjungit jura ea, quibus Hungariæ Reges in Dalmatiam, Croatiam, Ramam, ac regna proxima,
35 ſeq. gaudeant. Quæ ut clarius in lucem protrahat, ex hiſtoricis monumentis ea depromit atque recenſet, quæ huic ſcopo potiſſime videntur inſervire. *Sectione III* de translatis Hungari-
53 ſeq. æ Regum juribus ad Domum Auſtriacam exponitur. *Vladislao Jagellonio* defuncto, *Friderico III* Imperatorem debuiſſe ſuccedere in regno Hungariæ, Autor ſolide oſtendit.
55 ſeq. Ad *Ferdinandum* tamen primum, ejusque ſucceſſores, regnum
59. Hungariæ ad extremum recidit. Auſtriaca porro in Hungaria ſucceſſio A. 1687 in hæreditariam & juri primogenituræ innexam fuit converſa, ac tandem A. 1723 ad ſexum fœmineum,
61. ſi proles maſcula defecerit, extenſa. Quibus expoſitis, Autor de præipuis, a translata Turcorum in Europam ſede, Boſniæ fatis, & inſecuta ejus ab Hungariæ regno ſeparatione,
72. differit. Manichæos ad medium Seculum XV in Boſnia tenuiſſe principatum animumque Regis *Twartki Scuri*, memoratu eſt dignum. *Stephanus Thomaſcus*, Rex Boſniæ, qui Manichæiſ-
73. mum exuit expulitque, *Amurathi II*, Turcorum Imperatori, ſtipendiarium ſeſe reddidit, eique quotannis pependit 25 aureorum tributum. Ipſe autem a filio *Stephano* & *Radivoio*, hujus fratre, in lecto ſuffocatus. Mater, parricidium peroſa, *Mahometem* in Boſniam evocavit ſuo cum inſigni damno. Tur-
75. corum Imperator Boſniam occupavit, ac *Stephanum* patricidam

capite

capite truncari jussit, seu, ut alii retulerunt, ipse manu suæ jugulavit A. 1463. *Catharina*, patricidarum mater, eo facto perterrita, per Dalmatiam sese Romam recepit, filia Ducis sancti *Sabæ Stephani* Cossacciæ. *Stephani* filii uxor, *Maria, Lazari Despotæ* filia, furorem Turcorum vitatura, in manus *Pauli*, Sclavoniæ Bani, incidit, quo occiso, ad matrem in Hungariam venit. Permulti scriptorum hasce uxores inter sese permiscuerunt. Pag. 76.
Catharinæ epitaphium, effigies, & insignia, *Ciacconius* exhibuit in *Cardinalium Historia.* *Mahometes* porro animum intendit 82.
subigendæ reliquæ Bosniæ parti, Ducatui S. *Sabæ*, vel *Herzegovinæ.* Nec spes eum fefellit. Anno enim 1464 Herzegovinam occupavit, & hoc modo Ducatum Bosniæ exstinxit.
Matthias Corvinus, regalem Hungarorum coronam adeptus, 86.
recepit quidem *Jaiciam* A. 1463 Cal. Octobr. ac *Emericum de Zapolia* gubernatorem regno Bosnæ præfecit, immo *Nicolaum*, ultimi Bosnensis reguli, a *Mubammede* necati, filium, regio Bosniæ diademate ornavit, filiumque ejus *Laurentium* posthæc titulo *Ducatus per Bosnam & Sirmium* honoravit. At intestina Christianorum dissidia in causa erant, ut *Mubammedes* per Serviam in Bosnam rediret, Sabacium Taurunensibus 87.
opponeret, ac crudelia passim tentaret. *Matthias* Rex, pace cum Bohemis Polonisque inita, illico Sabacium recuperavit, ac reliqua sibi ablata recepit. Deinde Bosnia a *Bajazethe II* fuit infestata, a *Selimo I* lacerata, a *Solimanno* Magno subacta, donec tandem glorioſissimus Imperator *Carolus VI* per pacem Passarovicensem redditum accepit illum Bosniæ 97.
tractum, qui ad alteram Savi ripam ab Hunna ad Drinum usque procurrit. Hisce præmissis, Autor exponit de Bosniæ situ, finibus, fluviis, urbibus, territorio, incolis; Belgradum esse *Plinii* ac *Ptolemæi Taurunum*, demonstrat; Moravam a veteribus *Parisium*, Worwatz fluvium *Verbasum* fuisse 101.
appellatum, ostendit. Croatiæ civitas *Zara vecchia* vocatur quoque *Alba Maris*; *Biograd, Belligrad, Bielgrad, Bielograd.* Vihitzia est veterum *Ausantola* prope montem Plissiwitzam, alias vocata *Bigibon, Bybegh, Bibachium, Bibacs, Wibatz*, Turcis subjecta. Savum a *Strabone Noarum* dictum, satis 107.

comprobat. Bosniæ superiori nomen *Ducatus sancti Sabæ* inditum, ex quo Comitem *Fridericus III* Imperator ornavit di-
Pag. 111. gnitate Ducali, & quidem *Sancti Sabæ*, a viro sancto, cui *Sabæ* nomen, filio tertio *Simeonis* ex uxore *Eudoxia*, Regis Rasciæ circa annum 1236. *Saba* nomen id in monasterio assumsit, antea *Rasci* nomine insignis, defunctus A. 1250, 14 Jan. in Milescevo, cœnobio intra avitam Serviæ regionem constituto.
118. *Ragusium Maria*, Hungariæ regina, civitatem suam vocavit, ac *Vladislaus* illud A. 1493 in fidem clientelamque recepit.
121. Bosniæ inferioris caput est *Bosna-Sarai*, *Serraglio*, *Serajo*; magnitudine & opibus in ea eminet *Srebernicum*, hodie *Suornica*,
126. ad Drinum sita, fodinis auri argentique clara; Banjabuka munimentis excellit, dicta a *Vania* amne, qui prope eam sese in
139. Verbasum effundit. De Uscocis, Morlachis, de beneficiis ex Bosniæ situ habituque sperandis, de commercio inprimis, proventibus ex molendinis, salinis, metallifodinis, decimis, aliisque memoratu dignioribus rebus, ita tandem differitur, ut facile appareat, Autorem in illis Bosniæ terris vel commoratum, vel ad confinia ejus diu versatum esse.

Geschichte des Durchlauchtigen Fürsten, Herrn Conrads des großen, gebohrnen Grafen von Wettin, Marggrafen zu Meißen und Lausitz, ꝛc.

id est,

HISTORIA PRINCIPIS SERENISSIMI, DOMINI Conradi Magni, Comitis Wettinensis, Marchionis Misniæ ac Lusatiæ, ex fide dignis actis historicis collecta a CHRISTIANO SCHOETTGENIO.

Dresdæ & Lipsiæ, in officina libraria Hubneriana & Leschisiana, 1745, 8.

Alph. 1, cum Fig. æn. 2.

Rebus patriæ vetustis subinde Cel. Autor nonnihil otii consecrare consuevit. Ejusdem diligentiæ hoc specimen

men satis elimatum ac politum in acceptis ferimus. *Libris* id *duobus* constat. *Libro priori* parentes & consanguinei *Conradi* exhibentur, vita ejus ad annum 1155 emortualem exponitur, & uxor cum liberis subjicitur. *Libro posteriori* in indolem ac virtutes *Conradi*, in terras ei subjectas, in ejus titulum honorarium ac insignia, religionem, instituta sacra, advocatias monasticas, reditus, numos, jura, aulicos administros, clientes ac subditos, inquiritur. Accedit codex probationum. Decerpemus ex hoc apparatu potiora. Comite Wettinensi *Thimone Conradus* patre fuit usus, magistro & præfecto totius aulæ imperatoriæ, qui Cœnobio Gerbstadiensi fundamenta dedit, advocatia sibi reservata. Evectus fuit idem ad principatum militiæ Cæsaris, ac Pag. 3.
deinde ad Misniæ Marchionatum, cum ante Comes appellaretur Brenensis. Mater *Conradi* exstitit *Ida*, *Ottonis*, Co- 6.
mitis Northeimensis, filia, non ex *Udone*, Comite Stadensi, nata. Ex hisce parentibus circa A. 1098 *Conradus* fuit procreatus. Avus ejusdem traditur fuisse *Fridericus II* Comes, jussu Marchionis *Eckhardi* A. 1034, 19 Nov. per insidias domi occisus. *Dedo* recepit ejus Comitatum, filius natu ma- 9.
jor. *Diterico* nupserat *Mechtildis*, *Eccardi I* Marchionis filia. *Ottonis* Northeimensis uxor exstitit *Richenza*, filia *Hermanni*, Comitis Werlensis Westfali. Abavus paternus *Conradi* fuit Comes *Dedo*, cui erat uxor *Thietburga*, filia Marchionis *Thiderici*. Abavus maternus exstitit Marchio Misniæ *Eccar-* 11.
dus, de quo exstat *Casp. Sagittarii* Dissertatio. *Eccardo* nupserat *Suanehildis*, filia *Hermanni Billingi*, Saxonum Ducis. *Ottoni*, Comiti Northeimensi, obtigerat pater *Benno*, Comes Northeimensis, ac mater *Eilica*, Annalista Saxone id ipsum testante. *Dedonis* pater, *Theodericus de tribu Buzici*, *egregiæ* 13.
libertatis vir, ita inclaruit, ut tenebras majorum superarit. De patre, matre, uxore ejus, nil certi constat. Frater *Conradi*, *Dedo*, an Comes Wettinensis exstiterit, dubitavit *Joannes Georgius Eccardus*. *Dedo* gavisus est uxore *Berta*, ex 16.
Wiperto, Comite Groicensi, procreata. *Conradi* soror, *Mechtildis*, Comiti Seburgensi nupsit, ex quo *Wichmannus*, Episcopus Cizensis,

Digitized by Google

Cizenſis, poſtea Archiepiſcopus Magdeburgicus, fuit prognatus. *Conradus* A. 1116 Cœnobio Reinhartsbornenſi donavit locum *Lauſeniz*, villam præfecturæ Eiſenbergenſis, ac dimidium ſilvæ adjacentis. Ad A. 1118 teſtis adſtitit donationi, in uſum Cœnobii Boſavienſis factæ. A. 1119 Cœnobio Reinhartsbornenſi nonnihil bonorum doni titulo contribuit, advocatia ſibi poſterisque ſuis reſervata. Injecit ipſe tunc mentionem uxoris ſuæ. Ad A. 1121 teſtis adfuit confirmationi bonorum Cœnobii Boſavienſis, a *Diterico*, Epiſcopo Numburgenſi, in literas redactæ. Paulo poſt terræ Marchionis Eilenburgenſis, *Henrici* junioris, Marchionis Miſniæ, hoc, ut fama erat, defuncto, fuerunt domino vacuefactæ. *Wipertus* Comes inhiabat prædæ, eamque ab Imperatore *Henrico V* reportabat. *Conrado* moleſtia inde injecta. *Lotharius*, Dux Saxonum, ei favit, belloque conflato, *Conradum* poſuit Miſniæ Marchionem, *Albertum* vero *Urſum* Marchionem Luſatiæ præfecit. *Conradus* A. 1124 Cœnobium S. *Petri* in Monte Sereno, a *Dedone* fratre inſtitutum, perfecit. Imminuit eodem anno terris defuncti *Wiperti*, Comitis Groicenſis. At fruſtra. In Cœnobium Montis-Sereni ipſe ac uxor *Lucardis* A. 1125 multa bona in perpetuum intulit. A. 1126 cum Marchione Ilenburgenſi, *Henrico* juniori, diſſidia exercuit, quem pro coci filio publice dixerat habendum. Res erupit in nervum. A verbis res ad bellum ſe convertit, in quo *Conradum Henricus* cepit, in caſtellum Kirchberg deduci, ac in lectum ferreum poni, multisque probris infeſtari, juſſit. Defuncto A. 1127 illo *Henrico*, e cuſtodia provolavit, ac ab Imperatore *Lothario* retulit Miſniæ Marchionatum. Kirchberga ad Salam prope Jenam exſtat, Burggraviorum poſthæc ſedes. *Conradus* A. 1127 primum Cœnobii Petribergenſis Præpoſitum *Herminoldum* ad Pontificem *Honorium II* miſit confirmandum, pollicitus Pontifici quotannis Biſantinum ex auro ac argenti fertonem. Imperatorem comitatus fuit A. 1129 & 1130, Goslariæque teſtem diplomaticum egit. Comitiis Brunſuicenſibus A. 1130 dicitur interfuiſſe. Mulhuſæ A. 1132 Cæſari adfuit. *Udo*, Epiſcopus Numburgenſis, anno

Pag. 21. 24. 27. 30. 33. 36. 38.

anno ſequenti cum eo advocatiam Numburgenſem limitibus determinavit. Quedlimburgi A. 1134 teſtem egit, Imperatore civibus mercatoribus privilegia confirmante. Lipſiam ab eo demum in urbis formam ac dignitatem fuiſſe evectam, merito negat Noſter. Quis enim ignorat, Lipſiam jam Seculi XI initio urbibus fuiſſe annumeratam? *Conradus* A. 1135 in Cœnobio Novi Operis ad Halas ſiti teſtem egit. Obiit *Henricus*, Marchio Luſatiæ, Burggravius Magdeburgi, filius *Wiperti*, Comitis Groicenſis, A. 1136, 30 Dec. Obtigit inde Luſatiæ Marchionatus *Conrado*, Burggraviatus *Burchardo*, dynaſtæ Querfurtenſi. Ceſſerunt terræ *Henrici* hæreditariæ *Conrado*. Expeditioni in Italiam, a *Lothario* ſuſceptæ, A. 1137 interfuit. Ducatus Saxoniæ cum a *Conrado* Cæſare in Marchionem *Albertum Urſum* A. 1138 transferretur, *Alberto* objecit impedimenta. A. 1142 ipſe cum uxore ac filiis Abbatiam in Suevia Elchingenſem inſtituit. Comitatum Rochlicenſem a *Conrado III* A. 1143 impetravit. In Palæſtinam peregre abiit A. 1135 & 1145, ac pœnitentiam ſancti ſepulcri impoſitam ſuſcepit. Fato conceſſit *Lucardis* A. 1146, 19 Jun. in Gerbſtadienſi Cœnobio ſepulta, inde ad Montem Serenum relata. Interfuit *Conradus* expeditioni cruciatæ, adverſus Venedos Meclenburgicos ab Epiſcopis conflatæ. Eventus fuit fruſtra. Nolumus rebus monaſticis, a quibus res *Conradi* haud ſegregatæ fuerunt, vacare recenſendis. *Suenoni*, Regi Danorum, in Comitiis Merſeburgenſibus a *Friderico* Cæſare in Regem ſtatuto A. 1152, filiam *Adelheidam Conradus* collocavit. Tandem ipſe, res caducas pertæſus, *Ottoni* filio Marchionatum Miſniæ, *Diterico* Marchionatum Luſatiæ, *Henrico* Comitatum Wettinenſem, *Dedoni* Comitatum Rochlicenſem, ac *Friderico* Comitatum Brenenſem, attribuit, in Cœnobium Montis Sereni ſeceſſit A. 1156, ibique veſtem fratris monaſtici, ſeu *converſi*, aſſumſit, ac haud ita multo poſt A. 1157, 5 Febr. vitam cum morte commutavit. Uxor *Lucardis* dynaſtæ Suevi, qui Elchingam tenuit, nata exſtitiſſe traditur. Plura non potuit de ejus genere Noſter expiſcari. Liberos duodecim *Conradi* haud enumerabimus. Qui ſtatum Germaniæ

Pag. 42. 45. 49. 52. 59. 65. 75. 82. 85.

Seculi XII adſpicere cupiunt, eorum eſt, ad fontem hunc properare, luculente ſcaturientem.

JOANNIS CHRISTIANI LOERSII, THEOLOGI Duisburgenſis, Diſſertationes theologicæ, quarum prima de Angelorum corporibus, altera de Homine ad gloriam Dei condito, tertia, qua, hominem ad gloriam Dei conditum eſſe, ex facultate intelligendi probatur; quibus accedit JACOBI ODE, Profeſſoris Trajectini, Diſſ. theologica de Natura Angelorum, in qua variæ & diſcrepantes Gentilium, Judæorum, & Eccleſiæ Chriſtianæ Patrum, ſententiæ exponuntur; deinde, Angelos eſſe ſpiritus rationales, a mole corporea liberos, quibuscum naturaliter & ſemper juncta non ſint corpora, probatur, tandem illa Celeb. LOERSII opinio de Angelorum corporibus proponitur, & paulo prolixius ac accuratius examinatur.

Trajecti ad Rhenum, apud Joannem Evelt, 1737, 4. Alph. 1 plag. 9½.

In *Loerſii* ſententia, quæ corporibus angelorum favet, Pl. Rev. *Jacobus Ode* deſiderat veritatem, verique demonſtrationem. Ea eſt cauſa & occaſio recuſarum *Loerſii* Diſſertationum. Eruditionem omnino & multiplicem & magnam refutator in aciem producit, &, ſi hæc ipſius Diſſertatio, de Natura Angelorum inſcripta, eruditis Theologis fuerit probata, promittit, integrum de Angelis opus ſe editurum, quo iſta omnia, quæ ſive apud ſacros, ſive apud profanos, ſcriptores de Angelis atque Dæmonibus tradita atque diſputata leguntur, eaque, quæ a Theologis Reformatæ Eccleſiæ in diſquiſitionem cummaxime vocantur, diſcutiet. Promiſſis poſtea ſtetiſſe Virum egregium, vel ii ignorare non poſſunt, qui legunt *Acta* noſtra, in quibus de docto illo Opere, ante aliquot annos edito, ita, ut meretur, honorifice commemoravimus. Cl. *Loerſius* angelis propria, quibus utantur, adſcripſit corpora. Inprimis refellere

Digitized by Google

lere eos ſtudet, qui, corpuſculis eos gaudere, negant. Gratum vero illum ſibi fore, pronuntiat, quicunque ipſum erroris convincere dignatus fuerit, modo meminerit, angelos, quos ipſe in ſcenam produxit, nullos vereri exorciſmos, nullas refugere cruces, luſtrationes, aut obteſtationes, ſed ſolidis & ſolis quidem ceſſuros eſſe rationibus, ac, ſi ex ipſius nati fuerint præjudiciis, lucem veritatis eos eſſe profligaturam. Opinionem Autor profert ſeculis orbis Chriſtiani primis tritiſſimam, quibus patres eccleſiæ uno ore, angelis corpora eſſe, quanquam rariſſima & ſubtiliſſima, docuerunt, licet ipſi haud ubique ſoleant philoſophari, ac definitionibus certis de *corpore* & *ſpiritu* nunquam fere gaviſi fuerint. *Ariſtotelis* ſectatores, Scholaſtici, angelis corpuſcula denegarunt. Si ad argumenta *Loerſiana* advertimus animum, ipſe in eo eſt multus, quod a mundo, perfectionum divinarum ſpeculo, ab angelis cognoſcendo, quæ cognitio requirit organa ſenſoria ob eventuum contingentium ac angelorum notitiam finitam, deduxit. *A priori*, ut ajunt, certe non norunt angeli mundum. Intellectu enim infinito haud ſunt præditi. Reſtat itaque, ut ex obſervationibus eventuum & ex experientia ſapiant. Sed quomodo anima, organis, quibus externa ſentiuntur, vacua & carens cognoſcere valet illa, quæ in mundo corporeo ſimul exiſtunt, vel ſenſim mutuoque ſuccedunt? Animas, corpore mortuo ſuperſtites, corpuſculo carere, ac ſpiritualia duntaxat perpendere & noſſe, ipſe ſibi aliisque perſuadet. De ipſis ita differit *pag. 21: Si quid optant, reſpondetur ad vota; ſi quid ſcire cupiunt, revelatur illud immediate.* De animis ita judicat beatis. Videtur ita concedere, animas beatorum ſeparatas noſſe ſtatum eccleſiæ militantis ex immediata revelatione, quam Scholaſtici *ſpeculum trinitatis* vocant. Quam vellemus, addidiſſet argumentum, quod, animis beatorum ſeparatis a Deo quidquam ſine ullo interventu revelari, doceat. Nobis non licet eſſe tam felicibus, ut teſtimonium e ſacro Codice, quo id extra dubium collocetur, in memoriam revocare valeamus. Argumentum ſecundum, ut corpuſcula angelis induat *Loerſius*, exinde transfert ac deſumit, quod

Pag. 2. 6. 17. 19 ſeq. 21.

animæ beatorum, a corporibus ſolutæ, ſint imperfectæ & minus felices ſine corpore; angelos vero eſſe felices, eamque
Pag. 22. ob cauſam corporatos. Tertium depromit ex natura ſpiritus finiti ſolitarii, qui per ſeſe in res corporeas agere non poſſit. Sed, niſi ſubſtantia ſimplex in alteram agere poſſet, motus ab una parte globi cœptus in partem ejus oppoſitam propagari & continuari non poſſet, niſi omnipotentiam Dei in ſubſidium vocaremus, vel harmoniam quandam præſtabilitam, ad quasvis ſubſtantias hujus univerſi ſimplices extenſam, pro adjumento arceſſeremus. Nos certe non videmus rationem, cur ſubſtantia ſimplex non poſſit ad certum intervallum in alias ſubſtantias ſimplices & homogeneas operari. Harmonia illa præſtabilita, ſi qua eſt, innititur complexu eventuum, quorum unus eſt catenatus cum altero. Sed multa ſunt, quæ extrinſecus afficiunt corpora citra ullam eventuum connexionem, vel harmoniæ concatenationem. Unde apparet ſatis evidenter, motus corporum non procedere poſſe ex cohærentia quadam impetuum inteſtinorum, ideoque inibi exulare harmoniam præſtabilitam. De corporibus hominum viventium hæc non ſunt intelligenda, ſiquidem de eis
26. hic ſpeciatim non agitur. Quartum argumentum Autor deſumit a corporibus angelorum, in quibus ipſi apparuerunt, ratus, nec Deum illa creaſſe ſemper ab integro, nec angelos ea creare poſſe. At, ni angelis virtutem concedimus in corpora illa, quibus induti apparuerunt, nulla ſuppetet ratio, cur hanc potius, quam illam, figuram repræſentaverint, cur evanuerint, cur huc potius, quam illuc, ea transtulerint. Sublimior vero eſt quæſtio, an angeli corpora organica & humanis ſimillima poſſint producere. Ipſe ita philoſophatur: *Deum*
28. *angelicorum corporum creatorem & autorem eſſe, ſi quis aſſerat, id equidem per me licebit, immo pedibus in ejus ſententiam ire lubet, modo admittere velit, ea ab initio creata, & in eum finem creata eſſe, ut ſemper angelis propria ſint & fragilia, Deum corpora angelica creare voluiſſe, ut in dies ea diffiare, in dies reparare, deberet, credant, quibus libet, ſed ignoſcant,*
29. *quod a me, ut fidem illis habeam, impetrare nequeam.* Refellit

Digitized by Google

fellit deinde illam quoque ſententiam, quæ tradit, angelos corporibus recens demortuorum hominum uſos eſſe, ac in eis appariuiſſe. Quintum argumentum eſt negativum, deprom- Pag. 31.
tum ex eo, quod Codex ſacer, angelos corpora induiſſe, nusquam docet. Sextum deſumit ex varia Angelorum deſcriptione, & maxime ex operationibus eorum, *Pſ. CIII, 20, 2 Theſſ. I, 7, 2 Pet. II, 21, 2 Sam. XXIV, 16, 17, Exod. XII, 29, 2 Reg. XIX, 39*, recenſitis, quæ ex ſola vi cogitandi non exſtiterunt. Septimum ei ſubnaſcitur inde, quod re- 32 ſeq.
ſuſcitati homines & vitam ad æternam translati ſint *ἰσάγγελοι, ὡς ἄγγελοι*, corporibus *ſpiritualibus* induti. Octavum deſumit ex *Luc. XXIV, 39*, ubi Chriſtus non negat, ſpiritus ſubinde apparentes corporibus eſſe præditos, ſed docet, eos oſſa & carnem non habere, ſicut in ipſo illa conſpiciebantur eſſe præſto. Nonum depromit a linguis angelorum, *1 Cor.* 34.
XIII commemoratis; decimum ab angelorum facie *Act. VI, 15*, manibus *2 Sam. XXIV, 15, 1 Chron. XXI, 16*, ac corpore juvenili *Marc. XVI, 8*. Quibus argumentis eloquentiſſime 36 ſeq.
expoſitis, Autor diſpicit, quæ & qualia Angelis corpora fuerint data, aut impertita. Primo materiam, tum partes, deinde 37 ſeq.
nexum, mentis & corporis angelici, mira ingenii ſolertia indagat. Materiam determinat ſubtiliſſimam & rariſſimam, *Auguſtino* in partes ſuas vocato, nec non *Pſello*, *Theognoſto Alexandrino*, *Macario Ægyptio*, *Methodio* Martyre, ut alios omittamus. Idem ex operationibus angelorum colligit. Catenæ ut *Petro* ex manibus exciderint, cauſam definit miram artem, qua Angelus catenas reſeraverit *Act. XII, 7*. Idem comprobatum it ex transportatione animarum in ſinum *Abrahami*. Apparitiones eorum addit, quæ indicent, Angelorum corpora aeri & igni quodam modo eſſe ſimilia, quæ ſint fulgentia, ſpiritualia, & potentia, non obnoxia morti, carnibus & oſſibus carentia, viribus potentiaque pollentia. Nullus illis venter eſt, nec ullæ partes, quæ ad cibum capiendum digerendumque faciunt, nulla ſanguinis circulatio, nulla excrementorum ſecretio, nec ſtomachus, nec inteſtina, ob *1 Cor. VI, 13*, nullum ſexus diſcrimen, quia haud generent *Luc. XX, 35*.

Organa vero & membra omnia, quæ ad perfectam ſtaturam requiruntur, ipſis tribuit, oculos acutiſſimos, aures tenerrimorum motuum, & linguam, qua vocem ſumma arte temperare, frangere, illidere, implicare, animosque movere, queant. Nexum mentis & corporis angelici, exiſtimat, eſſe arctiorem illo, quo anima noſtra ſit cum corpore conjuncta. Tandem progreditur ad objectiones diluendas. Nam angeli vocantur πνεύματα, ob potiorem eorum ſubſtantiam,
Pag. 40. ut credit. Objectionem ex *Luc. XXIV, 39*, refellit ex natura corporum reſuſcitatorum, qui carne etiam oſſibusque careant *1 Cor. XV, 50*. Porro objicit ſibi id, quod tradantur *Luc. VIII, 30*, totæ legiones in homine uno exſtitiſſe. Sed, eas in uno fuiſſe homine, facile ſibi perſuadet. Porro accedit ad illud, quod corpus glorioſe reſuſcitatorum futurum ſit
43. conforme Chriſti glorioſo corpori *Phil. III, 21*, quod tamen exſtitit ſolidum *Luc. XXIV, 39*. Ipſe addit, id exſtitiſſe ſolidum, ſed tale non manſiſſe, quod ipſum ex *Jo. XX, 15*, it
44. evictum. In corollariis ſubjectis docet præterea clare, quid
47. de doctrina, angelis propria, doceat. En ejus hypotheſes: *Angelos omnes ſecundum ſuam imaginem, & quidem primo die, Deus creavit. Illos æque ac homines, ut explorarentur, tentari voluit. Miſit ergo ex toto Angelorum exercitu unum, cui hoc in mandatis dedit, ut hominem tentaret. Ita factum eſt, ut & Homo & Angelus ſimul tentarentur, ille tentatus, hic tentans. Angelus ille primum peccavit peccatum, quando, ejecto ex animo omni Dei timore, ejurato omni hominis amore, non ſolum eum tentare, ſed, & ut victoriam reportaret, illum fallere voluit mendaciis & perjurio. Ille, poſtquam rationes ſuæ legationis reddiderat, & neſcio quem triumphum ſperaverat, a Deo damnatus, omnisque illi ſpes gratiæ præciſa fuit. Sed homini gratia & redemtor promiſſus fuit. Quod eo acrius tentatoris vindictæ cupiditatem accendit, donec omnes alios Angelos ſeducere, & rebellionem præſertim contra ſponſorem excitare, eſt conatus. Quod Deus ſapienter permiſit, ut & reliqui tentarentur Angeli, quorum ſanctiores, qui in veritate perſeverarunt, a Deo confirmati ſunt, atque ita vitam, aut gloriam, æternam obtinue-*

obtinuerunt, ſed propria juſtitia, quæ ex lege eſt. Reliqui omnes in poteſtatem primi ſeductoris traditi ſunt, unde ipſe factus eſt princeps omnium dæmoniorum. Necdum tamen aut Pag. 48.
ille, aut angeli ejus, æternæ damnationis pœnas ſuſtinent, ſed illius repræſentatio, quæ invitis ſæpe obverſatur, uti & recurrens Dei memoria, eos torquet. Quibus nullum aliud illis, quod opponant, remedium eſt, quam ut fortiter peccando moleſtas cogitationes ſubigant, ſibique, plura adhuc ſecula extremum judicium abeſſe, perſuadeant. Illi omnes ſtupendum in modum ſtupidi ſunt, ſed & maxime callidi. Neſciunt prorſus, Deum trinum, aut Chriſtum, verum Deum eſſe. Quod extremum quomodo conciliari poſſit cum *Matth. VIII, 29,* & *Jac. II, 19,* nos quidem non videmus. Fuimus longi in re- 50 ſeq.
cenſenda hac ingenioſa hypotheſi, quæ an ætatem latura ſit, tempus docebit. Nunc vero tempus eſt contrahendi vela. Diſſertatio, quæ ſequitur, de homine ad gloriam Dei condito, demorſos ſapit ungues, ac meditationibus pulcherrimis eſt referta. Idem filum latius explicatur in ſequenti Diſſertatio- 97 ſeq.
ne, qua, hominem ad gloriam Dei conditum eſſe, ex facultate intelligendi probatur. Ideis innatis admodum patrocinatur *pag. 110 ſeq.* Corollariis ex eis, quæ ſunt ſubjuncta, hæc ſunt παραδοξώτερα: *Nullos extra hunc orbem terræ, quem* 133.
incolimus, atheos dari, credimus. An atheus in republica tolerari poſſit, problema eſto. Qualescunque illæ ſint Lutheranorum calumniæ, quibus noſtram de prædeſtinatione doctrinam gravare voluerunt, eas omnes ſummo jure retorqueri poſſe, quis neget? niſi præſcientiam Dei in dubium forte vocare infallibilem, aut Pelagio pollicem premere, ament. Sed quomodo, vir bone, exprobrationes calumniarum cum ea, quam fratres tui præferunt, concordia in fundamentalibus Chriſtianæ doctrinæ capitibus concordant & conſentiunt? Accipe fratris tui, ante paucos annos defuncti, *Joannis Alphonſi Turretini*, ſententiam de doctrinis Lutheranorum ex ejus Cogitationibus & Diſſertationibus theologicis, Genevæ A. 1737 in unum volumen collectis, *pag. 25.* Ipſa ſic habet: *Quorum diſſenſus non eſt fundamentalis, ut inter Lutheranos & Reformatos, nec non inter*

ter Epiſcopales & Presbyterianos, illi eandem communionem eccleſiaſticam conſtituere non modo poſſunt, ſed & debent. Num eis calumnias falſasque de prædeſtinatione doctrinas merito ſuo exprobras, quos in fundamento fidei, ideoque in univerſali ipſorum de prædeſtinatione doctrina, errare negas? Succedat tandem *Jacobi Ode*, Viri Celeberrimi, Diſſertatio theo-
Pag. 135. logica *de Natura Angelorum.* Diffundit ſeſe Autor per ſectarum & Patrum eccleſiæ opiniones, diſpiciens, quid *Plato*, Platonici, *Ariſtoteles*, Chaldæi, Judæi, *Muhamedes*, & Mauritani, de corporibus angelorum ſtatuerint. Hi enim ad unum omnes eis adſcripſerunt corpuſcula pertenuia, aerea, vel etiam ignea, ſi nonnullos Judæorum exceperimus. Id inprimis ſtudet docere Cel. *Ode*, erraſſe *Loerſium*, ratum, Scholaſtico-Ariſtotelicos demum corpuſcula detraxiſſe angelis, ſiqui-
150 ſeq. dem jam ſanctus *Ignatius* angelos ἐφανίας (cœleſtes) vocat ἀσωμάτας Φύσεις, *incorporeas naturas*, *Juſtinus Martyr* angelos ὁμοουσίας *ejusdem eſſentiæ* eſſe docet ac animas humanas, in *Reſponſ. ad Quæſt. II ad Græcos Oper. pag. 203.* In *Quæſt. & Reſponſ. ad Orthod.* quæ eidem *Juſtino* tribuuntur vulgo, ad *Quæſt. LXXVI Reſponſione pag. 437*, angelorum unum videre alterum, negatur. Sed, an *Ignatii* locus ſit genuinus, haud facile oſtenderis. *Juſtini Martyris* locus comprobat, angelos eſſe ſpiritus intelligentes, viribus vivendi, cognoſcendi, & ſeſe movendi, inſtructos ad modum animarum humanarum. De corpuſculis eorum ibi ne quidem ſomniavit. Liber, qui conſtat Reſponſionibus ad Quæſtiones, eſt admodum dubiæ originis, nec temere *Juſtino* aſſignandus. Hactenus itaque *Loerſius* nondum erravit. Cel. *Ode* laudat *Euſebium*, qui *Lib. III Demonſtr. Evang. Cap. 3 pag. 106* angelos dixit ἀσωμάτας τὴν Φύσιν, *natura incorporeos*, & πνεύματα ἄϋλα, *ſpiritus immateriales.* Nec minus *Athanaſius de communi eſſentia patris, filii, & ſpiritus ſancti. Opp. Tom. I pag. 392* angelum definit per ζῶον ἄϋλον, *animatum immateriale.* Prævidemus, Cel. *Loerſium* ex *Plotino* aliisque oſtenſurum, voces σῶμα, ἀσώματος, & ἄϋλος, eſſe ſigna idearum relativarum, quibus inſit reſpectus ad corpora craſſiora, eorumque

que partes ſolidas. *Gregorius* enim *Nazianzenus Jambic. XV, 4, Oper. Tom. II pag. 198, angelum* vocat Φύσιν ἄϋλον, *naturam immaterialem*, licet incertus hæreat, an is plane ſit corporis expers, *Orat. XXXV pag. 560* & *Orat. XXXVIII pag. 617. Chryſoſtomus* angelos vocat ἀσωμάτους, *incorporeos, Homil. XXII* in *Cap. V Geneſ. Oper. Tom. II pag. 248*, & *in Pſ. VIII Oper. Tom. III pag. 114*, nec non *Theodoretus Hiſt. Eccleſ. Lib. III Cap. 24.* Nec diſſentit *Julianus* Monachus *Quæſt. II in Geneſ. Oper. Tom. I pag. 4*, & *in Zach. Cap. I pag. 886. Damaſcenus* angelis tribuit *naturam incorpoream, aut ignem immaterialem*, *de Orthod. Fid. Lib. II Cap. 3 Oper. pag. 68.* Quo autem ſenſu *materia* & *corpus* hic ſumantur, eſſet inquirendum. Per בני אלהים, filios Dei, qui cum filiabus filiorum hominis rem habuerunt, Patres partim angelos, partim poſteros *Sethi*, intellexerunt *Gen. VI, 2.* Priorem ſententiam feliciter ſatis Cel. *Ode* refellit. Angelos eſſe meros ſpiritus, ipſe ex eo probat, quod illi in ſacris literis dicuntur ſpiritus, quod argumentum jam occupavit *Loerſius.* Sed reſpondet Cel. *Ode*, homines, licet conſtent & ſpiritu & corpore organico, ut angeli *Loerſiani*, non dici πνεύματα. Exiſtimat porro, unius hominis corpori non ineſſe potuiſſe multa dæmonia, ſi naturaliter & ſemper eis corpora forent adjuncta. Sed Cel. *Loerſius*, id ſibi haud obſtare, arbitratur. Ad conjecturas hic omnia recidunt. Addit Cel. *Ode*, angelos perpetuo eſſe conſpicuos, ſi eis eſſent propria ſemper corpora. Sed nec alia corpora, mere talia, ſemper apparent, e. g. vapores in atmoſphæra. Refellit deinde Cel. *Ode* opinionem *Jo. Clerici* fluctuantem, & *Jo. Vorſtii*, corpora angelis tribuentis. Apparitio ſpirituum utique non favet perpetuitati corporum; nam & Chriſtus ante aſſumtam ex *Maria* humanam naturam in corpore humano, licet non perdurante, apparuit. *Loerſius* ita rationes ſubduxerat, ut, angelos eſſe ſpectatores & admiratores rerum creatarum per organa quædam ſenſoria, affirmaſſet. Cel. *Ode* potiſſimum id opponit, quod modis aliis Deus hoc potuerit obtinere in angelis, quorum tamen nullum diſtincte audet ediſſerere. Negat tamen, ineſſe angelis, qua ſpiritibus,

Pag. 153. 155 ſeq. 163 ſeq. 172. 173. 176. 177. 179. 183.

Digitized by Google

nudam vim cogitandi, ſiquidem ipſi in ſyſtemate *Loerſiano* præ-
Pag. 191. diti ferantur potentia movendi corpora ſibi adjuncta. *Witti-chii* ſententiam, quam *Loerſius* fecerat ſuam, Cel. *Ode* refellit, laudans potius *Leidekkerum* & *Campegium Vitringam*, qui ultra vim cogitandi angelis efficaciam, producendis effectibus
194. aptam, adjungunt. Contendit porro idem omnes nervos, ut Cel. *Loerſii* veſtigiis inſiſtat, ac ad ejus argumenta reponat reſponſiones, agnoſcens tamen ipſe ad operis calcem cum *Zan-*
258. ſeq. *chio* & *Weismanno*, diſputari de re non ſatis liquida, & utramque ſententiam carere hæreſi ac errore, fundamentum fidei afficiente, vel proſternente. Tutiſſimum itaque erit, ſuo quemque hic judicio ſenſuque abundare.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES Sciences A. 1732, &c.

hoc eſt,

HISTORIA REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ ad A. 1732, una cum Commentariis mathematicis & phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, ex typographia Regia, 1735, 4 maj.
Alph. 3 plag. 12, Tabb. 24.

In *Phyſicis* prolixa recenſio exhibetur Tractatus, A. 1732 a Cel. *Mairano* editi, *de Aurora boreali*, de quo etiam nos ipſi olim copioſe diximus. Idem Vir Cel. commercium epiſtolare inſtituit cum P. *Parenninio*, S. J. Miſſionario Sinenſi, circa præſentem imperii hujus, & ſcientiarum inprimis in eo, ſtatum. Cum ex illo de exiguorum admodum, quos in Aſtronomia & Phyſica faciunt Sinenſes, profectuum, etſi alias ſcientiæ in ſingulari apud eos honore habeantur, cauſis quæſiviſſet; has in reſponſione ſua indicavit dictus Miſſionarius, variaque hac de re notatu haud indigna prodidit. Tale commemorat Sinenſium eſſe ingenium, ut omnis novaturiendi cupiditatis inimici, majorum ſuorum conſuetudinibus & ſententiis tenaciſſime adhæreant, nec proinde ullo in re aſtronomica, phyſica, medica, ulterius procedendi ſtudio capiantur.

Ceterum

Ceterum insignem prorsus inter Ægyptum antiquam, & Sinam, similitudinem deprehendit *Mairanus*.

Observationes meteorologicas anni 1732 communicat *Maraldus*, auroras nempe boreales, quantitatem pluviæ, altitudines thermometri barometrique, & magnetis declinationem. Pluvia adscendit ad 13 pollices, lineasque $9\frac{1}{8}$. Barometri maxima elevatio fuit 28 poll. 5 lin. mense Decembri, permagnis nebulis præcipuam ejus partem replentibus; minima vero 27 poll. 6 lin. Aprili, tempore nubilo, & flante Noto-Zephyro. Acus magnetica declinavit 15° 15′ versus Zephyro-boream.

In *Anatomicis* de hydropisi pulmonum atque hepatis, qua limpha extravasata singulari integumento includitur, commentatus est *Malpetus*, quarum tres in milite invenit, duas majores in utroque pulmonum lobo, unam minorem in hepate. De modo hæmorrhagiam sistendi differuit *Petitus*. *Morandus* varia notatu digna, organis, sanguinis circulationi destinatis, accidentia, exhibuit. Variæ quoque occurrunt observationes de adipe, de appendicibus intestini ilei, de tessera eburnea, a cane devorata, iterumque reddita, unde contra triturationem stomachi concluditur, de febri cessante, dum æger non in lecto recubuit, sed in sella consedit, de matrice e muliere post molam redditam extracta, & de singularibus quibusdam morbis.

Ad *Chymiam* quod attinet, in naturam adstringentium & causticorum, quæ ad fluxum sanguinis sistendum adhibentur, inquisivit *Petitus*; qua de re plurima communicat experimenta notatu digna. In examine chymico carnis, aliarumque partium animalium, inprimis alimento inservientium, pergit *Geoffroy*. In præsenti itaque ossa boum, cornu cervi, ebur, lac, carnem carpionum, luciorum, ranarum, testudinum, cancrorum, viperarum, tandemque panem, ei subjecit. De variis modis, tartarum reddendi solubilem, experimenta instituerunt *Du Hamel* & *Grossius*. Primo, quid producat cum calcibus, dein quid cum cretis, denique quid cum variis terris argillaceis, arenariis, bolis, notarunt. Operationes duas, quibus salem ex calce produxit *du Fay*, (vid. *Hist. A.*

1724,) contra objectiones quasdam defendit, novamque adduxit experientiam, omni exceptione majorem. De borace commentatur *Geoffroy*, modumque facilem, sal sedativum *Hombergii*, & sal quoddam *Glauberi*, de quo *Henckelius* in *Flora Saturnizante*, præparandi, edocet. Secundam Dissertationem de lapidum tinctura exhibuit *du Fay*; & marmora ac onyches variis coloribus tingendi rationem exposuit.

Botanicam auxit *Marchantus* quarundam plantarum descriptione. In anatomia piri pergit *du Hamel*, & speciatim de organis, ad grana pertinentibus, agit.

In *Geometricis* novum Curvarum genus, *persecutionis* (*Courbes de poursuite*) dictum, sistitur. Si nempe punctum quoddam in recta data moveatur uniformiter, aliudque, hoc insequens, cursum suum semper ad ipsum dirigat; describet posterius Curvam, ejus naturæ, ut arcus ejus sint semper partibus rectæ illius, quæ inter tangentes duarum arcus extremitatum intercipiuntur, proportionales. Hujus itaque æquationem & proprietates palmarias determinavit *Bouguerus*. Ejusdem Problematis solutionem dedit *de Maupertuis*, non solum mira concinnitate gaudentem, sed & longe generaliorem, dum nempe prius punctum supponitur moveri in Curva quavis. De Epicycloidibus sphæricis commentatur *Jo. Bernoullius*, (vid. *Oper. Tom. III*,) earumque simul ope Curvas algebraicas & rectificabiles in superficie sphærica construere docet. Idem Problema aggressus est *de Maupertuis*, eodemque tempore solutionem, cum *Bernoulliana* perfecte congruentem, elicuit; prætereaque Curvas in superficie sphærica reperit, quarum rectificatio a longitudine arcus circularis pendeat; unde obiter determinatur Ecliptica a sole describenda, ut motus in longitudinem semper æquetur motui secundum rectascensionem. Denique solutionem tradit perfacilem, & a Trigonometria sphærica independentem, quæstionis (a *Parentio* & *Godino* aliis methodis in *Comm. A. 1704* & *1730* jam resolutæ,) de inveniendo in Ecliptica puncto, ubi motus solis in longitudinem sit motui in rectascensionem vel æqualis, vel generatim ad hunc in ratione quavis. In definienda

nienda Epicycloidum ſphæricarum natura, & quænam earum ſint algebraicæ, quænam rectificabiles, vires quoque ſuas exercuerunt *Nicole* & *Clairaut*. Hiſce Curvis affines, algebraicas nempe & rectificabiles in ſuperficie conica, quæſivit, modoque valde ſimplici eruit, *Clairaut*. Miſit ad Academiam Cl. *Cramerus*, Math. Prof. Genevenſis, Problema ſequens: Dato puncto, & recta per illud tranſeunte, invenire Curvam, qua circa punctum illud gyrante, ſi notetur ſemper punctum ejus a recta maxime diſtans, perque omnia ejusmodi puncta nova Curva tranſeat; ſint ſemper hujus ſegmenta ad ſegmenta illius in ratione data. Hujus ſolutionem exhibuerunt *Clairaut*, *Nicole*, *Maupertuis*, & *Camus*, quivis peculiari methodo. In indagandis lineis quarti ordinis pergit Abbas *de Bragelongne*. Poſt varia generalia de linearum harum natura præmiſſa, (vid. *Hiſt. A. 1730* & *1731*,) nunc ad enumerationem variarum claſſium, in quas ſecundum diverſam æquationum formam diſtribui poſſunt, acceſſit. Ceterum non in *Commentariis* comparet Autoris Schediaſma; ſed, cum hæc theoria linearum quarti ordinis adhuc in longum excretura ſit, peculiari volumine eam prodituram, monetur.

In *Aſtronomicis* parallaxin lunæ ex obſervatione eclipſium lunarium definire docuit *Godinus*, variosque hunc in finem caſus harum eclipſium conſideravit. De rotatione Veneris circa axem diſſerit *Caſſinus*, &, obſervationes *Bianchinii* nondum eſſe omni exceptione majores, præterea cum ſententia patris conſpirare poſſe optime, nec quoque hanc ſententiam Aſtronomiæ phyſicæ contrariari, oſtendere conatur. In ſatellitum Jovialium æqualitates inquiſiverunt *Grandjean* & *Maraldus*. Conſtructionem Meridianæ in Obſervatorio Academiæ, variasque obſervationes, ejus ope inſtitutas, exponit *Caſſinus*. Obſervationes Eclipſeos lunaris die 1 Dec. A. 1732, variis in locis habitas, *Caſſinus* & *Godinus* communicant. Idem *Caſſinus* objectionibus, in *Ephemeridibus hiſtoricis Reipublicæ literariæ* (*A. 1733 Jan.* & *Febr.*) contra *Tractatum de magnitudine & figura telluris* factis, reſpondet, quibus Obſervationes Academicorum ſuſpectas reddere conatus eſt earum Autor. Ceterum

eodem anno Aſtronomiam quoque ornavit *de Maupertuis* eleganti libello *de Figuris aſtrorum*, de quo nos jam olim mentionem fecimus.

In *Chronologicis* Abbas *Sauveur* facilem conſtructionem tradidit Calendarii perpetui, ubi ex datis litera dominicali, & epacta anni cujusvis, ſtatim noſcuntur feſta omnia mobilia, ope chartarum mobilium, ſub aliis immobilibus diſponendarum.

In *Opticis* nobilis Polonus, *Kurdwanowsky*, centurio, ad Academiam miſit cogitata nova de variis gradibus lucis. Si nempe dato puncto radianti exponatur linea quævis data, varia ejus puncta variam intenſitatem lucis recipient pro diverſa ipſorum ab illo diſtantia. Has variationes ſcala quadam, quam *Curvam lucis* appellat, exponit Autor, ejusque naturam pro variis lineis ſimplicioribus, nec non pro puncto radiante vel uno, vel pluribus, determinat.

In *Mechanicis* de comparandis ſecum viribus gravitatis & percuſſionis egit Eques *de Louville*. *Pitotus* novam propoſuit machinam, celeritatem aquarum fluentium menſurandi, valde ſimplicem, & ex tubo verticali, in quem irruit aqua, & intra quem ad altitudinem certam adſcendit, compoſitam. Motum aquarum ex tubis examini ſubjecit *Coupletus*, qua de re primo experimenta communicat plurima, dein varia quoque theoremata, & obſervationes, ad ductum aquarum perutiles, exinde deducit. De legibus attractionis diſſerit *Maupertuis*, & Commentarium in *Sect. XII & XIII Lib. I Principiorum Philoſ. Nat. Newtoni* tradit, in quo omnia ad formulas analyticas facile reducit. *D' Ouzembray* metrometrum novum invenit. Pyxidem magneticam novam proponit *Bauche*, quæ & declinationem & inclinationem magnetis una operatione ſimul exhibet, idque majori, quam hactenus, & certitudine, & facilitate. Ceterum varias obſervationes mathematicas & phyſicas in itinere Orientem verſus inſtituto exhibet *de la Condamine*.

Hiſtoriæ pro more annectuntur *Elogia Chiraci*, Medici, & Equitis *de Louville*, hoc anno defunctorum.

TRAITE'

Digitized by Google

TRAITE' DE LA COMMUNICATION DES MAladies, &c.

id eſt,

*TRACTATIO DE COMMUNICATIONE MORborum, animique affectuum, cum Tentamine, quod hiſtoriæ naturali hominis inſervit, per Dominum * * *.*

Hagæ Comitum, apud Joannem van Duren, 1738, 8. Plag. 15.

Acutiſſimi ingenii Autor, quicunque is fuerit, bene de humano genere meriturus, cum, prima morborum vitiorumque ſemina cum lacte materno ad infantes traduci, putet, conſilium in hoc libello proponit, quo in poſterum, commutatione facta, lacte animalium domeſticorum iidem alantur; atque ita fore promittit, ut brevi tempore homines & magis ſani robuſtique, & melius morati, adoleſcant,

ac nova progenies cœlo deſcendat ab alto.

Data autem hac differendi copia, ſolerter ſimul copioſeque explicat, quomodo corpus agat in mentem, hujusque affectus & propenſiones pro diverſo ſolidarum fluidarumque partium ſtatu varient, adeo, ut per dimidiam libelli partem doctrina hæc multo lumine illuſtretur. Quanquam vero difficile admodum videtur, hæc accurate & per ſingula momenta in præſenti pro noſtro brevitatis ſtudio perſequi, univerſæ tamen Commentationis ſummam, ad ordinem quatuor partium, &, in quæ dividuntur, capitum, breviter hic ſtrictimque exponemus. Et initio quidem Autor Cl. *Hecquetum* aggreditur, Tract. I. qui, matres ad nutriendum infantem ſuum eſſe quammaxime Cap. 1. obſtrictas, quæ vero ſecus agant, infantemque alienæ nutrici commendent, has grave crimen committere, ſingulari libro pronuntiavit, huncque lactandi morem & naturæ, & corporis materni conformem eſſe conſtructioni, contendit, quam utramque rationem Noſter hic convellere laborat. Quanquam 2. porro *Hecquetus*, magnam inter matris infantisque ſanguinem eſſe convenientiam, & propterea lac propriæ matris, infantis ſui temperiei magis congruere, cauſatur; hanc ipſam tamen

matris

matris nutricisque alienæ differentiam in ſalutem infantis cedere, ſibi perſuadet. Nihilo tamen ſecius, nec optimæ nutrici recte committi infantem, judicat, idque complures ob rationes. Nutrices enim tantum non omnes variis patent animi commotionibus, quæ, partibus ſolidis fluidisque corporis male affectis, lac etiam non mediocriter alterant, ut ab ejus uſu tenellus infans peſſime omnino valeat, & periculo fere magis præſenti, ſi ipſa nutrix commotiones has fert ſine ſuo incommodo, quam ſi re vera morbus ab iis emergit. Neque minus & alia, eaque varia, valetudinis diſcrimina ſubeunt ex intemperantia gulæ, cui tunc ex multis, iisque ſpecioſis, cauſis indulgere licet, ut vel nimiis, vel varii generis, cibis ventriculum onerent, vel potu ſpirituoſo abutantur. Habent præterea non raro propriam ſibi nutrices vitæ regiminisque rationem, perquam abſurdam, infantique detrimentoſam. Neque etiam alimenta, quibus ſaginantur nutrices, ſuggerendo lacti meliori ſemper eſſe idonea obſervantur, ut carnes animantium, cibi dulces, acidi, aliique. Suum quoque infantem nutrix interdum mammis ſimul clam admovet, ut proinde & uterque infans & nutrix viribus exhauriatur ac relangueſcat. Velat illa etiam reticetque graviditatem ſuam, quouſque fieri poteſt, idque itidem cum maximo infantis detrimento. Quamvis vero omnia hæc nutricis incommoda explorentur demum, & prorſus in oculos incidant, vix tamen iis mederi licet, cum mutatio etiam hic periculoſa exiſtat. Denique & hac ipſa conſuetudine, qua lactatio a muliere peragitur, concubitus, ſobolisque procreatio, magno cum reipublicæ damno intermittuntur, ipſæque fœminæ, dum eo tempore victus, aliarumque rerum, modum ſervare negligunt, perpetuæ ſanguinis humorumque corrumpendorum conſuetudini exponuntur.

Cap. 3. Maxima tamen injuria infantibus exinde fieri ſolet, quod morbi atque vitia earum, quarum aluntur lacte, in ipſos ſimul propagantur. Satis enim noſtri temporis experientia confirmat, fœminas tales & mente & corpore maxime eſſe corruptas. Quando igitur ſive matres, ſive conductæ nutrices, vel valetudinem habent male affectam, vel morbis re

vera

Digitized by Google

vera laborant, qualemque in venis ſanguinem alunt, tale etiam lac generant, fieri ſane nequit, quin diatheſes morboſæ, morbique ipſi, cum lacte abeant in infantem, nunc propediem erupturi, nunc tarde tandem in actum deducti, adeoque inveterati, & imis infixi medullis, nec ulla medicatione facile evellendi. Ex his non difficulter liquere putat Autor, quam ſani robuſtique incolæ terrarum orbi nunc quidem obtigerint, atque in poſterum quoque naſcituri videantur. Verum præter hæc animi quoque affectus ſive matris, ſive nutricis, in infantem traducuntur, ut proinde ſæpius hac ratione prima non ejus tantum, quæ hanc vitam affligit, ſed æternæ etiam, miſeriæ infelicitatisque fundamenta jaciantur. Animæ enim, natura alias æquales, ſibique ſimiles, nunc poſt primorum generis humani parentum defectionem ita a corpore, ratione omnium ſuarum facultatum, affici ſolent, ut pro diverſa diſpoſitione materiæ, ſive corporis, cum quo conjunguntur, ad leges motus primumque ordinem mechanices cujusvis corporis, diverſæ cupiditates, propenſiones, & habitudines, in iis generentur, ad eandemque corporis, qua ſolidas fluidasque partes, conditionem, cum aliæ res naturales, tum inprimis alimenta, multum omnino tribuant. Quandoquidem vero videmus, affectus alios eſſe infirmiores, ut ſuperari ſe patiantur, alios autem validiores impetuoſioresque, quibus non reſiſti, ſed potius cedi, ſolet, ii, ſi poſterioris generis atque validiores fuerint, corporis conditioni debentur, per naturam ſanguinis, quaſi per cauſam occaſionalem, provocati. Quoniam igitur hujus irritans qualitas tam valide & tam ſubito nervearum fibrarum motum excitat, dubitari fere nequit, quin cum lacte, quod ſanguinis indolem prorſus refert, ejusdem quoque effectus cum infante communicentur. Quando igitur chylus, ſive lac, quod in corpore nutricis in orbem circumagitur, ipſius temperamenti impreſſam velut habet imaginem, atque hinc etiam idearum, quas recepit nutrix, paſſionumque animi, quæ exinde prodierunt, facile intelligitur, prout molecolæ illius ſanguinis magis fuerint minusque ſolutæ & attenuatæ, craſſæ, vel ſubtiliores, atque bre-

Tract. II. Cap. 1. 2.

vibus eo modo figuratæ, quo præ aliis ad excitandas ejusmodi animi perpessiones quammaxime valent, sanguine ita constituto, & in corpus infantis derivato, ipsi hac ratione animi etiam affectus prorsus esse impertiendos. Atque hunc ipsum communicandorum affectuum modum docte eleganterque
Cap. 3. Noster pluribus explanat, desideria etiam & appetitus mentis humanæ, & voluptates, ex eorum expletione capiendas, affectus quoque, & quomodo omnia ea a statu partium solidarum fluidarumque corporis humani determinentur, edisserit. Cumque fœmina etiam lactans, ratione & libera voluntate prædita, non tam ad vere bonum eligendum trahatur, quam potius nova sibi semper voluptatum genera excogitet, eorum desiderio exardescat, eidemque satisfieri maxima cum oblectatione persentiscat; necessario his ejusmodi varii generis excessibus naturalis corporis conformatio & constitutio per indolem sanguinis vitiatur, atque vis irritans magis magisque infinitis prope modis augetur. Unde quidem lac, quod a perpessionibus his magnam mutationem subiit, illoque velut charactere insignitum fuit, dum in corpus infantis recipitur, eosdem animi affectus, tam communes, quam singulares, ingenerat, atque propensiones etiam ad hanc illamve rem inducit. Et sane fatemur, toto hoc secundo tertioque Tractatu multa occurrere, quibus ingeniose admodum & satis probabiliter explicare Autor nititur, quo modo a statu corporis, & tam sanguinis, reliquorumque succorum, indole, quam solidarum partium, nervearum præcipue, tensione, mentis facultates determinentur, digna utique, quæ ad evolvendam magis difficilem perplexamque hanc doctrinam a Theologis perinde, quam a Philosophis Medicisque, curatius expendantur. Longum tamen nimis foret, omnia ea momenta sigillatim hic percensere, ad quæ proinde lectorem earum rerum cupidum remittimus. Ne quis etiam putet, expositione hac libertatem animæ aliquid detrimenti capere, hanc ipsam objectionem tempestive amovere contendit. Quamvis porro, dum has animi propensionum affectuumque rationes mechanicas, e corporis structura succisque arcessitas, tam naviter persequitur,

Digitized by Google

ſequitur, mentis ſpirituali naturæ non admodum patrocinari, ſed potius ad materialiſmum, quem vocant, viam pandere, videri nonnullis primo intuitu queat; ex aliis tamen libelli locis ſatis abundeque patet, ipſum ab hoc opinionis monſtro quam maxime abhorrere. Verum nos, miſſis his, progredimur ad alias Autoris poſitiones, quarum nonnullis præcipue oſtendit, cur infantes res ſerias, & cum animi contentione agendas, odio habeant; quod animi affectus facilius, quam ipſi morbi, nutricis cum infante communicentur; quomodo in tanta humorum, affectus irritantium, cum lacte ad infantes transfuſorum, copia, & tam varia colluvie, nihilo minus nondum acciderit, ut ſtultitia animique affectuum impotentia & intemperantia toto terrarum orbe imperium teneat, & quod præſtet omnino, naturali quodam impetu ferri ad bonum, quam multa tandem longaque emendatione eo perduci; quod nutricis quoque morbi & animi affectus, tempore lactationis cum infante communicati, majorem in illum habeant poteſtatem, quam ea, quæ embryoni a matre in utero ſimilibus in caſibus eveniunt. Neque ab hoc argumento, quod cauſas paſ- Tract. III.
ſionum inclinationumque animi corporeas complectitur, Cap. 1.
Tractatione tertia recedit, inprimisque explicat, unde voluptatis dolorisque oriatur ſenſus, vel interdum etiam homo a neutris tentetur, quomodo, dum is objecto deſiderato fruitur, placide ſuaviterque acquieſcat; qua ratione, dum animi quidam affectus ordine naturali nos derelinquit, aut a nobis ſuperari creditur, vel organum, ei inſerviens, irritari deſinat, vel aliud vividiori motu & irritatione contremiſcat; quomodo aliæ brevi tempore atque aliæ fibrarum modificationes generentur; quomodo fiat, ut in vetitum nitamur, quod, etſi mentis corruptioni utplurimum tribuitur, Noſtro tamen effectus naturalis eſſe videtur; quod prohibitio deſiderium eodem naturali modo excitet, ac chorda, quæ membrum conſtringit, efficit, ut fibræ, ita coarctatæ, ad poſitum magis liberum facilemque & priſtinum ſtatum contendant; quomodo 2.
in ceteris vitæ humanæ caſibus cum ratione & circumſpecte prudenterque agant, in aliis tamen rebus graves admit-

tere aberrationes ſoleant; quomodo conflictus velut quidam, isque vehemens, ſubinde excitetur inter objecti quædam irritamenta, & incommoda, quæ, expleto deſiderio, neceſſario nexu conſequuntur; quomodo animus ad dolorem, vel ſuſtinendum mortis, aut membri perdendi, periculum, promtus paratusque evadat, & id genus alia. Multa quoque de inclinationibus perpeſſionibusque animi animalium diſputat, concluditque, eſſe ea æqualiter fortia & timida, vel potius neutram hanc in iis eſſe affectionem, ſed affectus fortitudinis atque animoſitatis relative tantum emergere, in relatione ſcilicet, quæ inter impreſſionem, & ſubjectum, quod iſtam re-
Cap. 3. cipit, intercedit. Poſtquam plura adhuc alia phænomena, quæ huc pertinent, attulit explanavitque, ex his omnibus,
Tract. IV. quod iterum iterumque jam monuit, concludit, ex lacte hu-
Cap. 1. mano primas eſſe determinationes ad omnia vitia, quæ in homines cadunt. Ut itaque mala hæc tandem pertinentur, loco lactis humani lac animalium domeſticorum, vaccarum, equarum, aſinarum, caprarum, oviumque, velut præſtantiſſimum remedium, proponit. Id enim ipſum cum maxima nutriendi vi præditum, quia tot etiam morbis incurabilibus medetur, tum concoctu non eſt difficile. Valet etiam ad exſtinguendas animi perpeſſiones, quas acquiſitas Noſter ſupra vocavit. Maxima pars illorum animalium vel plane non, vel rarius, cum morbis conflictatur, vitam agit ſobriam, omnis curæ expertem, ſomnoque fruitur tranquillo. Unde & ſalubriores ſucci in infantem abeunt. Et præterea, quod morbis, ſi quidem omnino iis interdum laborent, atque illorum cauſis communibus, obviam iri in tempore, atque ipſorum animalium ſelectus inſtitui, queat, virtutes herbarum, quibus alantur beſtiæ, ſalutarium optime hoc modo cum infante communicantur, unde ſanitas robuſta vel radices agat altius, vel in utero etiam deperdita imbecillitasque corporis reparetur, ut adeo, lac ejusmodi & morbos & vitia familiarum hæreditaria exſtincturum eſſe, veriſimile videatur. Neque ſpecies animalium a priſtina ſua indole degenerarunt, ut homines, &, ſi quibus omnino morbis ſuccumbunt, natura ipſorum, non-

dum

Digitized by Google

dum adeo depravata, optima medicatrix esse consuevit. Licet vero equis præ aliis morbi observentur esse familiares; id tamen culpa sit hominum, qui iis bestiis ita utuntur, ut a bona sua naturali indole multum desciscant. Neque minus præclari ad bonum instinctus ex animalibus ad infantes transituri essent. Quamvis vero experientia testetur, non in omnibus lacte vaccarum, vel caprarum, nutritis laudabiles illos effectus fuisse deprehensos; culpam tamen aliis rebus tribuendam esse, Noster contendit, qui & causam, quare animalia naturales suas proprietates non mutent, inde arcessit, quod ea solum, quæ ad bona corporis pertinent, pro naturalis instinctus ratione, nec amplius quid, cupiant; homines autem immortali mente præditi infinito quodam teneantur desiderio, cui tanta idearum, affectuum, motuumque, varietas debeatur. Cap. 2.

Theologische Bedencken, ꝛc.
id est,
CONSILIA THEOLOGICA SIGISMUNDI JACOBI BAUMGARTENII. Sylloge prima.

Halæ, impensis Joannis Andreæ Baueri, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 4.

Autoris ac Collectoris Summe Reverendi dudum Ecclesia nostra concelebrat scripta & meditationes. Certat enim in eis moderatio cum soliditate, & soliditas cum pietate, ut difficile sit definitu, quænam harum virtutum in Autore clarius eluceat. Non est, cur de hac collectione secus judicemus. In Præfatione Cel. Autor quatuor edisserit capita. Primo ostendit rationes, quibus ad edendam hanc Syllogen fuerit adductus. Deinde disserit de modo, quo illa est conformata & continuanda. Tum agit de historicis momentis, quorum dijudicatio ad usum horum Consiliorum facit. Tandem adjungit, quæ ad locum Consilii quarti quendam illustrandum aliquid conferunt adjumenti. Rationes, cur Consilia hæc Autor Cel. ediderit, sunt satis grandes & emolumenti publici plenæ. Modus ipse Consiliorum ita est conformatus, ut moderationi

& prudentiæ principatus fuerit delatus, & brevitatis ratio ſit habita. Conſiliis, quæ alicui, ſi ederentur, periculoſa eſſe poſſent, locus hic haud fuit relictus. De religioſis conventiculis, quæ miniſter eccleſiæ cum paræcianorum ſuorum nonnullis inſtituere poteſt, vel non debet, ſolicite exponit, & ſpem facit Autor, fore, ut Syllogen hanc quamplures ſequantur aliæ. Quod promiſſum ut Autor Cel. ſervet, & re ipſa expleat, ab ipſo contendimus, & jure quodam noſtro flagitamus. Quæ de conventiculis religioſis, ſeu eccleſiis in eccleſia, Autor ſolide affert, ita ſunt comparata, ut optemus, ea ad notitiam perveniant eccleſiaſtarum univerſorum. *Conſilio primo* oſtenditur, ab uſu ſacræ Cœnæ nemini licitum eſſe abſtinere eo, quod irregeniti quidam eodem beneficio divino abuntur. *Conſilio ſecundo* differitur de Herrenhutianis aſſectatoribus, & officio eccleſiaſtæ Evangelici erga eos, qui irrepere, & doctrinas Herrenhutianas Evangelicis incautioribus inſtillare, ſtudent. Dignum ſane lectu eſt hoc Conſilium, ſi quod un-
Pag. 125. quam. *Conſilium tertium* pertinet ad officium Concionatoris, qui putat, ſibi eſſe rationes, cur deſponſatos propiori neceſſitudinis cognationisque gradu, quem illegitimum eſſe exiſtimat, hierologia ſacra haud poſſit impertire, nec ad ſacræ Cœnæ uſum admittere. *Conſilio quarto* reſpondetur miniſtro eccleſiæ,
181. qui interrogaverat, quid ſibi ſit faciendum de collega, qui in ſermonibus ſacris habendis adhibeat verba offenſionum peccatorumque plena. *Conſilio quinto* oſtenditur, an protervi & de-
231. generes ſaltatores a ſacra Cœna ſint excludendi. *Sexto* reſpon-
251. detur ad ſcrupulos, qui miniſtrum Evangelii male habuerant, vocatus ſui cauſa. *Septimo* agitur de eccleſiaſte offendiculi pleno, ac eam ob cauſam depoſito. *Octavo* docetur quidam,
325. haud ſuppetere rationes, cur promiſſum ſponſale, virgini, in ſtatum regenerationis nondum repoſitæ, datum, violare liceat. Singula horum Conſiliorum digna ſunt attente & ex
355. integro legi. Eccleſiaſtæ inexercitati & recentes judicium ſuum hac lectione vehementer acuent & augebunt. Non eſt enim cujusvis, expediendis ejusmodi caſibus, & conſcientiæ, ſcrupulis conflictanti, tranquillandæ, eſſe parem ſatisque aptum

pro

pro tempore. Faxit modo Deus, ut Cel. Autori vires & otia abunde ſuppetant ad fidem, quam dedit publice, exſolvendam.

OSSERVAZIONI LETTERARIE, &c.

hoc eſt,

OBSERVATIONES LITERARIÆ, QUÆ CONtinuationi Ephemeridum Literatorum Italiæ inſervire poſſunt, ſub tutamine Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI.

Tomus II.

Veronæ, e typographeo Jacobi Vallarſii, 1737, 8.

Plag. 16.

Tomi I mentio ac perluſtratio nos adeo retinuit allexitque, ut non poſſimus non deliciarum aliquid apponere Lectoribus quoque ex hoc *ſecundo*. *Articulus primus* affert *Sancti Patris noſtri Ephraem Syri Opera omnia, quæ exſtant Græce, Syriace, Latine*, quorum *Tomus I Syriace & Latine* in lucem emiſſus fuit Romæ ex typographia Vaticana A. 1737. Editionem hanc, *Tomis ſex* abſolvendam, debemus illuſtri diligentiæ Eminentiſſimi Cardinalis *Angeli Mariæ Quirini*, Epiſcopi Brixienſis, elaborationem vero Cel. Duumviris, *Joſepho Aſſemano*, ac P. *Petro Benedicti*. Opus omne *ſex* conſtabit *Tomis, tribus* Græcis, *totidem* Syriace conſignatis. *Tomus I* Græco-Latinus e prelo emerſit A. 1732. Hic vero eſt primus Syriaco-Latinus. Spem inſignem de hoc Opere oſtendit *Blanchinius* in formula dedicationis, Enarrationi Symboli Pſeudo-*Athanaſianæ* præmiſſa. *Tomus I* Græco-Latinus A. 1732 jam prodiit Romæ, in cujus Præfatione *Aſſemanus*, Vir longe diligentiſſimus, meritisque laudibus concelebrandus, protulit, quicquid ad vitam & ſcripta *Ephraemi* poterat referri. Diximus de eo in *Novis Actis A. 1738 pag. 289 ſeq.* Interrupta, ſeu potius dilata, fuit hæc editio, propterea quod Pontifex ſummus Romanus *Aſſemanum* in Syriam & Ægyptum ad exquirenda nova monumenta, ac ob cauſas eccleſiaſticas, ablegavit. *Tomus* igitur *I*

Pag. 8.

11.

A. 1737

Pag. 12. A. 1737 Romæ evulgatus eſt ordine quartus. Præfationem præmiſit ei P. *Benedicti*, ſocietatis Jeſu, Syro-Maronita, Profeſſor olim ſacrarum literarum Piſis, ac poſthæc Eminentiſſimo *Quirinio* gratioſiſſimus. Tantus vir, Syriacæ linguæ quippe peritiſſimus, Latinam verbis Syriacis addidit interpretationem, ac ſtudio affabre factam, ut eloquentia & doctrina interpretis nunc omnino appareat pulchrior ac amabilior.
17. Inſeruit ipſe ſuo loco partem nonnullam ex Commentariis *Jacobi Edeſſeni*, ex quibus, *Ephraemi* ſcripto uni alterique junc-
19. tis, *Severus* Antiochenus conflavit *Catenam*. Obiter judicamus, *Aſſemanum* in *Tomi primi* Bibliothecæ orientalis parte quadam refellere tentaſſe *Crozii Hiſtoriam Chriſtianiſmi Indo-*
20. *rum*, Gallice ſcriptam. Eandem hic inſtitit viam Cel. *Petrus Benedicti*, qui multus eſt in eo, ut orbi perſuadeat Chriſtiano, doctrinas, quas nunc tenet Eccleſia Romana, in ſcriptis *Ephraemi* undique pellucere, neque varietatem ullam ex ea ætate inibi exſtitiſſe. *Articulus ſecundus* exhibet ſummam *Tomi II Operum S. Hieronymi*, quæ formis publicis Veronæ
21 ſeq. exprimuntur. Primus ille, quem *Hieronymus* concinnavit, liber fuit *de Vita Pauli Eremitæ*, compoſitus A. 374. In ea crucem fixerunt huc uſque viris doctis verba illa: *Elias plus nobis videtur fuiſſe*. Reſtituit autem ea *Vallarſius* ex MSto: *plus nobis videtur Propheta fuiſſe, quam Monachus*. Quid ſit
38. *encoma* apud *Hieronymum*, pauci norunt. Oſtendit Noſter, intelligi menſuram, ad quam altitudo ſaturæ militum dijudicatur. *Vegetius* certe: *Proceritatem tirenum ad incoma ſcio ſemper exactam*. Iſidorus: *Incoma, menſura militum*. In Actis Martyrum reperitur quoque verbum *incumare*. *Salmaſius* ad *Hiſtoriam Auguſtam pag. 199* conjectat, vocem exortam fuiſſe ex Græca ἔγκομμα, *inciſione*, ſeu *nota inciſa*. Addimus illud, *encoma* dici a *Paulo Eph. IV, 15.* μέτρον ἡλικίας. *Hieronymus* jam ignem videtur admiſiſſe purgatorum ob lo-
40 ſeq. cum *col. 680*. *Articulus tertius* præbet obſervationes, Cometæ impenſas in ſpecula aſtronomica inſtituti ſcientiarum Bo-
48 ſeq. nonienſis A. 1737, 22 Febr. Apparuit ille verſus Occidentem ſub Venere planeta. Nudo oculo exhibuit idem ſpeciem ſtellæ

Digitized by Google

ſtellæ nebuloſæ, magnitudinem Veneris referentis, ſed lumine debili albicantique inſtructæ. Inſequenti die obſervatus fuit is in una fixarum aſtri Piſcium, proximisque diebus eadem obſervatio eſt repetita. Ad 25 diem locus Cometæ fuit annotatus interventu ſtellæ Piſcium α, ac hora 7. 30 adſcenſio recta ejus innotuit gr. 22, 1, verſus meridiem, & declinatio ſeptentrionalis gr. 1, 6. Unde computatio oſtendit ejus in Ariete longitudinem gr. 20, 46, ac latitudinem meridionalem gr. 7, 35. Sed præſtat, tabulam ipſam locorum Cometæ per obſervationes correctas ex *pag. 75* adjungere, quam reliquis immorari: Pag. 50. 52.

				♈	Lat. Merid.
				G. 1	G. 1.
Febr.	A	25	hor. 7. 30	20. 46	7. 35
	B	26	7. 13	22. 43	7. 53
	C	28	7. 33	26. 29 $\frac{1}{2}$	8. 27
Mart.	D	1	8. 2	28. 20	8. 43
				♉	
	E	2	7. 35	0. 4	8. 58 $\frac{1}{2}$
	F	3	7. 2	1. 45	9. 12 $\frac{1}{2}$
	G	5	7. 35	5. 4	9. 38
	H	6	7. 9	6. 37	9. 48
	I	7	7. 30	8. 8	9. 57
	K	18	8. 37	22. 37	11. 26
	L	20	8. 42	24. 47	11. 34
	M	21	8. 54	25. 49	11. 37
	N	22	7. 53	26. 48	11. 40
	O	23	9. 12	27. 46	11. 43
	P	25	7. 50	29. 42	11. 49
				♊	
	Q	28	hor. 8. 23	2. 27	11. 57 $\frac{1}{2}$
	R	29	8. 23	3. 19	12. 0
	S	30	8. 13	4. 11 $\frac{1}{2}$	12. 3
	T	31	7. 30	5. 1	12. 4
Apr.	V	3	8. 12	7. 33	12. 6
	X	4	8. 23	8. 17	12. 5 $\frac{1}{2}$
	Y	6	8. 9	9. 42	12. 5 $\frac{1}{2}$

Illud vero non eſt omittendum, obſervationes haſce diligentiæ virorum Cel. *Mattenci* & *Boldrini* in acceptis eſſe ferendas.

Pag. 76 seq. *Articulo quarto* indicantur *In Romanos & Græcas Grævii & Gronovii Antiquitates nova Supplementa*, eorumque *Tomus primus*, Venetiis A. 1737 emissus in lucem. Complectitur ille hæc scripta: *Pauli Merulæ de Legibus Romanorum*; *Ejusdem de Comitiis Romanorum*; *Ottonis Aicheri brevem institutionem de Comitiis Romanorum*; *Francisci Poleti Historiam Fori Romani illustratam & auctam*; *M. Antonii Majoragii de Senatu Romano*; *Matthæi Ægyptii Senatusconsulti de Bacchanalibus Expositionem*; *Petri Burmanni de Vectigalibus populi Romani*; *Balthassaris Bonifacii de Archivis*; *Albertini Barisoni de Archivis Commentarium, nunc primum editum*; *Scipionis Gentilis de Jure publico populi Romani*; *Alberici Gentilis de Armis Romanis, sive de Justitia bellica Romanorum*. *Articulo V* summa Orationis funebris, ab Eminentissimo Domino *Passionei* in mortem Principis Eugenii *Francisci* scriptæ, Patavinque editæ A. 1737 fol. exhibetur. Simul ac vero Observationum literariarum Collectores de Oratione & juste & honorificentissime judicarunt, addunt mentionem scripti, quod idem Vir Eminentissimus Tugii A. 1729, 4, edendum curavit, cui titulus: *Acta Apostolicæ Legationis Helveticæ ab A. 1723 ad A. 1729.* Repetunt editionem literarum, a *Joanne Georgio Eccardo* ad Eminentissimum *Passioneum* datarum, cum ille ad ecclesiam Romanam ob æs alienum domi conflatum, ac gratiam summi Ministerii Hannoverani in ipsum collabefactam, festinaret. Adjungunt eidem Em. Cardinalis, tunc Nuncii Apostolici, epistolam, Lucernæ A. 1724, 4 Cal. Febr. datam, qua *Eccardo* humanissime respondit, eumque ratione hujus mutationis cum *Pistorio*, *Besoldo*, *Holstenio*, *Lambecio*, confert. *Articulo sexto* percensetur argumentum, quod inest Operibus *Joannis Georgii Trissini.* Titulus libro præfixus: *Tutte le Opere di Giovan Giorgio Trissino non più raccolte, Verona, 1729, fol.* Summum Poetam, Comicum & Tragicum scriptorem, exstitisse *Trissinum*, inter omnes constat. Tragœdia ejus *Sofonisba* & Comœdia *Simillimi* principatum obtinent in suo genere, ac primæ fuerunt, quæ ad amussim artis scopique versibus decoris commodisque sunt elaboratæ. Debent eruditi hanc editionem

Digitized by Google

tionem monitis Illuſtriſſimi Marchionis *Scipionis Maffæi*, perpetui elegantioris literaturæ ornamenti, ſiderisque ſempiterni. *Articulo VII* enumeratur ſumma libri de Eloquentia Italica, a *Juſto Fontanino* conſcripti ſub titulo: *Della Eloquenza Italiana di Monſignor Giuſto Fontanini Libri tre. Roma*, 1736, 4. Pag. 99. Rectius Autor inſcripſiſſet librum de lingua & dictione Italica, qui jam A. 1706 Romæ forma ſatis tenui exierat, complexus catalogum variorum operum, quæ vernacula Italorum ſcripta ſunt, haud ad unam materiam referenda. Judicium vero illis præmiſerat Autor. Graviter monuit jam *Plinius Lib. V Ep. 20, aliud eſſe eloquentiam, aliud loquentiam.* Præcedit in editione hac nova *Judicium de eloquentia Italica* (Ragionamento dell' Eloquenza Italiana), Marchioni *Orſi* inſcriptum. *Fontaninus* eo in libro liberius ea notavit, quæ in Italorum ſuorum formulis loquendi ſcriptisque obeliſco digna exiſtimavit, a Collectoribus invicem paſſim reprehenſus. Numerum inire voluiſſe videtur *Fontaninus* librorum, inde ab inventa typographia Italice formis publicis deſcriptorum; adeo amplus eſt numerus voluminum, quibus percenſendis atque denominandis ſuam operam addixit. Miramur, quid cauſæ ſubſit, cur *Fontaninus* opus ſuum haud inſcripſerit *Bibliothecam librorum Italicorum*, niſi forte timuit, ne paſſim ea fuerit oblitus, vel omiſerit, quæ ad implendam hujus tituli menſuram faciunt. Non meminit certe Operum *Machiavelli*, Fr. *Pauli*, librorum prohibitorum, caſtratorumve. Nec eſt, quod Lector ſummam argumentumve librorum apud eum quærat. Titulos enim hic Eloquentiæ Italicæ ſcriptor dedit, prætereaque nihil. Libros, qui in claſſe quavis fuerunt omiſſi, maximam partem Collectores ſuppleverunt. Unde accidit, ut Articulus hic ſit omnium copioſiſſimus. Si quis ſupplementum hoc auxerit, & *Fontanini* opus ad Chronologiæ ſcientiarumque ſingularium claſſes judiciis ſuccinctis inſtruxerit, tum ſane Itali habebunt domeſticæ Hiſtoriæ literariæ apparatum inſignem. Verum iſte haud videtur unius hominis eſſe labor, ſed ſodalium, hinc inde Bibliothecis aggregatorum, eidemque operantium fini. Exſtat *Alberti Bartho-*

101.

172.

lini de ſcriptis Danorum liber poſthumus, auctior editus a fratre Thoma Bartholino Havniæ A. 1666, 8. Utinam aliæ etiam gentes hoc inſtitutum æmularentur! Collectores in Autore id potiſſimum notant, quod in viros honoratiſſimos, integros vitæ, ac ſcientiis politiſſimos, bilem evomat, ad ora-
Pag. 220. tionis nervos cohærentes, tractationisque nexum, haud reſpiciat, in Præpoſitum gentis ſuæ triginta fere locis injurias & contumelias ſpargat, promtusque ſit in compellandis quibusque crimine hæreſeos. *Articulo VIII de Senatoriis nomini-*
299 ſeq. *bus Diſſertatio* ex integro ſeſe lectori offert, *qua de iis, quæ in Caſſiodorianæ editionis fronte immutata ſunt, ratio redditur, & Romanorum nominum argumentum animadverſionibus pluribus illuſtratur*, autore, quemadmodum facile dilucet, Illuſtriſſimo Marchione *Scipione Maffæo*. Occaſio ſcripti ex editione ea fuit ſubnata, qua P. *Joannes Garetius* Opera *Magni Aurelii Caſſiodori, Senatoris, viri Patricii*, in publicum produxit. Vir Illuſtriſſimus *Caſſiodorum* legit, eique prænomen non *Magni*,
301. ſed *Marci*, fuiſſe, ſuſpicatur. *Garetius Caſſiodorum* putat dictum eſſe *Magnum* ob genus, opes, doctrinam, munera. Addit Diſſertationis Autor judicium hoc: *At, ſi ita eſt, nec præmitti, nec tanquam prænomen adhiberi, unquam debuit. Magnus proprie inter prænomina recenſeri haud poteſt, antiquitus enim, & ſtante republica, cognominis locum tenuit.* Objici quidem poteſt, *Gruteriana* in Inſcriptione *pag. 116, 117*, legi *Magnum Pompejum*, ideoque *Chriſtophorum Rupertum* in epiſtola ad *Reineſium 14*, & ipſum *Fabrettum Inſcript. pag. 23*, *Magnum* hic pro prænomine habuiſſe. At inſcriptionis illius fragmentum eſt interciſum, ac *Pompeji* non prænomen, ſed cognomen, fuit *Magnus*, quod tum *Cicero*, tum *Suetonius* in *Caligula Cap. 25*, dilucide reddiderunt teſtatum. *Pompejos* uſque ad extrema tempora eodem cognomento uſos, Conſul anni a Chriſto nato 501 docet, in *l. 18 C. de Collationibus* laudatus. Ponamus vero, Inſcriptionem *Gruterianam* recte ſeſe habere, tunc animo recolendum eſt, cognomen nonnunquam nomini prænimſum fuiſſe. *Nepos* certe *Cornelius* quindecies a *Plinio* denominatur. Prænomina præterea per literarum compendia indicari, mos erat.

Cum

Cum itaque hic vox *Magnus* ſingulis literis in Inſcriptione exprimatur; id ipſum indicio eſt, prænomen haud ſignificari. Ex *Magni* cognomine gens *Magnia* prodiit. Sequiori etiam ævo *Magni* vocabulum prænominis loco adhibitum. Sic *Nero* modo cognomen, modo prænomen, fuit. Conf. *Suetonii Claudium Cap. 1.* Noſter ſuſpicatur, eum, qui *Magnum* ad prænomina primus retulerit, antiquum *Manii* prænomen perperam enuntiando corrupiſſe. *Magnus Maximus* fuit & Ægypti procurator imperante *Auguſto*, teſte *Philone* in *Flacc. pag. 975*, & Imperator, ſeu Tyrannus, Seculo V. *Caſſiodori* certe prænomen haud fuit *Magnus*, ſiquidem in MStis appellatur *M. Aurelius. Commentarium de partibus orationis* ſcriptor Illuſtriſſimus *Caſſiodori* haud eſſe, ſed ſpurium potius, demonſtrat. Nam *Ticinum* in eo vocatur *Papia*, quod ante *Paulum Diaconum* audierat nemo. In Lateranenſi Concilio, A. 769 ſub *Stephano III* habito, ſubſcriptio occurrit *Epiſcopi Papiæ Ticini.* Id Autor Illuſtriſſimus, e Capituli Veronenſis Codicibus erutum, quamprimum emittet. In cippo lapideo *Magni Maximi* tyranni nomen eſt obvium, & prænomen tribus prioribus literis per MAG ſignificatur. *Viro Senatori* lectum eſt ab imperitis ex compendiaria ſcriptura V. S. quæ legenda eſt VIRO SPECTABILI. Id patet ex titulo *ſpectabilitatis*, adjecto in *Caſſiodori* Epiſtolis, e. g. *Var. Lib. I Epiſt. 5, 38, Lib. II Epiſt. 28. Caſſiodorus* ex *Aurelia* gente ortus fuit, in qua *Magni* numerantur nulli, receptiſſimum vero *Marci* prænomen fuit. *Caſſiodorum* ab officio ac dignitate appellatum eſſe *Senatorem*, Noſter negat, licet *Paulus Diaconus Lib. I Cap. 25*, & *Beda* in *Ezræ Lib. II Cap. 2*, ſcriptoresque poſterioris ævi, ita exiſtimarint, ac ipſe *Voſſius de Hiſtoricis Latinis.* At *Victor* & *Marcellinus* in *Faſtis Caſſiodori* Conſulatum ita notant: *Senatore V. C. Conſule, Senatore ſolo Conſule.* Nomen omnino proprium exhibetur. *Jornandes* in *Hiſtoriæ Gothicæ* prooemio *Senatoris volumina* ſeſe coarctaſſe dicit, id eſt, *Caſſiodori. Caſſiodorus* ipſe ſe in *Chronico* ita deſignavit, & in *Epiſtolis* omnibus *Librorum XI & XII. Senatoris* enim nomen illo ſeculo geſſere complures, teſte *Sirmondo*, *Ennodium* illuſtrante,

Pag. 303. 304. 306. 307. 308. 310. 312.

Digitized by Google

qui literas ad *Senatorem* Epiſcopum dedit. Dedit P. *Gregorius* ad *Senatorem* Presbyterum & Abbatem. A. 436 *Iſidorus* & *Senator* Conſules fuere. *Ticini* Monaſterium quon-
Pag. 313. dam *Senator, filius honorandi Albini*, ædificavit. *Agnomen* fuiſſe olim nullum, Noſter oſtendit, idque a recentioribus confuſum eſſe cum cognomine. *Caſſiodorium* appellat, quem alii
318. *Caſſiodorum*, autoritate inductus Codicis MSti antiquiſſimi, quem ipſe inter Capituli Veronenſis chartas detexit, & quem paucis abhinc annis ſub titulo *Complexionum* foras exire juſſit. In eo tribus locis, & maximis quidem literis, CASSIODORII SENATORIS nomen effulget. Obtinet hic illud *Tertulliani adverſus Marcionem IV, 4: Id verius, quod prius.* *Corruncа-*
322. *nus, Panvinio* judice, dictus fuit *Corruncanius*. *Fulvius Urſinus, Mamiliæ* gentis denarios referens, admonuit, in libris, ubi *Mamillus* legebatur, *Mamilius* reponendum eſſe. *Avienus Feſtus*, qui *Arati* metaphraſin concinnavit, in editione prima, quam *Victor* Piſanus A. 1488 Venetiis ex MStis procuravit, eſt *Avienius*. Scriptor finium regundorum *Siculus Flaccus* in veteri apud Autorem membrana *Siculius* dicitur. *P. Sulpitius Quirinus*, decantatus Syriæ Præſes, *Quirinius* eſt appellandus, ſuffragatoribus *Lipſio* ad *Tacitum*, *Noriſio* in Cenotaphiis, ac *Pagio* in Apparatu. Caſus ſecundus *Caſſiodori* non certe eſt indicio, primum eſſe *Caſſiodorus*. Latini enim duplex in caſu
325. ſecundo efferebant per unicum, ut ex *Gelaſius, Hilarius, Aurelius*, inveniuntur caſus ſecundi *Gelaſi, Hilari, Aurcli*. Quis porro ignorat *res mancipi*, id eſt, mancipii? *Viri Patricii* appellationem e libri Complexionum fronte abſtulit, eo quod ea ſit plane inſulſa. Quis enim dixit unquam *Vir Conſul, Vir Senator, Vir Prætor?* Viros Conſulares omnino Romani habuere eos, qui Conſulatu functi. At Patriciatus honor fuit
329. perpetuus, ac perduravit in omne reliquum vitæ tempus. Quare ne hac quidem ratione *Vir Patricius* ferri poteſt. Hæc hactenus. Diſſertationi Illuſtriſſimus Marchio epiſtolam Lati-
331. nam ſubjunxit, qua *Benedicto Bacchinio* Abbati reſcripſit, ac quæſita nonnulla, quæ attinent ad formulas *Caſſiodori* rariores, illuſtravit. *Meſſii quadrigam* ex *Var. Lib. I Epiſt. 45* exponit

de

Digitized by Google

de quatuor Grammaticorum collectione, quos *Messius* quidam compegerat in unum. Quatuor illos eruit ex *Cassiodori* Libro de Artibus primo, ubi hic *Donatum* præfert, puerisque ac tironibus commendat, quamvis *autores superiorum temporum de Arte Grammatica ordine diverso tractaverint, suisque seculis honoris decus habuerint, ut Palæmon, Phocas, Probus, & Censorinus.* Annotari hæc digna sunt ad Ven. *Jo. Georgii Walchii Historiam criticam Latinæ linguæ.* Ill. Marchio *Expositionem in Cantica Canticorum* denegat abjudicatque *Cassiodorio* suo, ratus tamen, illam Seculo XI esse antiquiorem, quo *Papias* ex ea in Lexicon suum transtulerit bene multa. *Haymonis*, seu *Aimonis*, Halberstadiensis Seculo IX Episcopi, hoc esse opus, judicat. Nec librum *de octo partibus orationis*, neque pagellam, quæ *Computus Paschalis* inscribitur, *Cassiodoro* tribuendam, probat. Ad *Indictionem* pro quovis anno determinandam ipse regulam hanc subministrat: *Quindenas tantum quantitates rejice. Numerus, qui est reliquus, dat Indictionem; si nihil remanet, Indictionem habes ultimam (seu quintam & decimam).* Solemus alias anno, de quo agitur, tres annos adjicere, deinde vero numerum annorum per 15 partiri. Ex methodo antiqua A. 515 cucurrit Indictio 8. Sed, quod pace Illustrissimi Marchionis dicere liceat, ex numero illo 515 non possunt abjici quindenæ quantitates. Unde perspicitur, methodum consuetam ubique quæstioni satisfacere, recentiorem vero illam haud item. Proponere juvat casus consimiles, in quibus recentior illa methodus quærentem destituit, nempe in numeris 401, 402, 403, 404, 405, 406, 516, 1111, 1222, 1315, 1409, &c. Molitur summus ille Vir editionem Operum *Cassiodori* novam, *primo Tomo* ecclesiastica inserturus, historica *secundo*. Ecclesiasticis annectet, quæ *Senator* in gratiam divinarum literarum elucubravit. *Psalterii* Expositio agmen ducet. Complexiones subsequentur. In *Psalterii* Prolegomenis fuse de Codice suo vetustissimo aget, in quo exhibentur *Psalmi*, hac quidem pagina Latine, altera e regione Græce, sed literis Græcis. In Historicis Chronicon præibit. Gothorum Historia sequetur, e *Senatoris* Libris XII in unum per *Jornandem* coarctata.

Pag. 333.

334.

335.

336.

337.

Exci-

Excipient id *Variæ*. Immorati fumus diutiſſime *Articulo decimo*. Tam ſalubria & publicæ cognitioni accommodata ac neceſſaria nobis ſunt viſa, quibus ille Articulus effulget. Procedimus ad *nonum*, quo deſcribitur magnum la-
Pag. 339. brum (quod *tazza* Itali vocant), ex achate orientali factum, figuris illuſtratum, quod reperitur nunc in Muſeo regio Nea-
354 ſeq. politano, antea Florentino. *Articulo decimo* repræſentatur argumentum ex libro præſtantiſſimo, cui titulus: *Franciſci Blanchini, Veronenſis, Aſtronomicæ ac Geographicæ Obſervationes ſelectæ, ex ejus autographis excerptæ, una cum Meridiani Romani tabula. Cura & ſtudio* Euſtachii Manfredi. *Veronæ, 1737, fol.* At, quia de libro hoc Sodales noſtri alibi exponere conſtituerunt, noſtrum eſt, ne nimis longi ſi-
363. mus, hanc omittere recenſionem. Accedit in fine deſcriptio *auroræ borealis*, A. 1737, 16 Dec. in Italia conſpectæ. Mirum ſane accidit, phænomenon id, quod in Italia primus A. 1722 Cel. *Franciſcus Zanotti* obſervavit, progreſſu annorum adeo increbuiſſe. Meminiſſe tamen liceat, *Gaſſendum* jam in Gallia A. 1621 id phænomenon animadverſiſſe. *Gregorius* Turonenſis A. 584 idem notavit, memoriæque prodidit. *Plinii* locus in *Hiſt. Nat. Lib. II Cap. 33* admodum eſt luculentus, nec non alius *Senecæ* in *Quæſtionibus naturalibus*. Mortales plerumque ea tempeſtate domi ac in lectis latuerunt, qua dux illa borealis apparuit, exceptis obſidionum temporibus, quo factum eſt, ut, excidiis urbium victoriisque & præliis tot prodigia præceſſiſſe, literis reperiatur conſignatum. *Ariſtoteles* jam diſſeruit *Lib. I Meteorolog. Cap. 5* de aurora boreali. Plura exempla congeſſit Cl. *Probeſius*, Profeſſor Academiæ Helmſtadienſis, cujus librum alias dedimus compendio-
373. ſe enarratum. Is, qui hic auroram deſcripſit, probabilem pronuntiat Cel. *Mairani* opinionem, qui credidit, auroram illam eſſe partem lucis zodiacalis, quæ affluat in atmoſphæram noſtram. Obmovet vero ei nihilo minus difficultates vix extricabiles.
375 ſeq. Proponit ipſe tandem opinionem novam, quærens, an non phænomenon illud poſſit exoriri a lucé ſolis reflexa, nubibusque, vel alia materia, ſpeculi vicem præbente, excepta, & inde repercuſſa.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

AD NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio IX.

LA VIE DE S. THOMAS D'AQUIN, &c.

hoc eſt,

VITA S. THOMÆ AQUINATIS, ORDINIS Prædicatorum, Doctoris eccleſiæ, una cum expoſitione doctrinæ ejus, & Operum recenſione, Autore P. A. TOURON, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Pariſiis, ſumtibus Giſſeyi, Bordeletii, Sabaudi, Henrici, 1734, 4. Alph. 5 plag. 12.

Vitam *Thomæ* Gallico ſermone & copioſe exponere, Autor Pl. Rev. apud animum ſtatuerat, delineaturus *Thomæ* actiones inter ſeſe coagmentatas, indolem & cogitandi modum, proclitatem voluntatis, ſentiendi rationes, conſuetudinis cum quocunque alio culturam, & vitæ doctrinæque mutuam conformitatem. Dignus erat *Thomas* hoc ſcriptore & præcone, in orbe Chriſtiano celeberrimus, eccleſiæ vero inprimis catholicæ probatiſſimus. *Adrianus Ballietus Tomo I* operis, *Vie des Saints* inſcripti, neminem ſcripſiſſe *Thomæ* vitam, *Thoma* dignam, judicavit. Familiam inter eos, qui *Thomæ* vitam literis conſignarunt, ducunt *Bartholomæus Luccenſis* & *Wilhelmus de*

Tocco. Prior exſtitit *Thomæ* diſcipulus, itinerumque ſocius poſtremorum, a confeſſionibus ejus ſacris, olim Paparum a Bibliothecis, Confeſſionarius *Joannis XXII*, & ab eo Epiſcopatui Torcelliano in territorio Venetorum præfectus, vir doctus pro ſuæ ætatis ratione, qui ſcripſit præter alia Hiſtoriam eccleſiaſticam *Libris XXIV*, exorſus ab ævo Chriſti nati & usque ad *Bonifacii VIII* Papatum progreſſus. In *Libris XXII* & *XXIII* de *Thoma* injicit mentionem. Poſterior æque ex diſciplina *Thomæ* prodiit, Dominicanus celeber, qui Neapoli docuit, Prior primo Cœnobii Beneventi, ac delegatus ad Papam *Joannem XXII*, daturus apud eum operam, ut *Thomas* cœlitibus adorandis adſcriberetur, annis 45 poſt ejus obitum. Intra quadriennium *Wilhelmus* cum aliis rem feliciter ſuſceptam ad finem exoptatum perduxit, ac deinde vitam *Thomæ* ſcripſit, quam Autor omni fide digniſſimam exiſtimat. *Renaldo* patefecerat *Thomas* favores extraordinarios, quibus Deus ipſum ornaverat, vetans, ne is ea proferret, ſe vivo. *Wilhelmus Toccenſis* nulli pepercit ſtudio, ut hæc & alia reſciſceret. Ut verbo dicamus, *Thomam* deſcripſit qua Divum, cœloque dignum, non qua hominem. Continuatores *Bollandi* opus illud *Wilhelmi* ediderunt *Tomo I Menſis Martii* inter *Acta Sanctorum*, licet Noſter haud inficietur, *Wilhelmum* parce nimis de primis *Thomæ* annis diſſeruiſſe. Ex *Wilhelmo* ſitim reſtinxerunt, quotquot poſthæc de *Thoma* fuerunt commentati, verbi cauſa *Bernhardus Guido*, Dominicanus, Epiſcopus Lodevæ, S. *Antonius*, Archiepiſcopus Florentinus, *Andreas Moroſini* & *Antonius Pizani*, uterque Venetiis Senator, *Demetrius Cydonius*, Autor Græcus, *Flaminius*, *Ferdinandus de Caſtello*, *Michael Pius*, *Surius*, *Malvenda*, *Sixtus Senenſis*, aliique. Inter ſcriptores recentiſſimos principatus debetur R. P. *Echardo*, qui chronologiam vitæ *Thomæ* accurate digeſſit, & opera genuina, a *Thoma* profecta, a ſuppoſitiis, vel interpolatis, accurate diſtinxit. Nil itaque mirandum, ſi Autor critica potiſſimum ab *Echardo* fuerit mutuatus. Tractationem omnem *Libris ſex* comprehendit. *Libro primo* pertractat vitam *Thomæ* usque ad ſtudia ejus Pariſienſia. *Liber ſecundus* exhibet ejus ſcripta & geſta usque ad obitum Papæ *Urbani IV*. *Libro tertio* enarrantur

rantur reliqua, quibus & mors & relatio ejus inter Divos adjunguntur. *Libro quarto, Thomam* fuiſſe perfectum eccleſiæ doctorem ſanctiſſimumque magiſtrum, oſtenditur, nec omittitur quidquam, quo indoles & character animi, qui in ipſo fuit, illuſtrari poſſit. *Libro quarto* expromuntur elogia, in ſcripta *Thomæ* collata, & varii uſus, quos lectio ſcriptorum ejus ſubminiſtravit. *Libro ſexto* recenſentur ejus ſcripta genuina, tum philoſophica, tum dogmatica, ad Theologiam revelatam referenda, tum exegetica, ad ſacras literas illuſtrandas compoſita, tum opera argumenti non unius. Adjicitur hiſce ſeries ſcriptorum dubiorum & ſuppoſitorum, quibus accedunt ea, quæ in Græcam aliasque linguas fuerunt translata. *Thomam* Græcæ linguæ peritia fuiſſe imbutum, Autor admodum reddidit probabile, *Echardi* fultus argumentis. P. *Rugli*, Siculus & Jeſuita, *Summam S. Thomæ* in ſermonem Tzinenſem convertit, nec non *Thomæ* librum de corporum noſtrorum reſurrectione. Mater *Thomæ* fuit *Theodora*, quæ, ut filium ex Ordine Dominicano retraheret, multum ſibi faceſſivit negotii. Fratribus uſus eſt *Landulfo* & *Raynaldo*, ducibus bellicis. Patre gaudebat Comite *Aquini*. *Gregorius X* præceptorem ejus, *Thomam Agni de Leontino*, creavit Patriarcham Hieroſolymorum & Epiſcopum Ptolemaidis, nomine ei indito *Joannis de Arra*, ac *Philippo III*, Galliarum Regi, tutelam & defenſionem ejus oravit, ratus, ſeſe ejus opera uſurum, Palæſtina propediem recuperata. Quo fine ipſum conſtituit legatum Apoſtolicum per Armeniam, Cyprum, & Principatum Antiochiæ. Obiit *Thomas* hic A. 1227 in Palæſtina, ac Ptolemaide in templo Ordinis Dominicani fuit ſepultus, 14 annis ante, quam Saraceni illam urbem expugnarent. *Thomam* juniorem, ſeu *Aquinatem*, Pontifex Abbatem Montis Caſſini renuntiaturus fuit. Sed *Thomas* haud annuit, audiens potius viros doctiſſimos, inprimis *Albertum Magnum*, Pariſiis docentem in Collegio S. *Jacobi*. *Wadingus* erravit, ratus, *Thomam* fuiſſe *Alexandri Haleſii* diſcipulum. Ille error hic copioſe diſpungitur. A. 1248 in Concilio Dominicanorum fuit ſancitum, ut Oxonii, Coloniæ, Bononiæ, in Montebelli-

Pag. 769 ſeq. 772. 41. 68. 70. 88. 98.

cardo, uti Parisiis, docerent in Collegiis publicis Professores
Pag. 112. Dominicanorum. *Albertus* igitur *Magnus* missus fuit Coloniam Parisiis, eique pro Professore secundo adjunctus fuit *Thomas* noster, qui, discipulos ut formaret tum pios, tum solide doctos, laborem omnem impendit. Cum Presbyter constitueretur, præconem egit disertum solidumque, gregique
116. exemplo egregiæ virtutis præluxit. Invisit *Adelheidam*, Burgundam, *Henrici III Pii*, Ducis Prabantiæ, uxorem, eique in-
127. scripsit libellum *de regimine Judæorum*. Professionem deinde gessit Parisiis, in docenda Philosophia & Theologia positam.
145. *Wilhelmus de S. Amore* scripserat librum *de periculis ultimorum temporum*, in quo passim Ordinem Dominicanum & Dominicanos, mendicantes contra *Pauli* doctrinam, perstrinxe-
148. rat. Rex *Ludovicus* librum misit Romam ad Pontificem. Academia Parisiensis simul misit legatos Romam, in quibus ipse erat *Wilhelmus de S. Amore*, desideraturos, ut improbaretur ac condemnaretur liber Anonymi, qui erat inscriptus: *Evangelium æternum*. *Thomam*, ut defenderet Monachos, & præcipue Ordinem suum, evocat Romam Pontifex. Scripsit
153. defensionem, sic inscriptam: *Contra impugnantes religionem*. *Wilhelmi* posthæc liber fuit condemnatus. *Summam contra gentes Thomas* contexuit, *Raimundi de Penna Forti* precibus
177. inductus. Scripsit etiam adversus *Averroem*, qui, singulis hominibus & universis unicum duntaxat inesse intellectum,
226. docuerat. Titulum libro præfixit: *De unitate intellectus contra Averroistas*. Vitæ monasticæ excellentiam *Thomas*
237. admodum prædicavit, præcipue in libris *de perfectione vitæ spiritualis*, & *utilitate votorum monasticorum*. Ecquis ignorat multitudinem ejus scriptorum? Quis nescit elogia, quibus ab universa Ecclesia magnus ille *Thomas* fuit evectus? Obiit ipse Fossæ novæ, A. 1274, 7 Martii, ac Doctores Parisienses ea de
308. causa ad Capitulum generale Fratrum Prædicatorum epistolam miserunt, laudum ejus insigne argumentum. Nostrum non est, singula prosequi. Autor enim tam copiose, solide, et eleganter, universam *Thomæ* vitam adornavit, ut lectores in eo nihil sint desideraturi. Felicem eo etiam nomine prædi-

camus

camus *Thomam*, quod ipse *Turonium* obtinuerit dignum & laudabilem laudum suarum præconem & panegyristen.

FRID. ADOLPHI LAMPE, THEOLOGI consummati, Dissertationum philologico - theologicarum, tum earum, quæ ad ulteriorem Evangelii Joannei illustrationem pertinent, tum reliquarum varii generis & eruditionis multifariæ, Syntagma. Accedunt Orationes ejus IV, Programmata quædam, ab ipso elaborata, & Dissertationum quarundam affectarum fragmenta, ex MSS. edita. Præfationem præmisit DANIEL GERDES, S. Th. D. & Prof. Groninganus, Concionator Academicus, & Collegii Scientiarum Regii Berolinensis Membrum.

Amstelodami, apud Adrianum Wor & hæred. Onder de Linden, 1737, 4.

Alph. 5 plag. 5.

Editor Celeberimus in Præfatione de lucernis sepulchralibus, alludens ad *Lampii* nomen, differit, apud veteres, sive gentiles, sive Christianos, concelebratis, sepulchro cœlitibus adscripti *Lampii* suspensa & affixa. *Volumina* in *duo* totum Syntagma est distributum. In *priori* exstant Disputationes, Ultrajecti emissæ, quæ ad illustrandum *Joanneum* Evangelium faciunt, Viri beati manu hinc inde auctæ atque perpolitæ. Accedunt eæ, quas Vir beatus sub auspiciis Virorum Celeberrimorum, *Cornelii Hasæi* & *Campegii Vitringæ*, in illustri Lyceo Bremensi, & in alma Francquerana, admodum juvenis ventilaverat, a sese editas. Accesserunt illæ *de Cymbalis veterum* rudes lineæ, quæ deinceps in eruditissimum illud *de Cymbalis* excreverunt opus; nec non Dissertationes emblematicæ *de Myrto*, atque *Cupressu*, ac *Cedro*. Adjiciuntur præterea Programmata, limatis nitidisque meditationibus effulgentia. In *posterius Volumen* rejectæ sunt limatissimæ Dissertationes, quas *Lampius*, in patriam redux, ex Ultrajectina Academia secedens, edidit & *de Pœnarum infernalium æternitate*, & *de Spiritu Sancto*, & *de Librorum sacrorum inspiratione*. Subjunguntur Orationes ejus-

dem *de ſumma ſapientia*, *de memoria ſanctorum*, *de ſole*
Vol. I *juſtitiæ*, & *de Urim ac Thummim.* Diſſertatio *prima* inſcripta
pag. 3 eſt de titulo Evangelii *Joannis*, quem a *Joanne* profectum eſſe,
ſeq. negat cum *Richardo Simonio*, *J. H. Majo*, & *Gothofredo Oleario*. *Irenæus* tamen *contra Hæret. Lib. III Cap. 2* titulos,
6. qui Evangeliis ſunt præfixi, jam commemorat, nec non *Clemens Alexandrinus Lib. III Strom. p. 465.* De Pſeudo-Evan-
8. geliis agit §. *11.* Manichæi fuerunt primi, qui, Evangeliſtas, in titulo indicatos, eſſe genuinos autores, negare cœperunt.
12. Evangelium generatim doctrinam de Chriſto deſignabat, *Rom. II, 16.* Helleniſtæ per *Evangelium* intellexerunt annuntiationem rei, בשורה, non tantum novæ, ſed etiam lætæ, idque per certos nuntios, eo fine ablegatos, & præmia nuntii ſui ex-
15. ſpectantes. Videtur quidem *1 Sam. IV, 17*, הַמְבַשֵּׂר nuntii mali præconem deſignare. Sed putabatur ille bonus eſſe nuntius, antequam audiebatur. In bonam enim partem vox ſumitur *Jer. XX, 15*, *1 Sam. XXXI, 9*, *2 Sam. XVIII, 21, 26*, de ſalute per Chriſtum ſpeciatim *Eſ. XL, 9*, *Pſ. XL, 10*, *Eſ. LXI, 1*, *1 Par. XVI, 23*, *Pſ. LXVIII, 12*, *XCVI, 2*, *Eſ. LII, 7*, *LX, 6*, *Nah. II, 1.* Specialiſſime εὐαγγέλιον notat nuntium de obtenta victoria,
18. & libertate populi, devictis hoſtibus, reſtituta. Locum *1 Pet. IV, 6*, cum *Grotio* exponit de ſanctis Martyribus, *Stephano*, *Jacobo*, aliis, tum mortuis, qui ſecundum opiniones ho-
21. minum erant mortui, vivebant vero ſpiritu ad Deum reverſo. Κατὰ alias ſcriptorem haud notat. Quare illud κατὰ Ἰωάννην deſignabit potius: *ex Joannis ſententia ac teſtimonio*, ut excluderentur pſeudo-evangelia. Significatus hic Græcis
24. ſatis eſt familiaris. *Diſſertatione II* exponitur de ſcala *Jacobi*, ad *Jo. I, 51*, ac *Geneſ. XXVIII, 12-15.* Somniis ineſſe divini quid, ethnicis quoque creditum. De ſomniis varia
33. ediſſeruntur ab Autore. Exteri Philoſophi, præcipue orientales, dæmonibus ſuis deſcenſus in terras tribuerunt. Jehova, qui ſub forma humana inſiſtebat in capite ſcalæ, erat Chriſtus
36 ſeq. ob *Jo. I, 18.* De hoc angelo, qui *Jacobo* apparuerat, locus
46 ſeq. exſtat illuſtris *Hoſ. XII, 5, 6*, quem Noſter illuſtrat. Per *ſcalam*, vel *rubum ardentem*, non denotatum eſſe Meſſiam, credit, ſed per eum, qui in forma humana apparebat, Jehovam.

Nubes

Digitized by Google

Nubes rutilans & ignea perpetuum præsentiæ divinæ sub V. T. fuit symbolum, quorsum ipse etiam retulit loca, *Gen. III, 24, XV, 17*, ac *Ex. III, 2.* Quare, cœlum supra scalam apparuisse fissum, quia portæ speciem *Jacobus* animadvertit, ac cum nube lucida Jehovam Messiam prodiisse, existimat, quod cum *Jo. I, 18*, concordat. Conf. *Exod. XXIV, 10, Ezech. I, 4,* Pag. 41. *X, 1, 2, Dan. VII, 9, 10, Matth. XVII, 5.* Per *columnam Jacobus* illum splendorem, ex nubibus erumpentem deinceps, repræsentavit. Columnæ profecto divinitatis exstiterunt symbolum. Columna itaque nubis & ignis Patriarchis non incognita, ac mirificum Dei præsentis fuit symbolum, ex quo Messias subinde locutus fuit ad *Mosen* & Judæos. Βαιτύλια *Sanchoniathonis* Autor exponit ex בית־אל, *Bethel*, &, ἔμψυχα ea dicta fuisse, arbitratur, eo quod ex unguento illo gratissimum respirabant odorem, ex בשם, quod Syris est *spirare* & *odorari.* Symbolum illud præsentiæ divinæ Judæi vocabant *Schechinah*, ac כָּבוֹד, δόξαν, *splendorem*, appellabant. 43. Scala quasi columnam fulcire visa, si Nostro credimus. In *Diss. III* edisserit *Mysterium scalæ Jacobææ. Franciscus Junius* & *Sebastianus Schmidius* hunc disjungunt sensum mysticum. Imago utique illa aliquid designavit, siquidem citra illum finem Deus illam *Jacobo* non proposuit. Relatio in ea fuit specialis ad promissiones subsequentes. Pronuntiavit Deus, terram hanc a *Jacobi* posteris esse possidendam, ac in eis omnium terrarum familias benedictionibus ornatum iri per cœlum apertum, gratiam præsentem, ac Messiam apparentem. Ad omnes gentes 52. hæc felicitas erat derivanda, *Matth. VIII, 11, Ps. LXXII, 17, Gal. III, 8, 9, 14.* Ostendit tandem contra *Petrum du Bose*, re- in loco *Jo. I, 51*, ad scalam *Jacobæam*, non ad *Dan. VII, 10*, spici; hic enim de angelis descendentibus ac adscendentibus nulla injicitur mentio. Si quis nostra accipere non dedignatus fuerit cogitata ad locum *Jo. I, 51*, tum credimus utique, ad visum *Jacobo* oblatum respici, simulque innui relationem ad templum Hierosolymitanum, in quo adytum, quod cœli loco erat, conclusum tenebatur, & ad quod angeli adscendentes descendentesque, id est, sacerdotes, in templo accedere haud audebant.

audebant. Promiſſus enim Meſſias, qui gratiam Dei cœlumque nobis patefacere debuit, nondum venerat. Adyti poſtea vela ſponte diſſiluerunt. Επὶ τὸν υἱὸν τȣ̃ ἀνθρώπȣ & exponendum: *ad filium hominis.* Meſſiæ enim ſerviebant, & honorem adorationis præſtabant, & exhibent ſemper, omnes Angeli. In ipſo cruciatus angorisque horto ipſi acceſſit angelus corroborans, a Patre miſſus. Indicavit Chriſtus per voces ἀπ' ἄρτι novam fœderis œconomiam, quam *Jacobus* prævīderat. Cœlo enim aperto, quisque preces ad Deum admovere, eumque adire, poteſt. *Jacobo* fuit ſignificatum, omnibus gentibus per ſemen, e Judæis proditurum, cœlos recludentem ſalutem iri oblatum. Judicent alii. Nominatim oſtendemus porro ea, quæ B. *Lampius* in ſcala *Jacobæa* vidit, myſteria. Pri-
Pag. 56. mo quidem, ipſo arbitro, Jehova, in glorioſa luce apparens, formaque humana conſpicuus in cœlo, repræſentavit gloriam cœleſtem Meſſiæ ſecundum utramque naturam, aliquando occupandam, & in terra revelandam. Deinde ſcala deſignavit ſemitam vitæ, per quam primo Meſſias thronum gloriæ conſcenſurus, ac deinde electos ſuos ad beatam ſecum in
60. gloria communionem introducturus eſt. Porro gradus, ex quibus ſcala conſtat, ſymbola ſunt eventuum ſecundum conſilium Dei per ſua intervalla temporum diſtinctorum, per quos ad gloriam
73 ſeq. cœleſtem Eccleſia poſt Chriſtum emergit. Omittimus reliqua. Succedit. *Diſſ. IV de Sinu Patris*, ad *Jo. I, 18.* Indicatur unitas eſſentiæ, ob *Jo. XIV, 10*, concordia animorum, idem ſentientium ac volentium, uti *Deut. XIII, 6, XXVIII, 54*,
75. *2 Sam. XII, 8, 1 Reg. I, 2, Mich. VII, 5, Sir. IX, 1.* Perſequitur Autor reſpectus relativos, qui hinc ſequuntur, mira
84. facilitate. Nam 1) filius ejusdem naturæ cum patre eſt, ſed & naturali ordine a patre exiſtit; 2) perſonaliter filius a patre eſt diverſus; 3) pater filium defendit, & amor utriusque eſt mutuus. Fruſtra eſt *Schlichtingius*, qui in ſinu eſſe, & cariſſimum eſſe, pro una eademque re habet. *Diſſ. V* inſcribitur
89 ſqq. *de Generatione ex aqua & ſpiritu*, ad *Gen. III, 5.* Ad *aquæ* ſignificatum præcipue ibi fluctuarunt Interpretes; alii propriam, alii metaphoricam, intellexerunt. Anonymus, quem

Sandius

Digitized by Google

Sandius sequitur, per *generationem novam* intellexit animarum ante existentium in corpora immissionem, adeoque generationem carnalem. Autori probatur immediata animæ in corpore productio, ob *Genes. II, 7, Zach. XII, 1.* Alii aquam sacramentalem, baptismo jungendam, ob oculos habent. Circa finem Seculi secundi pro necessitate baptismi, tanquam adminiculi ad regenerationem & salutem, hæc verba urgeri cœpta, præeunte *Tertulliano Cap. 12 de Baptismo*, sequentibus Pag. 91.
eum *Cypriano*, *Augustino*, *Ambrosio*, *Hieronymo*, *Basilio*, *Chrysostomo*, *Cyrillo*, *Theophylacto*, *Athanasio*, & *Cassiodoro*. Qua de causa universam antiquitatem hunc locum de Baptismo accipere, fatetur *Vossius Disp. IV de Bapt. §. 1.* Addit Au- 92.
tor: *Quam avide sententiam hanc arripiant Pontificii & Lutherani, ut hypothesi suæ patrocinentur, in propatulo est. Nos vero inter παρερμηνείας, quibus scatent Patrum monumenta, hanc quoque interpretationem collocare nulli dubitamus. - - Et Patrum autoritas eo minus nos stringit, quia praxis eorum theoriæ plane contraria fuit. Si enim de absoluta Baptismi necessitate fuissent persuasi, ipsi toties in adultam ætatem Baptismum haud distulissent.* At dilatio illa longe aliis nititur rationibus. Credebant enim, difficulter quemquam in gratiam recipi, qui gratiam baptismalem semel excessisset. Non vacat, reliqua Autoris huc transcribere argumenta. *Brentius* 99.
per *aquam* intellexit promissionem evangelicam, signo additam Baptismi. Ipse autem cum *Joanne Wiclefo*, *Coccejo*, *Burmanno*, aliis, per aquam designatum credit *meritum Christi* & *obedientiam ejus satisfactoriam*, quam sub aquæ symbolo proponi putat *Es. LV, 1, Ezech. XXXVI, 25, Zachar.* 100 seq.
XIII, 1, Hebr. X, 22, 1 Jo. V, 6, 8, existimans, digitum intendi ad aquæ ex latere ejus effluxum. *Witsius* vero *Oecon. III, 6: Dubitamus, an unquam obedientia Christi aquæ nomine in Scriptura venit.* Sed hujus dubitationem nullius pensi facit Autor, ac voces ἐξ ὕδατος exponit *propter* & *per satisfactoriam* 102.
Christi obedientiam, quod quam violentum & contortum sit, nemo non videt. Locum *Ps. LI, 9*, de mundatione contaminati ex contactu mortui, eo quod *David* se reum cædis in 114.

Uriam admiſſæ fatebatur, exponit. Fontem apertum לחטאת ולנדה *Zach. XII, 10*, capit de expiatione, ad cinerem vaccæ rufæ facta alluſione, hoc modo: *in expiationem & ſeparationem.* In ſubſidium vocat locum *Num., XIX, 9*, & aſſenſum Chaldæi Interpretis. Aquæ luſtrales ad expiationem per vaccam rufam hauriebantur ex fonte Siloam, ad quem *Zachariæ* alludit per fontem apertum. Succedit *Diſſertatio VI de Locis N. T. quæ de λόγῳ ὑποσατικῷ agere videntur.* Loca hæc ſunt *Jo. V, 38, X, 35, XVII, 17, 1 Jo. I, 1, V, 7*, quem poſtremum locum defendit *p. 122*, præterea *Apoc. XIX, 13, I, 2, Luc. I, 2*, ubi ſermonem Evangelii intelligendum eſſe contendit, & contra diſſentientes vindicat, porro *Act. X, 36*, ubi eundem intelligit, *Act. XIII, 26, XX, 32, Ebr. IV, 12, 1 Pet. II, 8, III, 5*, ubi tamen fluctuatur, *Ebr. XI, 3*, ubi filium Dei per ῥῆμα θεοῦ intelligit, ac diſſentientes refellit, & *Ebr. I, 3*, ubi per ῥῆμα θεοῦ *ſpiritum Deitatis* exponendum credit. Excipit hanc *Diſſertatio VII*, de loco *Pſalmi XXXIII, 6, p. 148 ſeq.* in quo per verbum Dei alii ὑποσατικὸν, alii προφορικὸν, alii utrumque, intelligunt. Spiritum ibi denotare ventum, *Athanaſius* in *Hexaemeron Lib. III* contendit. Sed hic & alii hoc loco confutantur. Conſtituerat Autor edere ſyſtema de λόγῳ *Orphei*, *Platonis*, *Zenonis*, & aliorum, ſed morte inopina præpedito, promiſſis ſtare haud licuit. Succedit *Diſſertatio VIII de Locis V. T. quæ de λόγῳ ὑποσατικῷ agere dubitatur*, e. g. *Jud. XIII, 17*, *1 Reg. XIII, 17*, ubi certus revelationis divinæ modus, a viſione prophetica diverſus, deſignatur, *2 Sam. VII, 21*, conferendo cum *1 Chron. XVII, 20*, ubi per *ſervum Dei Davides* ſe ipſe intellexit, *Pſ. XXXIII, 4*, ubi verbum promiſſionis indicatur, *Pſ. XLV, 2, CVII, 20, CXIX, 89.* Sequuntur Diſſertationes *de Perſonalitate & Deitate* τῦ λόγυ, atque *de Fide*, item *Diſſ. de Origine nominis* λόγος. Id derivandum ſtatuit ex *Gen. I, 3*, & *Pſ. XXXIII, 6.* Quam excipit alia *ad Locum difficilem Joannis VIII, 25*, ubi nubes diſſentientium excuſſa eſt, & Autor ita ſenſum Chriſti ſignificat: *In principio ſum, id quod etiamnum vobis loquor.* Τὴν ἀρχὴν putat elliptice eſſe reddendum, ſubaudita particula κατὰ, ac conferri jubet

Pag. 118 ſeq. 124 128. 145. 165. 173 ſeq. 369 ſeq. 391 ſeq. 405.

Alexan-

Alexandrinos in *Pſ. CII, 26*, *CXIX, 151.* Τὴν ἀρχὴν idem eſſe ac *in principio*, apud *Hippocratem*, *Heliodorum*, *Socratem*, & LXX in *Dan. VIII, 1*, docte oſtendit. Quare Autor *Raphelii* ſententiam poſtponit ſuæ, reſpiciendum jubens ad LXX in *Prov. VIII, 22, 23*. Omittimus reliqua, feſtinantes ad *Diſſ. de Reſuſcitatis per miraculum*, quorum numero ipſum *Moſen* inſerit. Credit, concertationem de corpore *Moſis* inde exſtitiſſe (*Jud. V, 9,*), quod diabolus reſuſcitationem *Moſis* impedire ſtatuerit ac tentaverit. Nihil extraordinarii in ſepultura *Moſis* contigit, locusque fuit ſatis notus ac deſcriptus. Sed monumentum ipſum, licet in confiniis terræ ſanctæ ſitum, mortalium nullus deinceps conſpexit. Ita expoſuit Autor locum *Devt. XXVI, 6*. Eadem opinio & Judæis & Chriſtianis primis fuit probata. Ea, quæ de *Samuele* reſuſcitato circumferuntur, removet Autor, & omnia ad Pythoniſſæ fraudes meras refert, laudans *Antonium van Dale*, & *J. D. Schrammium*, a quo judicat ea eſſe occupata, quæ Cel. *Salomo Deylingius* & *J. F. Buddeus* contra hanc ſententiam in medium adduxerunt. Refellit præterea *M. J. Vitriarium* (*Juſtum Martinum Glaſenerum*), qui in hiſce *Actis A. 1722 p. 393 ſeq.* vulgaverat opinionem, qua inductus, ſibi perſuaſerat, animas in corporibus remanere mortuis usque ad diem extremum. Ipſe credit Autor, non dari bis mortuos, fomitem peccati cum ipſa morte ceſſare, reſuſcitatos non amplius peccaſſe, nec geſtaſſe amplius mortale corpus. *Quadrati* teſtimonium, ab *Euſebio H. E. Lib. IV, 3*, allatum, habet pro ambiguo, ſiquidem ad ſanatos æque a Chriſto ac ad reſuſcitatos referri id poſſit, quod longo annorum decurſu poſt Chriſti abitum ſupervixerint. Autoritatem *Epiphanii Hær. LXVI §. 34* nullius penſi ducit. Reſuſcitatos, quibus mundus erat indignus *Ebr. XI, 38*, pertinuiſſe ad piorum confirmationem, non ad Evangelium nuntiandum, exiſtimat. Vocat nos *Diſſ. hieroglyphica de Cedro*. Exponuntur in ea omnia, quæ ad cedrum ſpectant, eamque eſſe ſymbolum Chriſti, fidelium, principum piorum, legum regni Meſſiæ, principum mundanorum, & Antichriſtianismi, oſtenditur. Convertitur Lector porro ad *Diſſ. de*

Pag. 406. 415 ſeq. 418. 422. 426. 433. 438. 440.

Jeſaia nudo & diſcalceato, ad Jeſ. XX, 2. Tractatio *duabus Se-*
Pag. 471 *ctionibus* comprehenditur. *Priori* de veſte ſacco, & de calcei
ſeq. forma, agitur, ac, *Jeſaiam* non niſi cingulum a lumbis ſolviſſe,
idque extra viſionem, oſtenditur. Poſteriori complementum
496 ſeq. prophetiæ in expeditione *Nabuchodonoſoris* exponit Autor,
cum captivi, & ſervi, veſtibusque ſpoliati, ac ignominia obruti,
vagati ſunt Judæi, & Arabes. Additur exprobratio in Mo-
512 ſeq. nachorum habitum. Sequitur *Diſſ. de Deſcenſu Chriſti ad*
inferiores partes terræ, quas de ſepulcro exponit, rejectis
late aliorum ſententiis. Additur ad juvenem *Theodorum de*
Haſe, de Vindiciis *Carpzovianis*, a quodam *Lucio* tentatis,
epiſtola, ad *Eph. IV, 9.* Inprimis negat *pag. 545*, in loco *1 Pet.*
III, 19, haberi & occurrere verum Chriſti ad inferos deſcenſum,
immo in *Eph. IV, 9.* Epiſtola ipſa A. 1706 fuit exarata Tuis-
547 ſeq. coburgi ad Rhenum. Sequuntur *Tractatus uberioris de Cym-*
balis veterum rudes lineæ, ac *Fragmentum Diſſertationis de*
Myrto p. 562 ſeq. & *de Cupreſſu* p. 574 ſeq. Reliquæ de
Hierophyto myſtico deſtinationes evanuerunt. Vocem ברוש
de cupreſſu exponit, *Joſephi Antiq. Jud. VIII, 2*, autoritate
ductus & Alexandrinorum, qui plerumque reddunt ברושים
κυπαρίσσους. Omittimus Programmatum ſubjunctorum ſum-
Vol. II mas. In *Volumine II Diſſertationum* eminent variæ tractatio-
pag. 1 ſeq. nes. Prima eſt illa, quæ *de Pœnarum æternitate* fuit inſcripta,
quam propugnat contra fratres miſericordiæ & M. *Lud. Ger-*
hardum, tam ſolide, ut nihil ſupra. *Siegvolckio* hic etiam
17 ſeq. fuit ſatisfactum. Locum *1 Pet. III, 19, 20*, exponit de præconio,
quod Chriſtus in diebus *Noachi* inſtituit ad illorum convictio-
nem, qui in diluvio mortui, & ætate *Petri* in carcere inferni
88. poſiti erant. Particularem gratiam paſſim inculcat. Pars
prior tractationis eſt dogmatica, poſterior elenchtica. Se-
101 ſeq. quitur Diſſ. *de Spiritu Sancto, ſive doctrinæ orthodoxæ de Spi-*
ritu Sancto, tum dogmatice, tum elenchtice, & admodum
ſolide, ſcripta. *Capite V* adduntur vindiciæ deitatis Spiritus
ſancti. Excipiunt hanc expoſitionem copioſam *Caput IX*
de Apparitionibus Spiritus Sancti p. 322 ſeq., Diſſertatio de
Θεοπνευσίας Autorum ſacrorum *p. 354 ſeq.* quæ per V. Teſt.

N. Teſt.

N. Teſt. & prima Secula, hiſtorice fuit deducta, nec non *Oratio inauguralis de ſumma ſapientia*, A. 1720 Trajecti ad Rhenum habita, in qua de *Salomonæa* illa *Prov. VIII* prædicata ſapientia eleganter diſſerit. Succedit *Oratio de Memoria ſanctorum per ſtudium eccleſiaſticum pie & prudenter excolenda*, ac porro alia *de Inſignibus Academiæ Ultrajectinis*, in qua de *Urim* & *Tummim* exponitur. Operi ipſi ſubjunctus eſt Index quadruplex ſatis accuratus & elaboratus. Suſpicimus memoriam & merita ſummi quondam Viri, ac Cel. Editori, pro ea ornanda & conſervanda excubanti, nos admodum eſſe obſtrictos, publice profitemur. Pag. 402 ſeq.

DEFENSE DES PROPHETIES DE LA RELIGION CHRETIENNE, &c.

hoc eſt,

VINDICIÆ PROPHETIARUM RELIgionis Chriſtianæ, Autore R. P. BALTO, e Soc. Jeſu.

Tomus II & III.

Pariſiis, impenſis Didoti, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 13.

Tomo hujus Operis, de quo nuper dicere incepimus, *ſecundo* oſtendit Autor, ſyſtema exegeticum *Grotii* jam eſſe faſtiditum, ac publice repudiatum, in Marcionitis Manichæis, ac *Theodoro Mopsveſteno*. Speciatim aggreditur refellere *Grotii* interpretationes, in vaticinia *Pſalterii* ac *Eſaiæ* effuſas. In ſubſidium adhibet teſtimonia veterum Judæorum, quorum expoſitiones favent Meſſiæ. De *Davide* autem ea explicavit *Grotius*, nominatim *Pſalmum XXII*, (qui in vulgata eſt *XXI*,) veſtigiorum *Theodori Mopsveſteni* fautor. Refutat eum ex profeſſo *Baltus*. In *Pſalmo XLV* divinitas Chriſti dilucide indicatur. Nihilo ſecius *Grotius* eum de *Salomone* expoſuit. Quid mirum, ſi Rev. *Baltus* ejus ſententiam invadat, ſiquidem *Auguſtinus* ac *Theodorus Mopsveſtenus* jam rectius *Grotio* eum *Pſalmum* fuerint interpretati. Addit deinde difficultates quasdam & objectiones, easque haud invita Minerva extricat. *Grotius Pſalmum LXXII* de *Salomone*, Noſter vero de Chriſto, exponit. Certe de Chriſto ibi canitur. T. II. Pag. 21 ſeq. 33 ſeq. 43 ſeq.

Qui enim *Salomo* exſtitit ante ſolem? Quomodo per eum *be-*
Pag. 49 *nedicti* eſſe potuerunt omnes populi? Num *Salomo* a mari eo
ſeq. ad occidentale, ac a cardine terræ uno ad alterum, dominatum
exercuit? Anne omnes terræ Reges eum adorando proſecuti
60 ſeq. fuerunt? Hiſce egregie explanatis, *Baltus* ad *Pſalmum CX*
ſeſe confert, ac, eo præcipuas Chriſti perfectiones, ante omnia
autem divinitatem & ſacerdotium ejus ſempiternum, delineari
coloribus luculentiſſimis, contendit. Tum ad *Eſaiam* a frivolis
*Grotianis*que interpretationibus vindicandum procedit idem. Illi-
76 ſeq. co primordiis a primis *duobus Capitibus* captis, it demonſtratum,
ea ad ruinam Hieroſolymorum, *Veſpaſianorum* opus, eſſe re-
83 ſeq. ferenda. Cum ea enim ruina rejectio Judæorum, atque ſin-
gularis ceterarum gentium evocatio, fuit conjuncta. Diligenter
92 ſeq. diſſerit ad *Eſ. VII, 14*, de virgine, Immanuelem paritura. Ac
Eſaias ſignificat, terram utramque, Syriam & Israelitida, or-
batum iri Regibus, quos tum *Achas*, Rex Judæ, metuebat, nem-
pe *Rezino* & *Pekacho*, antequam *puer ille* (*v. 16*) noſſet fa-
cultatem internoſcendi bonum ac pravum. Sed hunc puerum,
in quem digitum intendit *Eſaias* præſentem, crediderimus ab
Immanuele prorſus eſſe diverſum. Quæ ſi expoſitio repudie-
tur, non videmus, qui *Grotio* poſſit ſolide reſponderi ex adverſo.
Autor deinde id ſibi datum credit operæ, ut oſtendat, *Grotium*
perperam typos ac prædictiones confundere, Patrum teſtimo-
112 ſeq. nia eum in finem ſiniſtre allegare, addens & hoc, *Juſtinum*
prædictionem de virgine paritura expoſuiſſe de Maria, Chri-
ſti matre, ac prophetias illiusmodi appellaſſe *demonſtrationes*.
130 ſeq. Quid de prædicationibus, abſtruſi abditique ſenſus, ſit ſtatuen-
dum, copioſe diſſerit. Deinde ad vindicandum illud de *pue-*
148 ſeq. *ro nobis dato* vaticinium *Eſ. IX, 6*, ſe convertit, monſtrans *Grotii*
emendatam expoſitionem, qua priorem, eamque contortam, ſu-
ſtulit ac mutavit. Defendit poſtea prædictionem, quam de Chriſto
156 ſeq. *Eſaias* protulit *Cap. XI*, *Grotium*que armis victricibus debellat,
qui *Hiskiam* ibi fruſtra ſibi viſus fuerat deprehendiſſe. Tum
165 ſeq. ad *Caput XXXV* gradum promovet, quod ad *Hiskiam* trahere
denuo *Grotius* allaboravit. Tandem *Caput XL* ac ſequentia
Eſaiæ a detorſionibus *Grotii* aſſerere in lucem ſtuduit.

Tomum

Tomum III Richardo Simonio refellendo ac impugnando voluit proprium dicatumque. Nam & hic tradidit, Chriſtum miraculis, non prædictionibus, eventum ſortitis, miſſionem ſuam probaſſe. Rev. *Baltus* contra contendit, veritatem religionis Chriſtianæ non minus prædictionibus, quam miraculis, fuiſſe ſuperſtructam. Prædictiones ad loca ac tempora plura ſeſe diffundunt, quam miracula. *Simonius*, Chriſtum & diſcipulos amaſſe מרשים interpretationes allegoricas, ſibi perſuaſit. *Baltus* in alia diſcedit omnia, oſtenditque, paraphraſes Chaldaicas antiquiſſimas eſſe translationes, non allegoricas, ſed literales. *Simonius*, interpretationes, quibus de Chriſto agitur, eſſe allegoricas, exiſtimavit. In hoc telo, omnium quippe exitioſiſſimo, adeo exercet vires ſuas retundendo, ut conatus ipſius & diligentiam & plerumque ſoliditatem prodant.

T. III pag. 15. 24. 37. 44.

COMMENCEMENT DE L'HISTOIRE DE l'Egliſe, ou Paraphraſe ſur les Actes des Apôtres, &c. hoc eſt,

INITIA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, ſeu Paraphraſis Actorum Apoſtolicorum, adjectis ad marginem verbis Latinis, cum notis, e Patrum complexu, & ex optimis Commentatoribus, deſumtis, opera Religioſi Benedictini ex Congregatione S. Vanni & S. Hydulphi.

Partes III.

Pariſiis, proſtat apud viduam Ganovii ac Ganovium, 1738, 12. Alph. 1 plag. 3.

Sincero ac limpido ſcripturæ generi, quo *Lucas* in conſcribendis *Actis* uſus fuit, Autor exiſtimavit affundi poſſe ornamenta ad placendum apta, & Paraphraſeos delicias. Si quid ſeſe ipſi obtulit, primo obtutui haud obvium, ac expoſitione dignum, id enodare aggreſſus fuit in notis, contextui *Lucæ* ſubjectis. In Præfatione, *Parti I* præmiſſa, de autoritate *Actorum* Apoſtolicorum exponit, ratus, Chriſtianis ætatis primæ univerſis poſſeſſiones omnes inter ſeſe fuiſſe communes, quam

quam quidem opinionem ſuffragio noſtro videri dignam, merito negamus. Dabimus ex opuſculo ipſo ea, quae nobis videntur eximia in utramque partem. Voces *per Spiritum*
Pag. 2. *ſanctum I, 2*, conjungit cum voce *elegit*, quia Chriſtus Apoſtolos ſuos, afflatu & inſpiratione Spiritus Sancti præmunitus, delegerit. Verba ἣν ἠκούσατε, μου v. 4, ubi vox μου ad πατρὸς eſt referenda, vulgato præeunte, qui habet, *quam*
3. *audiſtis per os meum*, hoc ſenſu induit: *expoſui vobis, ipſum eſſe illum, qui per os meum vobis promiſit Spiritum ſuum.* Ad *verſum quintum* refellit illos Eccleſiæ Patres, qui credidere, Apoſtolos ante Pentecoſten celeberrimam & miraculis inſignem haud imbutos fuiſſe aqua luſtrali, ſeu baptismo, nominatim *Tertullianum*, *Chryſoſtomum*, *Theophilum*, *Euthymium* in
13. *Joannem*, & S. *Hieronymum* contra Luciferianos. *Judam Iſcarioten* refert inter eos, qui nunquam non gratiæ divinæ manent exſortes. Sonum repente de cœlo ortum, cujus fit *Act. II, 1*, mentio, arbitratur cum tonitru fuiſſe conjunctum.
20. Refellit *Gregorii Nazianzeni* opinionem, *Or. 44* expoſitam, rati, Apoſtolos una, eaque natali, lingua locutos, auditorum
22. vero in auribus id exſtitiſſe miraculi, ut crediderint hi, illos re vera adhibere linguas complures. *Auguſtinus* jam, in *Pſ. XVII, 2*, commentatus, hanc ſententiam eliminaverat. Quomodo autem hac ratione ſibi ille tantopere prædicatus Patrum conſenſus conſtare poſſit, nos quidem ignoramus. Ex vino dulci veteres ſumſiſſe partem mane ante omnes cibos reliquos, Autor Pl. Rev. exiſtimat, eoque reſpexiſſe empæctas *Act. II, 13*, dicentes: *muſto pleni ſunt iſti*, credit. Quæ quidem ſententia
27. apologiæ *Petri* minus reſpondet, quam irriſorum ſcopo. Po-
56. ſtrema *inciſi 13 Cap. III* Autor ita reddit planiora: *quem vos quidem tradidiſtis Pilato crucifigendum, & negaſtis ante faciem ejusdem Pilati, eſſe Regem veſtrum, cum hic Judex judicaret, illum tanquam innocentem dimittendum, & nullatenus morte afficiendum eſſe.* Per τὸ μένον *Act. V, 4*, reſpici putat ad agrum, ita παραφράζων: *nonne ager non venditus tibi permanebat?* At de agro ibi nihil dicitur. Κτῆμα *poſſeſſio*, cujus fit mentio, latius agro patet. Hoc κτῆμα vocatur *v. 11*,

χωρίον,

Digitized by Google

χωρίον, quod horto, prato, & agro, designando commune. Ad illustrandum *v.* 15 laudat locum *Jo. XIV, 12*, ubi Chri Pag. 98.
stus suis promittit, ipsos miracula majora miraculis Christi edituros. Scholam Libertinorum ex libertinis, seu manumissis, 119.
appellatam arbitratur, opinans, *Stephanum* in oratione sua protulisse nonnihil, ex traditione, vel speciali revelatione, profectum. Huc refert, Deum *Abrahamo* apparuisse in Me- 127.
sopotamia, antequam hic sedem fortunarum Charanum transtulisset. *Simon* Magus traditur ab eo exercuisse magiam, li- 163.
cet, cujus generis illa exstiterit, haud adjungatur. *Cornelium*, credit, adorasse creatorem cœli terræque, legem naturalem religiose servasse perinde ac primaria legis moralis capita, inter Judæos solita doceri. Vulgatum Interpretem dimittit, 205.
qui *Act. XXVII, 5, Lystram, quæ est Lyciæ*, habet loco *Myræ*, Lyciæ oppidi, recte ostendens, Lystram exstitisse nullam intra Lyciam, potius vero ipsam Lystram Lycaoniæ esse attribuendam. Meliten *Pauli* pro Malta habet *pag. 279*. Non 261.
possumus, quin perspicuitatem & elegantiam interpretationis hujus copiosioris suis ornemus encomiis, non minus aperte ingenueque confitentes, annotationes, parcius subjectas, diligentiam & aciem judicii haud mediocrem spirare.

Harmonia und angenehme Ordnung zwischen den sechs Schöpfungs-Tagen, Ruhe, Fall, auch Fluch der Erden, und deren jährlichen Wieder-Erneuerung, ꝛc.
hoc est,
HARMONIA ET SUAVIS ORDO INTER sextiduum creationis, quietem, lapsum, maledictionem terræ, & anniversariam renovationem ejusdem inde a contractissimo die usque ad diem longissimum, una cum anniversaria corruptione a longissimo ad brevissimum diem per curriculum anni & septem adscendentia ac descendentia novilunia, in annotationibus nonnullis & facili paraphrasi trium priorum Geneseos Capitum, ubi simul eorum delineatio in symbolis orbitæ solaris cum

dracone cœli exhibetur, nec non multa ex Homero & Hesiodo luculentius exponuntur, a D.C.S.G.O.B.F.J.
Sine indicio loci, 1740, 4.
Plag. 21.

Locum & typographum æque ac Autorem ingenioſæ hujus meditationis ignoramus. Fuerunt tamen, qui nobis perſuaderent, compoſitum hunc libellum a *Polycarpo Godofredo Müllero*, cohortis *Zinzendorfianæ* primipilum, nuper e vita egreſſum. Autor, quisquis eſt, in ea eſt opinione, *Adamum* delineaſſe hiſtoriam creationis, lapſus, ac terræ maledictionis, per aſteriſcos Zodiaci annuos in ſempiternum rei monumentum. Meditationem hanc ipſam Autor pro probabili & problematica habet, ratus tamen, empæctis & novarum hypotheſium creationis conditoribus hac ratione occurri poſſe. Translationem ipſe, ſeu paraphraſin, novam trium *Geneſeos* Capitum ubique præmiſit, & eam ad ſedem *Adami*, in Aſia ſitam, inflexit, de reliquo autem verſioni *Lutheri* nullam vim intulit. In Annotationibus ſubjectis opinionem ſuam latius evolvit. Cum facie telluris vaſta & inani comparat brumale tempus. Theogoniam *Heſiodi* cum *Moſe* in contentionem adducit, chao accommodans *tohu* illud & *bohu*, ſeu *inanitatem & vaſtitatem*, *Gen. I, 2*, tartaroque aſſignat illud *tehom*, ſeu abyſſum, *amorem* trahit ad ſpiritum, occupatum aptis motibus, abyſſoque incubantem. In Aſia putat cœpiſſe ſub rerum exordio crepuſculum, ſole ad tropicum Capricorni inclinante. Novilunium ſemper inchoatur veſperi, haud alio tempore. Sextiduum creationis per ſex novilunia com-
Pag. 6.
13. putat Autor, contrarius eis, qui ſex illos dies autumant
15. fluxiſſe continuos. Primo creationis die credit utramque aquam fuiſſe junctam invicem, ſecundo quippe die demum ſejunctam. Aquam ſuperiorem exponit de ea, quæ nubibus continetur. In Aſia enim intra Februarium dari putat expanſionem aeris majorem *v. 8*, Martio autem aquas defluxiſſe ac formaſſe alveos, intra quos decucurrerit, quo facto partes aridas telluris redditas fuiſſe aridiores, & gramina herbas-
17. que ſuccreviſſe *v. 11, 12*. Aprili inde credit ſolem, lunam,

ac

ac ſtellas, fulſiſſe, diſſipatis aeris nubibus vaporibusque, cor- Pag. 21.
pora vero cœleſtia primo ſtatim in exordio rerum creata fuiſ-
ſe, repugnans eis, qui lucem primigeniam putant ad quar-
tum uſque diem vices cœli ſtelliferi ſuſtinuiſſe. Ad Majum 26.
refert mentionem operum quinti diei ac piſcium aviumque,
fœtibus procreandis tunc per Aſiam intentorum. Ad Junium
refert creationem beſtiarum, viridem herbam edentium, &
hominis, cui permiſſa fuerit facultas eundi tum intra, tum
extra, hortum Eden. Felicem hunc telluris ſtatum putat 33.
ſeſe deprehendiſſe in duobus amœnis fortunatisque locis,
ab *Homero* deſcriptis. Septimum diem exponit per ſolſti-
tium & vocem תולדות per generationes, quibus e mate-
ria apta unum poſt alterum evolvitur, ac in vitam lucem-
que prodit. Id unum nobis vellicat aures, unum *νυχθήμε-*
ρον poſt alterum apud *Moſen* ſuccedere, quod quomodo cum
noviluniis in concordiam redigi poſſit, haud videmus, niſi pu-
tes, *Moſen* reſpexiſſe ad noctem diemque lunæ, quæ tamen
ſententia eo videtur improbabilior, quo magis *Moſi* cum ter-
ra & hominibus eſt negotium. Lunam quarto die illuxiſſe
demum, credit Autor. Quo itaque reſpectu ante diem quar-
tum lunæ dies & nox tribui poſſit, nobis videtur inconcin-
num. Idem ſibi perſuadet, ſolem in ſolſtitio reſpectu Aſiæ
fuiſſe perſtiturum, ſi homo in ſanctitatis, ſecum communicatæ, 43.
præſtantia perſtitiſſet: ita eum nunquam ſenſurum fuiſſe hie-
mem, quæ arboribus decutit honores. Liceat autem ſuſpi-
cari, perpetuum ejusmodi ſolſtitium ſapientiæ divinæ, per
terræ univerſum ambitum declarandæ, inhabile & ineptum
prorſus eſſe inſtrumentum. Et quis divinare audebit, ſuffe-
cturos plantis arboribusque humores, niſi ſol deſcenderit ad
Capricornum? Situm Paradiſi & fluminum Paradiſiacorum 45.
Autor Aſiæ transſcribit. Promulgatum a Deo interdictum 47.
Paradiſiacum, & legislationem Sinaiticam, idem ad ſolſtitium
revocat. Propinquitatem ſanguinis negat eſſe fundamentum
vetiti inceſtus, ſed occaſionem propinquam convertendi fa-
milias in lupanaria, debilitandi corpus, depravandi firmita- 50.
tem generis humani, &c. Deum commoviſſe ad interdicendum

gradibus nonnullis conſanguineorum & affinium. Notat Autor, inde a bruma uſque ad ſolſtitium animalia in Zodiaco inveniri pura ac minus noxia. Cancrum labis Adamiticæ ſymbolum eſſe, arbitratur, addens, ſolem ad Capricornum haud fuiſſe deſcenſurum, niſi homo peccato ſeſe vitiaſſet; ſtre-
Pag. 58. pitum ac vocem Dei, *Gen. II, 8*, memoratam, ſigna eſſe tempeſtatum graviſſimarum & tonitru rugientis leonis ob *Pſ. XXIX, 3*, & *Job. XXXVII, 2, 3, 4, 5*; citatum ad tribunal Dei *Adamum* deſignari aſteriſco Aſtrææ, ſeu virginis; pronuntia-
61. tum decretum, protoplaſtis oppoſitum, latere in libra; maledictionem, terræ impertitam, ſignificari aſteriſco ſcorpionis. Promiſſionem, de ſemine mulieris evulgatam, trahere
105. ad ſagittarium videtur. Alibi tamen ſagittarium credit eſſe ſymbolum *Adami*, e Paradiſo ejecti, & colendo agro præfecti. Theoriæ huic ſubjungit admonitionem, qua docere conatur, hypotheſin hanc nec in ſacras literas peccare, nec ſua
83. deſtitui probabilitate. Annectit tres, e lumine rationis depromtas, propoſitiones de Deo unice æterno, & rebus ab eo creatis non æternis. Succedit ejusdem ſcriptum Latinum,
87. cujus eſt inſcriptio: *Hiſtoria creationis, lapſus, judicii, & executionis, in Zodiaco, ad perpetuam rei memoriam juxta ſitum Aſiæ, olim veroſimiliter menſibus & ſignis aſtrorum inſerta, uti per admirabilem ordinis harmoniam inter dies creationis, & quæ ſequuntur, ac dies noviluniorum apparentium per annuam revolutionem, veroſimillime apparet.* Perſpicue Autor hic denuo proponit hypotheſin ſuam, quam in libello
109. primo Germanico jam dederat luci. Hanc excipiunt *Theſes fundamentales de ortu & ſignificatione ſacrificiorum cum nonnullis maxime veroſimilibus.* Sacrificia haud deberi inventis humanis, oſtendit, ſed revelanti Deo, qui eis mortem & reſurrectionem Chriſti voluerit delineare. Illa jam in Paradiſo fuiſſe inſtituta, & ab utroque parentum primorum cele-
113. brata, idem eſt autor, inductus potiſſimum ſigno arietis. En ejus verba: *Aries cæli, quando heliace occidit, radiosque, ſeu ignem, ſolis intrat, ſuo modo ſacrificatur, & ex radiis ſolaribus iterum oriens, vel reſurgens, victorioſe cælum adſcendit, diu-*

turnitas

Digitized by Google

turnitas noctis præ die tunc quoque evaneſcit, damnum & execratus ſtatus hiemis finitur, terræque pax largitur, ad regenerandum, fructusque uberrimos producendum. Operæ pretium ducit, notare, ſacrificiis proprias fuiſſe capras, oves, tauros, & boves, caprum pertinere ad Januarium, arietem ad æquinoctium vernum, taurum eſſe Maji aſteriſcum. Tandem ſubdit: *Immolatio hominis ad imitationem ſolis in geminis ſoli Deo libera & reſervata permanſit.* Nobis tam felicibus eſſe haud contigit, ut nexum in hiſce ſolidum detegere poſſemus. Deus enim ob ſigna Zodiaci haud deſtinavit in victimas genera animantium certa. Non minus ipſe ſibi perſuadet Autor, tabernaculum totum cum omnibus ſacris, ritibus, & cerimoniis, ad hunc ordinem ſolis in cœlo viſibili, illiusque influxum in terram conſtitutum & diſpoſitum eſſe, ad depingendam œconomiam ſolis juſtitiæ in cœlo ſpirituali, inviſibili, & æterno. Singularis præterea eſt hæc ſententia: *Non eſt ineptum, opinari, forſan ex velleribus caprinis Adamo, ex ovibus autem Hevæ, prima indumenta fuiſſe aptata, ex taurinis vero velleribus ſtragulum & operimentum ad ſomnum capiendum donatum, propterque hoc beneficium ſacrificiorumque inæſtimabilem reſpectum & ſignificatum ad perpetuam memoriam, ſtatim ab Adamo, jubente, vel promittente, Deo, primo menſi a puncto brumali ſignum capri, quarto autem menſi a puncto æquinoctii vernalis ſignum arietis, et quinto menſi tauri eſſe inditum, ceteris vero menſibus anni juxta ordinem & qualitatem creationis, lapſus, & judicii divini, annuæque revolutionis, nomina & ſigna, congrua hiſtoriæ creationis, fuiſſe impoſita, quæ deinceps figuris in aſtris ſint obſignata, indeque deducendum, quod hodie poſt tantum decurſum ſeculorum figuræ, vel imagines, ſignorum Zodiaci cum punctis æquinoctiorum & ſolſtitiorum non coincidant, ſed multo ſerius radios ſolis intrent.* In calce apparet ſcriptum Germanicum, quo comparatio tabernaculi oracularis *Moſaici* atque habitationis Dei in cœlis, ex hypotheſi eadem deducta, ſeſe offert. Adjecit duodecim *Jacobi* filios, æque ad duodecim Zodiaci ſigna relatos, & initio quidem a Capricorno ac Rubene facto. Quæ-

Pag. 116. 117. 120. 121.

ris, Lector, quid nobis videatur de hac hypotheſi ſentiendum? Pace Autoris, humaniter & manſuete ſignificamus, ac quæſtioni ſubjungimus reſponſionem, multum ſimilitudinis ineſſe hypotheſi illi, at ſoliditatis haud tantundem. Monuimus jam, ſex dierum per *νυχθήμερα* computationem cum ea haud congruere. Et cur, obſecramus, ſubſtitit in hiſtoria *Adami* e Paradiſo ejecti? Quidni ad cataclyſmi uſque originem proceſſit? Longitudo certe fixarum mutabilis eſt ſecundum ſucceſſionem ſignorum in conſequentia. Singulis enim annis 72 illa gradu uno augetur, ideoque creſcit intra annos 5000, id eſt; 79°, 11′, quo ipſo intelligitur, *Adami* ætate capricornum cum novilunio Januarii temporis ratione haud congruiſſe, arietem potius Januarii, vel Februarii, exſtitiſſe ſignum. Chaldæi potius Zodiaci fuerunt autores, & in ejus ſignis conficiendis ad terræ ſolisque indolem reſpexere. Tabernaculum oraculare fuit conformatum ad notionem Domini Regisque, qui ſuis præſidet, & adminiſtris gaudet admiſſionis diverſæ, qui præſtantiſſima obtinet a ſuis dona, conſultatur, juſſa & edicta in omnem edit partem, focum ignemque ſibi tenet apparatum, peccatisque ſuorum veniam indulget ob ſanguinem Meſſiæ futuri typicum. Ex hac notione univerſa œconomiæ *Moſaicæ* compages facillime eſt explicabilis. Dubitamus ſane, an id veritati ſit conſentaneum, quod Autor de originatione nominis *Aſſer* attulit. *Aſcher* ipſi eſt *tonans*. At *feſtx* & *Aſcher* haud differunt ſignificatu. Omittimus reliqua, quæ moneri poſſe videbantur, idque unum obſecramus Lectores, ne diviniores literas deſinant venerari, licet animadvertant, hypotheſes aſtronomicas ab eis eſſe oppido alienas. Antequam vero colophonem addimus recenſioni, operæ pretium fuerit indicaſſe, Autori eidem nos debere Specimen Phyſicæ ænigmaticæ, alio tempore a nobis plenius commemoratum, in quo mythos poetarum, theogoniam *Heſiodi*, *Homeri* fabulas, & imagines globi cœleſtis, ex eadem hypotheſi, quam ſignificavimus, exponere aggreſſus fuit.

Pag. 149.

HISTOIRE

HISTOIRE DES TREMBLEURS.
hoc eſt,
HISTORIA TREMULORUM.

Sine indicio loci, 1733, 8.

Plag. 13.

Liber ipſe typis publicis Lutetiæ videtur deſcriptus, & Autore gaudet R. P *Franciſco Catrovio* (Catrou), ſocietatis, a Jeſu cognominatæ, conſorte, quem conſtat eadem ætate edidiſſe *Hiſtoriam Fanaticiſmi in religione Proteſtantium.* De Quakerorum origine ac progreſſu, præcipue in Aſia, hic commentatur. Fontes in medium adhibuit haud unos. Veſtigia preſſit *Gerhardi Croeſi.* Nec tamen neglexit opera ipſa *Foxi*, *Penni*, ac *Keithii*, Quakeriſmi anteſignanorum. Libellus ipſe fuit quadrifariam diſtributus, ac in *quatuor Partes* diviſus. *Prima* ab ortu Quakeriſmi ad annum 1658 decurrit. *Secunda* ad annum 1666 uſque progreditur. *Tertia* anno 1681 terminatur. *Quarta* procurrit ad tempora recentiſſima. Scopus Autoris pellucet ex verbis, quibus Hiſtoriam hanc concluſit, quæ ita habent: *Deus, hæreſes ut exoriantur, permittit, præpoſteræ vero cupiditates hominum inveniunt & ſuſtinent illas. At dogmata religionis genuinæ illas confeſtim ſedarunt, ſimul ac illis inhæretur, & congruenter vivitur. E contrario in ſectis, quæ non niſi ſacras literas, aut inſpirationem cuivis propriam, pro judice controverſiarum admittunt, lites nectuntur infinitæ, ac eccleſiæ ſeparatæ non habent amplius principia certa, ad concordiam inſtaurandam. Quo magis ratiocinamur, eo magis homines exiſtimant ſibi jura fuiſſe conceſſa, lites & exceptiones ad omnium ſeculorum decurſus repetendi.* Verum, qui norunt modum convincendi, ab Apoſtolis primisque Chriſtianis adhibitum, eis inſolitum haud videtur, exſtitiſſe tum vel maxime hæreſes prodigioſiſſimas. Turci etiam externis acerbioribusque adminiculis diſſentientes ad ſilentium redigere, & ſocietati externæ cœtus ſui ſacri aggregare, norunt. At veram & tenere & debite propugnare religionem, hominesque per emendationem animi,

mi, non turbæ externæ & numero augendo, ſed Chriſto, lucrifacere, in eo cardo rei vertitur. Qui diviniores literas haud ſolas pro norma fidei vitæque admittunt, quomodo ii a Fanaticiſmo abſolvi queant, nos quidem haud videmus. Nam ea, quæ literis ſacris contraria adduntur, ſuperſtructa erunt vel unius, vel complurium, vel univerſorum, fictionibus, quas rurſus alii per viam traditionis amplectuntur, alii fictionibus novis augent. Ut verbo dicamus, Fanaticorum error verſatur potiſſimus in eo, quod, verbum, non ſcriptum, literis ſacris vel æquiparare, vel ſuperius ac præſtantius eſſe eidem, ſibi aliisque perſuaſum eant. Hic error prorſus e diametro repugnat doctrinæ Proteſtantium. Si intermiſſio ratiocinationis legitimæ, & mentis obtuſa habitudo, eſt ſola ad orthodoxiam via, tunc periculum eſt, ne in ſcyllam incidamus, fugientes charybdim. Perſonat potius animum illud Pauli-
Pag. 1. num: *Judicate ea, quæ profero.* Fanatici, Autore haud diffitente, fuerunt propago Anabaptiſtarum, quos tamen demum exortos eſſe, exortis Proteſtantibus, nemo facile credet.*) Quakeriſmo id proprium eſſe, exiſtimat idem, quod iſte fanaticiſmum redegerit ad principia, & per modum ratiocinationis ſtabilire contenderit inſpirationem particularem pro ſola fidei noſtræ
2. regula. Autor opinatur, cacodæmonem olim Pythiam reddidiſſe trementem & fanaticam, ac per eam edidiſſe oracula. Tremulos Angliæ excuſat eo ſaltem nomine, quod omnium
4. hominum ſtudioſiſſimi ſint pacis. Ipſe ſibi perſuaſit, Schiſma, ſub *Henrico VIII* exortum in Anglia, hæreſibus monſtroſis fuiſſe fœcundum, ac anno demum 1649 Quakeriſmum exſtitiſſe, autore *Georgio Foxio*, legendi vix perito, & parum
26. eloquente, ambitioſiſſimo, & nil niſi ſumma ſpirante. Omittimus recenſionem de *Foxio*, ſatis copioſe allatam, quem Autor habet pro Socinianiſmi aſſectatore & Deiſta. *Tuchtfeldii* imaginem in *Foxio* deprehendimus, ſi illius indolem & opiniones cum ſententiis hujus in contentionem adducere libue-
44. rit. Id præcipue notat in *Foxio* Autor, quod ille haud aliter

ac

*) *Cyrillus* Hieroſol. in Præfatione Catecheſeon *pag.* 5: *Soli hæretici rebaptizantur*, ἀναβαπτίζονται.

ac Pontificii adverſus Proteſtantes obſcuritatem ſacrarum literarum admodum traduxerit & accuſaverit. Ipſe inde corollarium deducit, quod præcipit, ut credamus, divinitus conſtitutum eſſe tribunal ſacrum in terris, ex cujus deciſione ac pronuntiato interpretationes ſacrarum literarum ſint determinandæ. At, niſi deciſiones ejusmodi ſæpiſſime laboraſſent contradictionibus, niſi carerent vi animos convincendi, niſi de illo tribunali, ejusque legitima indole, an monarchica, an ariſtocratica? tot eſſent controverſiæ inter illius tribunalis cultores, verbum ſane non adderemus amplius. In theſi ſane *Foxus* & *Foxiani* concordabant cum Autore. Deciſionem enim ex tribunali interioris inſpirationis & *Foxus* & *Foxiani* arceſſebant, eoque *Foxii* proprio. Aberrabant non in dogmata, ſed in dogmatis duntaxat ad tribunalis præſidem applicatione. Inter hæc videtur mirandum, cur Chriſtus ipſe nullum tribunal adſpectabile Judæos inter & Samaritas, Philoſophos ſimulacrorum cultores, Phariſæos, Sadducæos, Eſſæos, Gaulonitas, Herodianos, aliosque diſſidentium partium patronos, erexerit. Miramur, cur Apoſtolis ille mos haud arriſerit. Niſi forte, Chriſtum, credas, regno gaudere, quod non ſit de hoc mundo, ſed delectari regno, quod conſiſtit in juſtitia, amore, & pace animi. Miramur, cur *Paulus* diſſenſionem, ſibi cum *Petro* intercedentem, haud ſubmiſerit externo tribunali. Miramur, qui fieri poſſit, ut homo clarius poſſit ſenſa ſuæ mentis exprimere, quam ipſe Deus fecit in ſacris literis. Si Dei verbum eſt obſcurum, ac deciſore perpetuo indiget, quanto magis verba hominis erunt obſcura, & in unoquoque loco, ubi legendo cognoſcuntur, interprete ac pronuntiatore novo indigebunt? Verum & hiſce objectionibus diluendis paſſim Autor invigilavit & intentus fuit, licet e re ſua eſſe negaverit, ex profeſſo id altum ingredi. Doctores Proteſtantium primos, Rev. Autor exiſtimat, ſtabiliendo *ſpiritui privato*, loco illius tribunalis de- Pag. 45.
ciſorii, faviſſe, & eo pacto Quakeris proluſiſſe, ſiquidem ſpiritus ille privatus deducat ſua ſponte ad Fanaticiſmum. Liceat autem & hoc addere, quod Fanaticiſmus ſuperſtructus

ſit verbo non ſcripto, ac ſententiæ, quæ tribunalis deciſorii neceſſitatem efflagitat & ſuadet. Fanatici ea tamen intrinſecus quærunt & in pectore ſuo, quæ alii ultra montium juga eſſe conſtituta credunt. Unde pateſcit, utris Fanatici ſint ſimiliores, utris conferri poſſint rectius ac verius. Et quam vellemus, Autor propoſitiones ſingulas teſtimoniis fide dignis
Pag. 52. roboraſſet! Vix enim a nobis impetrare poſſumus, ut credamus cum Autore, *Foxum* Proteſtantibus Anglis exprobraſſe durum illud reprobationis decretum abſolutum. Quis enim ignorat, quam libere illud Angli plerumque repudiaverint? Singulare id quoque videtur, quod Autor putet, Proteſtantes haud fuiſſe aptos ad doctrinam ſuam contra Quakeros tuendam, ſed
57. ſpiraſſe potius pœnas & coercitiones, violenter hiſce illatas. De *Swintonii*, *Davidis Barclaji*, ab eo in carcere Edimburgenſi ad avia Quakerorum dogmata abducti, *Roberti Barclaji*, filii, & aliorum, vitis & fatis complura commentatur idem, quæ
93. prætermittere cogimur. Id tamen videtur memoratu dignum, quod Autor ipſe largitur, & pro vero reputat, ſcilicet Quakeros myſticos Pontificiorum libros lectitaſſe, ac ex eis deſumſiſſe loquendi formulas, ipſumque *Barclajum* juniorem in religione Pontificia fuiſſe educatum. Undenam igitur orti ſunt
98 ſeq. Quakeri? Nonne Myſticorum ſunt ſoboles? Admiramur illam Quakerorum in perferendis calamitatibus inſultibusque conſtantiam, quæ, ſi Autoris fide ſtamus, a conſtantia primorum Chriſtianorum ne latum quidem unguem eſt remota. Quando autem Autor ſibi perſuadet, Proteſtantes erroribus Quakerorum refellendis ac deſtruendis eſſe impares ac ineptos, plane a janua aberrat. Quibus enim utuntur argumentis ſolidioribus Pontificii contra Quakeros, quæ a Proteſtanti-
102. bus haud adhibeantur? Veremur, ne illi, qui Myſticos ferunt, & verbum internum, hiſce probatum, dimittunt intactum, ac præterea verbum externum, æque haud ſcriptum, amplectuntur, a primario Quakerorum principio prope abſint, tantum abeſt, ut Quakeris ſoli poſſint errores ſolide
281 ſeq. eximere. Claudit Autor librum exitu ſuperioris ſeculi, ac decreto procerum Angliæ, in *Keithium* lato & promulgato, ratus,

tus, Quakerismo vulnus desperatum incidisse ex dissidiis intestinis, quæ a sola exulent ecclesia Pontificia. At, qui historiam callent ecclesiasticam, longe secus de qualicunque illa externa Pontificiorum concordia statuunt. Miramur, cur Rev. Autor memoriæ id prodere omiserit, quod *Georgius Keith* discesserit tandem a secta Quakerorum, ac eo fine ediderit Londini A. 1702, 8, *Vexillum Quackerorum examinatum*, Anglice conscriptum, de quo conferenda sunt *Acta* nostra ad *A. 1703 pag. 390 seq.* Ad scopum Autoris illustrandum laudabunt alii *Gothofredi Olearii Diss. de Fanatismo Papæo in doctrina de principiis fidei*, Lipsiæ emissum. Nos in recensione acquiescimus, ac diligentiam Rev. Autoris prædicamus.

HISTOIRE DE LEOPOLD, EMPEREUR D'OCcident, &c.
hoc est,
HISTORIA LEOPOLDI, IMPERATOris occidentalis, complectens memorabilia, quæ evenerunt intra Germaniam, Hungariam, Poloniam, Daniam, Sueciam, Belgium, Gallias, Hispaniam, Lusitaniam, Sabaudiam, Pedemontium, ac Italiam, inde ab anno 1618 usque ad A. 1705, 5 Maji. Adjectæ sunt Notæ criticæ, historicæ, ac geographicæ.
Hagæ Comitum, sumtibus sodalium, 1739, 12.
Alph. 1.

Scribimus indocti doctique poemata passim. Hoc *Horatii* noema in libros generis cujuscunque quadrat. Juvat nosse classem, cui hic Noster addicendus. Ut Lectori id ipsum suboleat statim, & ipse suis oculis possit ad cernendum uti, operam navabimus haud indiligentem. De *Leopoldo* Imperatore librum promittit Autor, nihilo minus ab anno 1618 telam orditur. *Libri tertii* finis anno concluditur 1674. Præmissa libro ad lectorem admonitio complectitur somnia, siquidem repetuntur in ea Jesuitæ *Buganti* verba ex ejus quadam Præfatione, quæ, judice Nostro, plus somniorum, quam

verborum, complectitur. Exordium libri sic habet: *Post excessum Ferdinandi III Leopoldus, filius ipsius, haud sensit in*
Pag. 2. *collegio electorali judicia, gratæ animi virtutibus, qui in tanto Principe eluxerat, consentanea. Pauci decessorum Ferdinandi III tantum ardoris ostenderant pro incremento religionis Romanæ, & ad exstirpandam hæresin.* Deflectit hinc ad edictum restitutionis, quod ad annum 1622 refert, & oppositum fuisse
5. putat Reformatis. Deinde id promulgatum tradit A. 1629, 6 Martii, nec Lutheranis molestum fuisse credit, ob pacem
7. Passavienſem tum securis. Germanis, qui *Ferdinandi II* molitionibus refragati fuere, rebellionem imputat. Causas, quæ Regem Galliarum induxerunt ad fœdus cum *Gustavo Adolpho*, Suecorum Rege, ineundum, nomine fictionum, seu
9. prætextuum, insignit. Ex *milite Sueco* testimonia subinde compilat, usurus jure majori monumentis *Puffendorfii. Gustavum Adolphum* primo congressu in pugna ad Lutzenam tradit
14. occisum, quem norunt omnes ante congressum ipsum inter explorandum exspirasse. Fœderatos Sueciæ cessisse Regi Gal-
21. liarum Alsatiam, perhibet. Winsam habet pro urbe Lane-
25. burgici Ducatus primaria. Nullum Pontificiis esse monasterium Hildeneshemii, audacter pronuntiat, & hac opinione utitur, ut neget, *Bannerium*, ducem Sueciæ bellicum, in convivio Hildeneshemii bibisse venenatum & a Monacho Gallico
29. infectum vinum. Haud facile ignorant docti, Hildeneshemii florere Cœnobia antiqua, Pontificiæ religioni addicta, S. *Michaelis*, S. *Godebardi*, Jesuitarum, Carthusianorum, *Mariæ Magdalenæ*, Jesuitissarum, Capucinorum, &c. Non vacat, compendiosam belli tricennalis historiam hic repetere. Prætermus eandem ob rationem ea, quæ Autor ex pace Westphali-
46. ca delibavit. Id tamen omittere haud licet, Autori esse persua-
50. sum, Sueciæ Regem per hanc pacem obtinuisse titulum Ducis Bremensis, Ducis Verdensis, ac Ducis Pomeraniæ. Nobis enim videntur terræ Bremenses ac Verdenses in unum coiisse Ducatum. Archiepiscopatus Magdeburgici partes singulas cessisse
52. Electori Brandenburgico, Autori haud accredimus, haud ignorantes, Principatum Querfurtanum ex particulis ejus nonnullis

tunc

tunc fuisse exortum. Monasterium Walkenrede traditum fuisse Landgravio Hassiæ, credibile nobis haud videtur, licet Autor sic senserit. Novimus enim, illud Ducibus Brunsuico-Luneburgicis cessisse. Quæ ad *Leopoldum* ipsum attinent, Autor diligentius composuit. At vero quis summam Bullæ aureæ exspectasset eo in loco, quo Autor exponit, quibus viis Electores ad *Leopoldum* imperio præponendum pervenerint. Nec omittit illud, quod in aureæ Bullæ titulo secundo legitur, Electorum esse, ni intra 30 dies a jurejurando eligendi Imperatoris gratia præstito electionem perficiant, *panem a modo manducare, & aquam bibere.* Decurrit postea Autor per primos *Leopoldini* imperii annos, ac in pace, qua Galli atque Hispani A. 1659 reconciliarunt gratiam, subsistit. Recensionem Regum Hungariæ quis in *Libro* investigabit *secundo*? Eam tamen ibi haberi, Lector, nobis asseverantibus, sibi facile persuadebit. Nolumus autem tam duri in Autorem videri, ut, libri hujus partem maximam usibus suis affluere, ac diligenter esse conscriptam, negare sustineamus. Dolemus id unum, quod ordo pragmaticus haud est observatus, series rerum subinde est luxata, scopus haud ubique mente infixus mansit, & corpus ipsum constat membris, non solum propriis & decoris, sed etiam alienis, adscitis, & nonnunquam incomtis, alibique adhibendis.

Pag. 55. 96 seq. 125.

PRACTICAL SURGERY ILLUSTRATED AND improved, &c.

hoc est,

OBSERVATIONES CHIRURGICÆ, CUM ANNOtationibus ad casus rariores, occurrentes in nosocomio D. Thomæ, collectæ a WILHELMO BECKETT, Chirurgo, Reg. Soc. Membro.

Londini, 1740, 8.

Plag. 20.

Quo magis insolita sæpe sunt morborum, qui manum chirurgi peritam desiderant, phænomena, quo abstrusio-

Digitized by Google

res non raro eorum cauſæ, quove minus prævisi in ipſa curatione ſubinde effectus emergunt, eo rectius in commune conſulunt, qui ſingulares ejusmodi caſus, accurate deſcriptos, literarum monumentis conſignant. Meritas hinc grates Cl. Autori decernimus, qui ex ampliſſimo caſuum, in Noſocomio, ſuæ curæ concredito, occurrentium, numero notatu digniſſimos ſelegit, atque non hiſtoriam ſolum illorum accuratam dedit, ſed & in notis copioſis in cauſas illorum inquiſivit, errores aliorum in diagnoſi morbi & minus dextre applicatis remediis candide detexit, remedia cum ſucceſſu adhibita liberaliter indicavit, methodum operationum optimam deſcripſit, &, quæ in demortuorum ſectionibus ad confirmandam theoriam facientia deprehendit, ſtudioſe adjecit. Selectos ex omni morborum externorum genere, tumorum, vulnerum, fracturarum, luxationum, caſus, & operationum inſigniorum, ut amputationum, ſectionum calculi, & fiſtularum, hiſtorias index ſtatim indicat, quem huc transferre non inconſultum duximus, ut, quid in hoc libro quærendum ſit, Lectoribus conſtet. *Prima* obſervatio tradit de fractura cranii; *2* de luxatione duarum vertebrarum dorſi; *3* de fractura brachii nunquam conſolidata; *4* de atrophia femoris, tibiæ, & pedis extremi; *5* de femoris fractura; *6* de tumore, genu occupante; *7* de amputatione femoris; *8* de aneuryſmate in dorſo manus; *9* de materiæ in gena dextra collectione, quæ ductum ſalivalem erosit; *10* de impotentia deglutiendi a diſtentione partium anteriorum colli; *11* de ganglio in dorſo manus; *12* de gangræna tibiæ & pedis extremi; *13* de tumore poſt uſum balnei frigidi enato; *14* de notabili impotentia in dextri pollicis motu; *15* de faciei ſphacelo poſt morbillos; *16* de tumore in gutture; *17* de vulnere capitis; *18* de impedimento auditus a polypo, nares & fauces occupante *19* de vehemente contuſione partis anterioris genu; *20* de ſectione calculi in puero; *21* de ſuffocatione a tumore gutturis; *22* de juvene calculo veſicæ laborante, & ſimul ſymptomatibus luis vereræ affecto, in ſalivatione ob ſuppeſſionem urinæ exſtincto;

23 de

23 de mamma cancroſa amputata; *24* de humeri luxati per novum inſtrumentum reductione; *25* de ſectione infantis, poſt inflammationem pulmonum exſtincti; *26* de magna portione cranii ſeparata, ægro ſuperſtite; *27* de crure amputato, in quo arteriæ petrefactæ deprehenſæ; *28* de crure, poſt ſecundam fracturam demum rite repoſito & conſolidato; *29* de inſigni tumore flatulento in altero genu; *30* de atrophia cruris & pedis extremi ſanata; *31* de juvene, poſt uſum veneris non naturalem condylomatibus ipſaque lue gallica infecto; *32* de hepate inſignis magnitudinis ſcirrhoſo; *33* de polypo narium exſtirpato; *34* de paracenteſi abdominis; *35* de tumore in dextro hypochondrio; *36* de brachio cancroſo amputato; *37* de pectoris contuſione; *38* de fiſtula ani; *39* de femoris ulcere; *40* de tumore imæ vertebræ dorſi, ſubſequente aſthmate; *41* de vulnere hypochondrii dextri. Multa ubique relatu digna deprehenduntur; ſed copia ipſa nos inopes & ſelectum difficilem reddit, inſtitutique noſtri ratio longiorem ſingulorum commemorationem vetat. Speciminis loco conjecturas Cl. Autoris de tumoris cancroſi indole ex Obſervatione 23 & 36 paucis adjeciſſe ſufficiat. Priori Obſervatione, qualem mammæ cancroſæ amputatæ conformationem deprehenderit, exponit; quæ molem inſignem denſæ & firmiter compactæ texturæ exhibuerit, ex qua liquor effluxerit ſub initium fluidus, mox in gelatinam concreſcens, qui ſuper ignem detentus, poſt brevem exhalationem vaporis, inſtar albuminis ovi coagulatus ſit, ceterum neque acidi, neque alcali, prædominandis indicia dederit, quare hunc nihil aliud niſi lympham extravaſatam cenſet. Contuſione igitur violenta, quæ huic malo occaſionem dederat, aliqua vaſa, lympham vehentia, rupta eſſe, & liquorem ſuum inter glandulæ conglomeratæ interſtitia depoſuiſſe, cenſet, ubi brevi poſt coagulata, lobulos glandulosos inter ſe compegerit, &, accedente integumentorum elaſticorum preſſione, cum illis in ſolidam ejusmodi & denſam maſſam concreverit; unde, facta nervorum, per glandulam diſtributorum, preſſione, vehemens ille dolor excitatus fuerit.

Uberius

Uberius hanc ſententiam ſuam explicat altera Obſervatione, in brachio cancroſo amputato inſtituta, ubi maſſam ingentem homogeneam, coloris albicantis, trium librarum cum tribus unciis ponderę, deprehendit, ex cujus cavitatibus magna liquoris ſeroſi copia emanavit. In varios ramos huc illuc porrectos dividebatur, diverſæ craſſitiei, ſiquidem alii pennam anſerinam, alii pollicem, æquabant, & tenerioris texturæ erant, quam truncus maſſæ cancroſæ. Hanc vero itidem lymphæ extravaſatæ & coagulatæ originem debere cenſet, quæ ſub integumentis cavitatem ſibi formaverit, &, cum ampliùs diſtendi illa nequirent, in vicinia, ubi minor reſiſtentia fuerit, novos ſinus quæſiverit, unde poſteriores tantam firmitatem non obtinuerint, quantam ipſa radix, ab elaſticis integumentis validius coarctata; ex quibus concludit, ad tumorem cancroſum ſingularem intemperiem humorum, ſive atrabilariam ſecundum antiquos, ſive acidam corroſivam, ex mente recentiorum non deſiderari, ſed humoribus ſanis a ſola extravaſatione lymphæ oriri poſſe, ita ut in glandulis una cum illarum lobulis in denſum corpus concreſcat, in aliis partibus ex ſolis humoribus coagulatis conſtet. Neque lividum colorem ſingularem corruptionem humorum indicare credit, utpote qui a ſola preſſione vaſorum ſanguiferorum, per integumenta diſtributorum, & inde orta humoris ſtagnatione, deduci poſſit.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE
des Sciences, &c.
hoc eſt,
HISTORIA REGIÆ SCIENTIARUM ACADEmiæ ad Annum 1733, una cum Commentariis mathematicis & phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, ex typographia regia, 1735, 4 maj. Alph. 3 plag. 8, Tabb. æn. 27.

In *Phyſica generali* de variis altitudinibus Barometri, in variorum montium cacuminibus obſervatis, agit *Caſſinus*; nec illas

illas exacte eam ſervare legem, quæ condenſationes aeris ponit ponderibus incumbentis proportionales, oſtendit. Electricitatis naturam penitius indagandam ſuſcepit *du Fay*, eaque de re quatuor *Diſſertationes* hoc anno Academiæ tradidit. Prima hiſtoriam electricitatis exponit; ſecunda, quænam corpora electricitati ſuſcipiendæ ſint idonea, diſquirit; tertia de corporibus, quæ omnium maxime a materiis electricis attrahuntur, nec non de iis, quæ ad tranſmittendam electricitatem ſint maxime idonea; quarta denique de corporum electricorum attractione & repulſione, agit. *Le Monnier* varia circa magnetem inſtituit experimenta, quæ inprimis motum vorticis magnetici reſpiciunt, unde varia contra receptam hac de re hypotheſin oriuntur dubia. In mixtura duorum fluidorum heterogeneorum obſervavit *de Reaumur*, volumen totale non ſemper componi ex ſumma voluminum ſingulorum, inprimis aqua & ſpiritu vini permixtis; volumen illud vigeſima ſui parte diminui deprehendit. Ad refractionem atmoſphæræ notatu dignum eſt, quod obſervavit *de Mairan*, ſolem ellipticum in altitudine 10° apparuiſſe. Ad ſuum de aurora boreali ſyſtema confirmandum, idem Vir Cel. collegit auroras boreales, quotquot Pariſiis obſervare potuit annis 1732 & 1733. Dendrites, aquæ forti, cui forte fortuna aqua pluvia acceſſerat, immerſos, colorem arbuſculorum perdidiſſe, reperit *de la Condamine*. Cum anno 1731 perquam ſicco aquæ fluvii Senenſis, qui Lutetiam alluit, admodum alteratæ apparuerint, adeo, ut plures exinde morbi populares exorti fuerint, in hujus rei cauſas inquiſivit *de Juſſieu*. Variæ quoque obſervationes meteorologicæ, in inſula Bourboniana, aliisque locis contiguis, Bezieræ in Gallia, nec non in Obſervatorio, inſtitutæ, cum Academia fuerunt communicatæ.

In *Anatomicis* Obſervationes circa pectus infantis monſtroſi exhibet *Petitus*, Medicus. De modo hæmorrhagias membrorum abſciſſorum ſiſtendi commentatur *Petitus*, Chirurgus. De ſingulari anevriſmate arteriæ ſubclaviaris dextræ, unde ſanguis, per os prorumpens, unius minuti ſpatio mor-

rem homini contraxit, quid obſervaverit, exponit *Maloet.* Idem de verme, per naſum reddito, narrat. De hepatis fractura & vaſibus Diſſertationem Academiæ exhibuit *Ferreu*, Medicus Monſpelienſis. Vervecem, ſex pedibus, duplici anu, partibusque genitalibus duplicibus, inſtructum, deſcribit *Morandus.* Hiſtoriam Carpionis piſcis naturalem incipit *Petitus*, Medicus. Denique plurimas de monſtris obſervationes exponit *Winslow.*

In *Chymicis* ſecundam Partem Diſſertationis de variis modis, tartarum ſolubilem reddendi, (cujus primam vid. in *Comm. A. 1732,*) exhibent *du Hamel* & *Groſſius.* Idem *Groſſius* de ratione, mercurium ex plumbo extrahendi, commentatur.

In *Botanicis* ſola occurrit *Marchanti* de novo plantæ genere, quam *bicucullatam Canadenſem radice tuberoſa ſquammata* dicit, Diſſertatio.

In *Geometricis* novum, ſatisque curioſum, Problema ſolvit *le Clerc de Buffon*, quod partim ad artem conjectandi, partim ad Geometriam, ſpectare videtur. Verſatur circa ſortem in ludo, *le Jeu de franc carreau* dicto; ubi pavimento, in varia quadrata diſtincto, moneta injicitur, &, quando ea quadratum non niſi unicum attingat, diſquiritur. *Clairaut* Problema de invenienda Curva in data ſuperficie, quæ a datis quotvis punctis minimam actionem ſuſtineat, cujusque aliæ adhuc proprietates poſſunt eſſe datæ, (prout ſolet in methodo iſoperimetrorum,) generatim ſolutum ſiſtit.

In *Aſtronomicis* varia, ad figuram & dimenſionem Telluris ſpectantia, Problemata proponit *de Maupertuis*, formulisque analyticis eleganter complectitur. Hac occaſione de ſectionibus corporum, revolutione ſectionum conicorum genitorum, inprimis Ellipſoidis, diſquirit *Pitotus.* Methodum, in ſuperficie Telluris parallelum per datum latitudinis gradum ducendi, & relationem ejusdem paralleli in ſphæroide vel oblonga, vel oblata, exponit *Godinus.* Huic ideæ inſiſtens *de la Condamine*, inſtrumentum, hunc parallelum actu deſcribendi, invenit. Ceterum errores, in hac Diſſertatione commiſſos,

Digitized by Google

missos, ipse Autor ingenue profitetur sub fin. *Hist. A. 1734.* De tangente autem ejusdem paralleli, seu perpendiculari ad meridianum Parisiensem determinanda, deque descriptione geographica Galliæ in genere, agit *Cassinus.* Denique de eadem perpendiculari, atque methodo dimensionem Telluris inde deducendi, disquisitionem geometrico-analyticam instituit *Clairaut*; qua occasione lineam brevissimam in superficie Sphæroidis determinat. Motum apparentem stellæ polaris versus polum mundi examini subjecit *Maraldus.* Motum planetarum in epicyclis, & quomodo hypothesis ista phænomenis respondeat, consideravit *Godinus.* Theoriam Cometarum emendaturus *Bouguerus*, novam exhibet methodum analyticam, qua primo ex tribus observationibus determinatur orbitæ pars exigua, & pro recta habenda, dein ex hac definitur orbita integra. Novam longitudines locorum observandi rationem proponit *Grandjean*, ope nimirum partium lucidarum perexiguarum, quæ in parte adhuc obscura lunæ conspiciuntur, quæque in momento lucem amittunt, adeo, ut loco eclipsium satellitum jovialium inservire queant. Sed methodum hanc exactissimam requirere Selenographiam, nemo non videt. *Godinus* docet facilem additionem, Quadranti, in plano Meridiani fixo, faciendam, ut etiam stellæ septentrionales ejus ope observari possint. Methodum valde simplicem, æquationem planetarum primam computandi, explicat *Pitotus.*

In *Mechanicis* varias observationes, notatu dignissimas, tam theoreticas, quam practicas, affert *Coupletus* de tractione carrorum & trahárum, ut & de equorum vi atque applicatione ad trahenda onera in genere. *Bouguerus* Problema, inter Geometras celeberrimos quondam valde agitatum, de solido minimæ resistentiæ, generatim consideratum & solutum sistit, dum nempe basis, super qua construendum solidum, non assumitur circularis, sed figuræ cujusvis, ut & in fluido, non directe solum, sed & quomodocunque oblique, movetur. Motum bullulæ aereæ in fluido adscendentis legibus mechanicis subjecit *de Maupertuis*, posita resistentia fluidi quadratis velocitatum proportionali. Abbas *de Molieres* explicare tentavit,

tavit, quomodo duæ regulæ *Kepleri* notiſſimæ de motu corporum cœleſtium ex hypotheſi vorticum deduci queant. *Le Clere de Buffon* ſequens Problema mechanicum conſideravit: Datâ penduli longitudine, & pondere appenſo, cujus filum inter oſcillandum ad clavum in eodem plano verticali poſitum appellat, invenire poſitionem hujus clavi, ut is maxima vi e filo percutiatur. Horologia perficere conatus *Camus*, in figuram dentium rotarum majorum minorumque, in ſe mutuo agentium, inquiſivit. Novam methodum, declinationem acus magneticæ mari obſervandi, inſtrumentumque huic rei idoneum, deſcribit *de la Condamine*.

Accedit pro more deſcriptio aliquot machinarum, Academiæ oblatarum. Sociorum vero hoc anno Academia amiſit neminem.

VITA DI MONSIGNOR FRANCESCO BIANCHINI, Veroneſe, &c.

hoc eſt,

VITA FRANCISCI BLANCHINI, VERONENſis, ſcripta a P. ALEXANDRO MAZZOLINI, Presbytero Congregationis Oratorii Romæ.

Veronæ, in typographia ad S. Mariam antiquam, 1735, 4. Plag. 17.

Vitam hanc Autor Pl. Rev. *Joanni Franciſco Muſellio*, Sacerdoti cathedralis eccleſiæ Veronenſis primario, inſcripſit. Si ipſi credimus, veritatem ſibi unice in regulam ac amuſſim propoſuit, teſtimoniis virorum fide dignorum uſus, nec non literis *Blanchinii* manu exaratis, quas ipſe a P. *Joſepho Blanchinio*, *Franciſci* nepote, ſuo cognato, accepit, ſubnixus, ac nihil eorum negligendum ratus, quæ ſcopo poterant præfixo reſpondere. Placent inſcriptiones, quibus memoria Viri celeberrimi aſſervatur, ac ad poſteros transmittitur. En unam & alteram. In Bibliotheca Reverendiſſimi Capituli Baſilicæ Veronenſis legitur hæc in eum compoſita inſcriptio: *In. Bibliotheca. Capitulari. Veron. Franciſco. Blanchino. concivi. utr. Sign. ref.*

Digitized by Google

ref. & prælato. domeſtico. moribus. integerrimo. literisque. orbi. clariſſimo. quod. hanc. bibliothecam. lectiſſ. libris. ac. monumentis. ditaverit. Capitulum. Veronenſe. gratiſſ. M. P. *anno* MDCCXXXI. Corpus ejus inhumatum fuit Romæ in templo S. Mariæ Majoris, ac ſepulchro hæc incisa fuit inſcriptio: *Franciſcus. Blanchinus. Veronenſis. hujus. SS. Baſilicæ. Canonicus utriusque. ſignaturæ. Referendarius. SS. D. N. Papæ. Prælatus. domeſticus. ſibi. vivens. poſuit. obiit. ſexto. Nonas. Martii. anno* MDCCXXIX. *ætatis. ſuæ.* LXVII. *Tanti. viri. memoriæ. qui. ſingularem. eruditionem. cum. pari. vitæ. integritate. & rara. animi. modeſtia. conjunxit. Capitulum. & Canonici. ut. deſiderium. præclariſſimi. fratris. de. hac. etiam. baſilica. ſcriptis. ſuis. benemerenti. lenirent. hoc. publici. doloris. monumentum. addi. curar.* In baſilica Veronenſi hoc optimi viri in honorem monumentum fuit poſitum, quod in ſeſe omnium oculos convertit, *Blanchini* meritis omnino convenientiſſimum: *Franciſco. Blanchino. Veronenſi. &. ob. egregia. in. urbem. merita. inter. Romanos. Patricios. cum. ſua. gente. cooptato. utriusque. ſignat. referend. & Præl. domeſt. omnigenæ. doctrinæ. ſingularis. innocentiæ. ac modeſtiæ. viro. qui. eximiis. editis. libris. de re. antiquaria. hiſtoria. chronologia. &. mathematicis. diſciplinis. magnam. nominis. famam. apud. Italos. exteroſque. adeptus. dum. nova. ſelectæ. eruditionis. monumenta. propediem. evulganda. parat. diem. ſuum. obiit. Romæ. VI Non. Martias. ann. ſal.* MDCCXXIX. *æt. ſuæ.* LXVII. *publ. Veronenſes. decreto. M. P.* Cum tanti Romæ ac Veronæ ſit *Franciſci Blanchini* memoria, eam a nobis eſſe negligendam, nemo unus affirmabit. Ipſe A. 1662, 13 Dec. patre *Caſparo Blanchino*, matre *Cornelia Vailetti*, Bergamenſis, ejusque generoſæ, familiæ ſtirpem nacta, in lucem prodiit vitalem. Ipſe in numero quatuor maſculorum ac duarum fœminarum fuit natu maximus, in affluentia rerum commodiſſimarum educatus. Ingenium ipſi illico ſuave, mite, & ad res præſtantiſſimas addiſcendas habile. Quinque annos natus ſpecimina judicii jam exſeruit haud contemnenda. A. 1673 in Collegio Jeſuitarum Pag. 2.

Bononienſi arripuit literas humaniores, philoſophicas, mathematicas diſciplinas, & cuncta nobiliorum mentium ſtudia, oſtendens ubique alacritatem atque indolem ſatis promtam,
Pag. 5. virtutibus Chriſtianis conformatam. Sublimioribus ſcientiis Patavii fuit innutritus. Theologiæ non minus, quam ſtudio anatomico, ibi operam navavit, nec non ſeſe oblectavit ſcien-
6. tia Botanices. Convictorem egit *Geminiani Montanari*, ejus vitam ſcripſit, ac ſucceſſu temporis ejus inſtrumenta multa geometrica hæreditate accepit. A *Montanario* didicit Philoſophiam ac Aſtronomiam. A litibus ſtudioque Jurisprudentiæ
7. ſeſe voluit nunquam non ſejunctum. Tum auſcultavit Lectori Theologiæ, *Piccinardio*, Dominicano, certus conſilii, religioſæ vitæ operam dandi. A. 1684 venit Romam, Eminentiſſimum *Petrum Ottoboni* vehementer colens & obſervans. Acceſſit deinde ad leges Civilis Canonicique Juris,
9. promeritus lauream Doctoralem. Cœlum ſpectare non omiſit, qua re factum eſt, ut cometam detegeret, ac Reginæ oſtenderet Chriſtinæ, *Rotam*, Aſtronomum, complexus cultu benevolentiæ ſingulari, a quo in Academiam phyſico-aſtrono-
10. micam *Ciampini* fuit introductus. *Joannes Mabillonius* de rebus mathematicis ipſum perite loquentem in ædibus Illuſtriſſimi *Joannis Ciampini* auſcultavit A. 1686, uti retulit in *Iti-*
11. *nere Italico pag. 49. Blanchinius* innotuit quoque *Daviæ*, poſtea Cardinali, ac Abbati *Fabretto*, antiquitatum promo condo. Hiſtoriam, lapidibus numisque ſuperſtructam, maximi
12. cœpit facere. Ad Academiam Alethophilorum ſtabiliendam rediit Veronam, ibique edidit Diſſertationem A. 1687 *de Emblemate, nomine, atque inſtituto Alethophilorum*, cujus ſumma legitur in Ephemeridibus literariis Parmenſibus anni ejusdem *pag. 237.* Sub auſpiciis ejusdem Academiæ recitavit Orationem *de Methodo philoſophandi in rebus phyſicis*, ibidem com-
13. memoratam *pag. 210.* Revertit Romam A. 1688, favore purpurati patris *Ottoboni* præmunitus, qui anno ſequenti ſolium conſcendit Pontificium, nomine *Alexandri VIII* indutus, a quo Canonicus Mariæ rotundæ renuntiatus fuit, atque Bibliothecæ præfectus penes Cardinalem *Alexandri VIII* nepotem.

Inter

Inter paſtores Arcades nomen ſuſcepit *Selvaggii Afrodiſi.* Monumenta antiquitatum obvia ſummo ardore exquiſivit Romæ & inſpexit, nulla labefactatus moleſtia, nullaque cœli intemperie inde abſtractus. Ab *Innocentio XII, Alexandri VIII* ſucceſſore, Bibliothecæ Vaticanæ, ejusque præfecturæ, fuit deſtinatus, animum ad conſcribendam Hiſtoriam univerſalem appulit, ab orbe condito ad Chriſtum natum perductam. Exiit in lucem Romæ A. 1697, 4, volumen ſatis diffuſum, Pag. 10.
cui præfixit titulum: *Iſtoria univerſale provata con monumenti, e figurata con ſimboli degl' antichi.* Præfecturam Vaticanæ inter hæc obtinuit Abbas *Zaccagna*, vir eruditiſſimus, 21.
linguæque Græcæ admodum peritus. *Blanchinius* autem Canonicatu S. *Laurentii* in Damaſo fuit ornatus A. 1699, quo
Subdiaconus quoque & Diaconus evadere voluit. Tum tem- 25.
poris libros liturgicos ac rituales lectitavit. A. 1700 *Clemens XI* ei honores cubicularii ſui impertivit una cum domicilio in palatio Apoſtolico Montis Cavalli. A. 1701 ac- 31.
ceſſit ei dignitas nova. Pontifex enim ſummus ipſum adjunxit adminiſtrum Cardinali *Carolo Barberinio*, legato a latere ad *Philippum V*, qui Neapolitano regno tunc potitus fuerat. Qua occaſione antiquitatis monumenta perſpexit Neapoli ac Beneventi, indolemque Veſuvii exquiſitius cognovit. Innotuit Beneventi Archiepiſcopo *Urſinio*, quem conſtat eccleſiæ poſthæc Romanæ, nomine *Benedicti XIII* uſum, præfediſſe. Commercium inter hæc literarium coluit cum viris doctiſſi- 32.
mis quibusque, in quorum numero exſtiterunt ipſi etiam extranei, *Noellius* & *Cupletus*, Jeſuitæ in Chinam miſſi, *Joannes Mabillonius*, *Montfalconius*, *Bonjourius*, Auguſtinianus, P. *Thomaſius*, poſtmodum Cardinalis, *Gisb. Cuperus*, Belgæ, *Iſaacus Neutonus*, *Gothofredus Guilielmus Leibnitius*, *Caſſinius*, aliique. Cum *Clemens XI* de reformando Calen- 35.
dario cogitaret, congregationem eo nomine inſtituit peculiarem, cui Cardinalem *Noriſium* præfecit, *Blanchinium* vero a ſecretis eſſe voluit. Ipſe eam ob cauſam ſcripſit *Solutionem Problematis Paſchalis.* Problema propoſuit hujusmodi: *An diſponi poſſit Cyclus Paſchalis, conſtans annis Grego-* 36.
rianis,

gorianis, qui Paſcha ſemper indicet tempore congruo, hoc eſt, menſe primo Dominica intra hebdomadam tertiam Lunæ? Reſpondeo, poſſe. Scripſit præterea *de Calendario & Cyclo Ca-*
Pag. 37. *ſaris* librum. Expoſuit inibi nonnihil de cyclo octogrammo *Julii Cæſaris.* Editus ille eſt A. 1703. Edidit idem Diatriben *de Columna Antonina*, ac Diſſertationes duas doctiſſimas *de Canone Paſchali S. Hippolithi Martyris.* Meridianam lineam in publico ducere ac deſignare ſtuduit in urbe Roma, inſcriptam marmori palmorum 205, in lacunari magni vaſis
38. antiqui thermarum, quæ a *Diocletiano* cognominari ſolent, converſo in uſum eccleſiæ S. *Mariæ* Angelorum. *Clemens XI* meridianæ hujus memoriam juſſit in numo conſervari, additis verbis ſupra: *Sæcula aptata verbo Dei*; & infra: *Gnomone aſtronomico ad uſum Kalendarii conſtructo.* Suaſu *Blanchinii* inſtituit idem Pontifex Summus *Muſeum eccleſiaſticum*, & illum dici juſſit *Antiquitatum Præſidem* A. 1703. Collecta fuerunt in Muſeum illud univerſa illa antiquitatis fragmenta, quibus
40. Roma ejusque vicinæ regiones abundabant. Interruptum vero fuit illud inſtitutum A. 1710, quo ſumtus ærarii Apoſtolici bello Italico videbantur impendendi eſſe non exigui. Canonicus vero renuntiatus fuit *Blanchinius* ad S. *Mariæ* Minoris.
42. Vix eo Canonicatu fungi cœperat, cum in Gallias A. 1712 ire juberetur ad pileum purpureum, *Armando Roanio*, Argentinenſi Epiſcopo, deferendum, quem Summus Pontifex ad 12 Maj. Cardinalem ſalutaverat. Non poteſt non arri-
57. dere lectoribus oratio, qua *Blanchinius* ad 25 Julii Chriſtianiſſimum Regem Pariſiis allocutus fuit. Quantum honoris
62. Rex ipſi habuerit, & quam curioſus exſtiterit in Galliis *Blanchinius* videndi ac audiendi memorabilia quævis, hic enarrari non poteſt. Obiter repetimus memoriam honorificen-
69. tiſſimi favoris, quo ipſum Rex *Jacobus III* & Regina Angliæ, nec non Elector Bavariæ, proſecuti fuere, ipſos inviſentem. Digreſſus fuit inde d. 12 Oct. in Lotharingiam, Metis ſtructuram Baſilicæ Gothicam admiratus. Cabilonum profectus, in colloquium venit denuo Regis *Jacobi* Comitisque *Hamiltonii*,
73. ac Epiſcopi *Noallii*, quo Cardinalis *Noallius* fratre gaudebat;

Digitized by Google

bat; inde Tullum ac Nancejam accessit. In basilica Tulli suspexit coronam lampadophoram. Progressus Lunevillam, col- Pag. 74.
locutus fuit cum Duce Sereniſſimo, venatum exercente. Tandem Savernæ in vico invenit prope Argentoratum, quem dudum quæsiverat, Achiepiscopum *Roanium*. Numerum Pontificiorum Argentorati ad 8000 excreviſſe, comperit, quorum ante 30 annos vix duodecim numeraverat Argentora- 76.
tum. Negotiis ibi perfunctus, Maguntiam, Confluentes, Radstadium, Heidelbergam, Francofurtum, Maguntiam, Coloniam, Dusseldorpium, ejusque numophylacium admodum spectabile & instructum, Ultrajectum, Amstelodamum, ubi *Joannem Clericum* invisit, linumque apud hunc vidit asbestinum, Lugdunum, Hagam, Roterodamum, atque Antver- 84.
piam, lustravit, eo inprimis consilio, ut ecclesiam catholicam, inter dissentientes versantem, accuratius cognosceret. Re- 85.
diit A. 1713 mense Januario Parisios, ac Junio Romam redux lætusque intravit. Sereniſſimum Bavariæ Electorem, Principem tunc juventutis, Romæ deduxit paulo post ad ea videnda, quæ ibi cernuntur rariora. *Jacobo III*, eodem accedenti, fuit in deliciis. Approbatorem librorum, prelo tradendorum, egit ad tempus. Ad edendum illustrandum- 94.
que *Anastasium* Bibliothecarium haud minus diligentiam summam, quam eruditionem singularem, attulit. Obiit enim Bibliothecas Romæ, Florentiæ, ac Parmæ, ut manuscriptos Codices conferret, ac a viris doctis subsidia passim obtineret. Anno 1720 exeunte pileum purpuratum jussu Pontificis sum- 97.
mi ad Episcopum detulit Brixianum, iter ingressus die Sabbati 12 Octobris, quod conductis equis meritoriis, per stationes singulas ad cursum dispositis, celerrime perfecit. Veronæ & Bergami in eodem itinere amicos ac consobrinos carissimos passim revisit. In Archivio Bergami ex nono decimoque 101.
Seculo asservata inspexit Imperatorum Diplomata. Balnearum ope dein firmavit corporis vires, quibus prope Senas usus fuit. Vim medicam aquæ, quibus balneum Vinionense ex- 105.
cellit, ipse ita exposuit: *Vix tribus horæ quadrantibus suppoſueram femur debilitatum decidentis aquæ canali, cum per-*

ſenſi vigorem, cum muſculis inde communicatum, & liberatas fibras a viſciditate. Omittimus varia ejus per Italiam itinera minora, in quibus incubuit ad obſervationum aſtronomicarum
Pag. 111. experimenta capienda. *Innocentio XIII* ad clavum eccleſiæ
113. Catholicorum ſedente, Referendarium egit. *Benedicto XIII* haud minus fuit gratus atque acceptus. Veneris phænomena curate detexit ac deſignavit, ejus videlicet, quæ in cœlo lucet, quod ipſum patet ex libro ipſius, A. 1728 Romæ edito. Titulus huic eſt præfixus: *Heſperi & Phoſphori nova phænomena, ſive obſervationes circa Planetam Veneris.* Obitum ejus circa expoſitionis noſtræ exordium ſignificavimus. Adjungemus nunc ea ſcripta, quæ nondum attigimus, a viro
121. tamen tanto in lucem emiſſa. Diximus de ejus libro: *Iſtoria univerſale provata con monumenti, e figurata con ſimboli degli Antichi,* 1697, 4, Romæ. *De Lapide Antiati Epiſtola* ejus ad *Franciſcum Aquavivam* exiit ibidem in lucem A. 1698, 4. Omiſimus aliquid monere de libri titulo accurato, quem
122. ipſe inſcripſit: *Conſiderazioni teoriche e pratiche per lo traſporto della colonna di Antonino Pio nuovamente ſcoperta nel campo Marzo.* Rom. 1704. Eodem referenda ſunt ejus *Jura producta in cauſa Romana Fontis Baptismalis pro Ven. Baſilica S. Laurentii in Damaſo,* 1706, fol. Rom. *Spiegazione delle ſcolture del palazzo di Urbino.* Liber poſterior exſtat in collectione, cui titulus: *Memorie concernenti la Città di Urbino,* Rom. 1724, fol. *pag. 79-133.* Evulgavit præterea librum, cui index præfixus: *Camera ed Iſcrizioni ſepolcrali ritrovate nella via Appia, de' Liberti, Servi, ed Uffiziali della caſa di Auguſto,* 1727, fol. Rom. *Anaſtaſii* Bibliothecarii edidit Romæ in forma maxima *Tomum primum* A. 1718, *ſecundum* A. 1723, *tertium* A. 1728. Duæ Diſſertationes, ad *tertium* referendæ, A. 1727 exierunt in lucem ſub titulo: *De præſepi Chriſti Domini & de Muſivo Baſilicæ Lucianæ.*
123. Diximus de hiſce loco ſuo. *Oratio* ejus *proœmialis in inſtitutione Academiæ Alethophilorum* Veronæ edita fuit A. 1687. Exiguus eſt libellus, quem Romæ divulgavit A. 1695, inſcriptum ita: *Un Givoco di carte per apprendere l' Hiſtoria.* Inter

Opera

Opera *Montanarii* posthuma apparet *Vita del Sig. Geminiano Montanari*, a *Blanchinio* conscripta. In collectione *Vitarum Arcadum illustrium P. I f. 199* habetur libellus ipsius: *Vita del Sig. Cardinal Noris.* Ne quid dicamus de ejus observationibus (*Osservazioni e Discorsi Astronomici*), Romæ in Academia physico-mathematica A. 1684 ac postea recitatis. Dixere de hisce majores nostri in hisce *Actis* ad *A. 1685.* Inseruit eas *Wilhelmus Whistonus Prælectionibus astronomicis*, quas A. 1707 Cantabrigiæ evulgavit, *pag. 75.* Quatuor Orationes, in sacrario Pontificis habitas, cum publico communicavit, nempe *de sacratissima Trinitate* A. 1684, *de Adscen-* Pag. 124.
sione Domini A. 1689, *in funere Leopoldi I, Cæsaris Augusti*, A. 1705, ac *de eligendo Summo Pontifice post obitum Innocentii XIII ad sacrum Coll. S. R. E. Cardinalium* A. 1724. Harum postrema in Italicum conversa, ac Romæ recusa, prostat. Epistolas quinque copiosiores ipse formis publicis curavit describendas: 1) *dedicatoriam ad Historiam legationis Pontificiæ Eminentissimi Cardinalis Barberini ad Serenissimum Regem Catholicum Philippum V*, Neapoli, 1702; 2) *de nobilissimo hospite Co. de Trausnitz, nomen profesſo, & in villa Burghesia magnificenter excepto*, 1716; 3) *de aureis & argenteis cimeliis, in arce Perusina effossis*, 1717. Prostat eadem sub titulo: *Analecta eruditæ vetustatis.* 4) *De Eclipsi solis die 22 Maji 1724* Rom. 5) *Lettera al P. Mabillone*, quæ in Operibus posthumis *Mabillonii* legitur. Scripta ejus huc usque inedita feruntur hæc: *Descrizione della Pianta, Alzato, e ornamenti del Palazzo degli antichi Cesari*; *Osservazioni per il Meridiano d' Italia*; quod opus ultimam ma- 125.
num Autoris haud sensit, integrum tamen redditum est ac expolitum ab ejus amico; *Globus Farnesianus, & in eo rudimenta Astronomiæ, ac Chronologiæ, & Historiæ ætatis heroicæ, a Græcis ad nos transmissa*; cujus Operis pars intercidit; *Osservazioni fisiche*, libellus, diversis occasionibus debens incunabula; *Relazioni de' suoi viaggi*; *Dissertazione fatta in occasione di trasferisi il corpo di S. Leone*; *Studium Bibliothecæ & literarum optimi Principis indicium esse*, *Oratio ad Alexandrum VIII, dum a se*

conſtructam Bibliothecam Otthobonam inviſeret A. 1690; Relazione dell' Anfiteatro di Albano; Volumi di Antichità, e d' erudite memorie; Faſci di fogli, ed atti ſpettanti alla Congregazione del Calendario; Faſci di Lettere in ogni genere di ſcienze. Solito fuimus longiores. At meruerat nomen & meritorum *Blanchini* celebritas epitomen exquiſitiorem. Virum namque laude dignum Muſa vetat mori.

ESSAIS SUR DIVERS SUJETS DE LITTERATURE & de Morale.
hoc eſt,
TENTAMINA IN DIVERSA ARGUMENTA Literaturæ & diſciplinæ moralis.
Pars I & II.
Pariſiis, typis Briaſſonii, 1735, 8.
Alph. 1.

Qui inter negotiorum moles catenatas librorum lectione ſeſe ſubinde reficiunt, eis oblectationi eſſe queunt libelli ejusmodi, quibus argumenta & utilia & jucunda breviter pertractantur. Philoſophis, & literatoribus, & inprimis vitæ cultioris amatoribus, non poſſunt non ea inſigni eſſe adjumento & delicio, quæ Autor Anonymus collegit & appoſuit, bellaria. In *Parte prima* diſſeritur de argumentis variis, nempe de modo ſcribendi per cogitata liberiora, de mutuo converſationis commercio, de dono dicendi ac ſcribendi, de arte critica in operâ ingenioſa, de ingrato eorum, qui nos læſerunt, adſpectu, de effectibus exercitii, amore ſui & modeſtia, de neceſſitate ſequendi indolem donorum nativorum, de anticipato hominum judicio, de ſuperbia, ejusque effectibus, de ſuavitatis virtute, de charactere & apologia *Balzaci*, de promto judicandi per ſenſionem dono & de dono nativo, de fortuna ſecunda, de lectionis & memoriæ ſtudio, de nobilitate, de cogitatis ſuper guſtum logicum, in quibus expenditur regula, dictitans, ſcribendum eſſe in gratiam uniuscujusque, ac tandem de eodem guſtu porro conſiderato. *Pars ſecunda* exhibet diſcrimen ſuperbiæ & vanitatis, cogitata de eis, qui

Digitized by Google

qui ſeſe ipſi laudant, annotationes in loca nonnulla Præfationis Domini *d' Eſpreaux*, de polito vitæ cultu, de nativa indole, de ingenio (*l' eſprit*), paralleliſmum ſtudiorum & vitæ, incertam indolem judiciorum de actionibus humanis, de incredulitate, ſeu credendi defectu, & de divitiis cogitata, ac tandem concluſionem. Ars ſcribendi dependet a methodo & partium ordinatione, ad totum complexum ſolide conformata. *Paſcalius* cogitationes ſuas, nondum copulatas, dedit, inſervituras operi *de Religione*, quod minus valens corpore adornare non potuit. Cogitata ejusmodi, ab integro menti obverſantia, vel Pag. 3.
inter legendum ac meditandum orta, florem elaborationum continent. Quare optandum foret, ut Autores chartæ mandarent cogitata ejusmodi, quæ deinde, cum non amplius ſuſcitantur, perire & obliterari ſolent. Si ea, quæ ad raritatem & dotem 5.
tutori propriam nativamque ſpectant, e librorum multitudine decerperentur ac compilarentur, ceteris haud ægre poſſemus carere. Sed quis labori illi ſeſe accinget? Excellunt cogitata 6.
libera minusque connexa Dominorum *Roche Foucauld* & *la* 10.
Bruyere. Galli ea vocant *penſées detachées*. Adde Duumviris 13.
Paſcalium, *Menagiana*, *Huetiana*, *Eſſais de Montaigne*. Ut ab 14.
aliis magni pendamur, opus eſt, ut quacunque occaſione alios quoque magni faciamus. Hæc eſt potiſſima converſationis bea- 32.
te inſtituendæ regula. *Mantagnius* de ſe nimis fuit locutus, ea 44 ſeq.
quoque oſtentans, quæ offendiculi ſunt plena. Sed ea ſcripſit licentius, quæ in ſocietate colloquii nullam ferunt, vel obtinere poſſunt, licentiam. Philoſophi tamen ex ephemeridibus, vel commentariis, ejusmodi finceris plura, quam aliunde, queunt addiſcere. *Nicolius* ſcripſit egregie, ſed in commercio collo- 46.
quendi ſermonem ſociavit nimis frigide, tarde, confuſe, minusque eleganter. Cauſæ, cur eruditi & præcipue librorum autores 51.
in ſocietate colloquendi ſint frigidi, lenti, timidi, minus excitati, egregie hic exponuntur, adeo ut nævos ſuos illi, qui ſeſe abdunt, facillime poſſint detegere & emendare. In dijudican- 73.
dis aliorum ingenii fœtibus, qui literis ſunt commendati, id ſemper eſt fatendum, facilius eſſe nævos notare, quam conſimile opus concinnare. Quodnam enim opus, ab hominibus ela-

Digitized by Google

boratum, nævis eſt immune? Criticam itaque adhibeamus neceſſe eſt cum moderatione, ſuavitate, ac in Autorem obſervan-
Pag. 74. tia. Abſit inprimis occulta cupiditas deprehendendi ac notandi ubique nævos. Addit Autor: *Hæc malitia nos lumine*
78. *perfundit, ac nos adjuvat ad illos notandos.* Odia occulta dijudicaturos opera aliorum caligine ſolent circumfundere, ut minus bene ipſi ſentiant de libris prorſus egregiis. Huc præcipue ſolent referre *odium theologicum.* Homo certe, cui nihil probari poteſt, eſt miſerandus æque ac reprehendendus. Nec liber ideo eſt ſpernendus, cujus autori vivo & invidia & liberiora
81. judiciorum repagula tot objecerunt impedimenta. Paſcitur enim in vivis livor, poſt fata quieſcit. Judices literarios vero ea oportet expromere judicia, quæ proſunt ſocietati humanæ,
85. autoribus non damnoſa, non contumelioſa. Ea quoque, quæ deteſtamur, verbis manſuetioribus indicare valemus. Laudanda ſi potius exponimus, ſuisque decoramus elogiis, calcaria ingeniis ſubdimus, ac progreſſum ſcientiis conciliamus, eoque ipſo nævos taciti imminuimus, ſenſimque tollimus. Quis ſtercora aliorum colligere, inveſtigare, pertentare, ac in lucem celebritatemque proferre, non erubeſcit? Nec eſt, quod ob ſecula ſubſecutura affectemus ſinceritatem judicii, quo imperfectiora obelo notanda & jugulanda credimus. Poſteritas enim plerumque opera majorum juſto liberalius admiratur ac celebrat. Ad minimum & laudes magnificæ, & obtrectationes importunæ,
89. Autoribus demortuis, conquieſcunt, ac judicia magis ad amuſſim veritatis, ejusque autori faventis, reducuntur. Exponenda hæc putavimus copioſius, quippe quæ nobis, qui ſummas librorum recenſemus, videntur nonnihil profutura. Stultitiam Autor in eo ſitam putat, ſi quis immodico ſui amore flagrat, easque ſibi tribuit perfectiones, quibus plane eſt deſtitutus. Huic vitio opponit ſimplicitatem ingenii, quæ in eo
104 ſeq. conſiſtit, quod homines minus perfectionis ſibi ineſſe putant, quam eis ineſt re vera. *Modeſtia* autem conjuncta eſt cum perfectionum ſuarum conſcientia, a ferocitate disjuncta. Non-
107. nulli nolunt ſuas ſpeculari & expendere perfectiones; alii vero ſeſe & ſuas dotes recte æſtimare non valent. Illi ſimplices

ſunt

Digitized by Google

ſunt cum meritis; hi ſimplicitate meritis ſuis limites poſuerunt. Quantum operibus eximiis effectui dandis noceat judicii anticipati fucus, Autor egregie illuſtrat. Quomodo, ſi ratio- Pag. 141
nem ſuavitate, veluti ſeſamo, ſparſeris, ſocietati ſis opportunus ſeq.
& utilis, ſolide diſcent ii ex Autore, quibus eſt volupe. *Bal-* 144.
zaco laudi dicitur, quod in operibus ejus exſplendeſcat opulentia Gallicæ linguæ, puritas, nitor, ac vis ſtili, numerus ac harmonia, nobilitas in cogitando ac enuntiando, fœcunditas periodicæ ſtructuræ. Peccat potius elegantia & ſplendore, quam nævis. In literis ejus ſublimis dominatur eloquentia, quæ digniorem exigeret materiam. Tam terſe & polite ac excellenter ſæpius ſcripſit, ut affectatum haud occultet cothurnum. Norat Græce, Latine, Italice, Hiſpanice, verſusque concinnavit Latinos haud contemnendos. Opera vero ipſius ſi minus ſpirarent diligentiam & limam, nativam ac minus adſcitam facile tuerentur pulchritudinem. Verum ea eloquentiæ ac poeſeos indoles erat illa, qua *Balzacus* florebat, ætate per omnem Europam, ut naturalis ſtili elegantia negligeretur, ac arceſſeretur plus ab arte, quam erat neceſſum. Verum in capillamentis, veſtitu, cibisque, ditiorum tum eadem luxuriabatur artis affectatio. Fuimus in opuſculo hoc longiores, opinamur. Dedimus promulſidem. Qui liberis, genuinis, nativis, ſolidis, ac variis, delectantur cogitationibus ſtilique ornamentis, eos ad hæc bellaria ipſa remittimus.

LE DUE IFIGENIE D' EURIPIDE IN AULIde, e in Tauri, tradotte in Verſo Toſcano ſciotto col Teſto Greco e coll' annotazioni, &c.

id eſt,

UTRAQUE IPHIGENIA EURIPIDIS, IN AULIde & in Tauris, in verſum Thuſcanum converſa a Patre JOANNE BAPTISTA CARACCIOLO, Clerico regulari, Academico Hetruſco, una cum textu Græco, ac annotationibus ejusdem.

Florentiæ, ex typographeo Celſitudinis regiæ, 1729, 8. Alph. 1 plag. 6½.

Quem-

Quemadmodum *Nicodemus Friſchlinus* quondam inter Germanos Poetas Græcos Latinis verſibus egregie expreſſit, ac utramque linguam opere ipſo una eademque editione conjunxit; ita *Caracciolus* eodem more inter Italos gloriam ſuam effert, ex editione unius alteriusque partis *Euripidis* collectam. Dignam ſua natione operam dedit, ne Græcæ linguæ peritia ibi intercidat, ubi, Conſtantinopoli a Turcis expugnata, primas egit radices, jure poſtliminii Romam & in regiones confines revocata. Noſtræ ætatis homines Græca ſolent viliori ponere in pretio, rati, cogitationes graves, pulchras, nitide expreſſas, & ſublimes, deeſſe vetuſtis ſcriptoribus Græcis. Hoſce in viam rectiusque judicium reducere voluit *Caracciolus*, translatione ſua Hetruſca Italos edocturus, quam belle, graviter, & ſententioſe, diſſeruerint ſcripſerintque Græci, Grajisque Muſam dediſſe ore rotundo loqui. In prima hac Tragœdia pars veteris Philoſophiæ eminet inſignis ac eximia; in altera videtur *Euripides* oſtendiſſe, quantum univerſalis eloquentia ac poetice valeant. Copioſius hæc Autor perſequitur in Præfatione. Argumenta utrique Tragœdiæ præfixit. Translatio ipſa, quantum nobis judicare licet, eſt perſpicua & fidelis. Annotationes ſunt partim criticæ, partim geographicæ, & ex antiqua hiſtoria fabulisque depromtæ. E variantibus lectionibus paſſim *Caracciolus* ſeligit eam, quæ ipſi maxime viſa probabilis. Sæpius voces Græcas exponit difficiliores, Italicasque eis ſubjungit gloſſas. Ita σειραφόρους exponit per *funales. Baridas* oſtendit eſſe magnas & in modum turris ædificatas domos. Ἐλίσσων περὶ νίκας ei eſt, qui
Pag. 37. volvit præcipitatque curſum propter victorias. Πλάγια φρονεῖν
50. idem ei eſt ac *inverſo eſſe ingenio, perverſa eſſe indole.* Κομψέειν, κομψέυεσθαι, ipſo judice, eſt *jocari, argute dicere, ſcite & urba-*
52. *ne cavillari.* Τὸ φιλότιμον ipſi eſt *ipſa gloria & honor.* Ἀμφίβλητρον exponit per *rete piſcatorium, quod undique circumcin-*
240. *git & circuminjicit aliquid.* Intexit quoque *pag. 401 ſeq.* nonnihil de origine logomachiarum. De *Diana*, a Scythis cul-
423. ta, *Tauropola* & *Taurica* dicta, paucula attulit. Nævos ac ſphalmata Operi ſubjecit. Non fefellerimus nosmet aliosve, ſi genuine profiteamur, *Caracciolum* nobis moviſſe ſalivam, conſimilia ejus ſpecimina expetendi atque ſpectandi complura, quæ eandem curam, & peritiam Græcæ linguæ non minorem, teſtificentur, orbique erudito oſtendant.

✲ ✲ ✲

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio X.

DESCRIPTION DE L' EGYPTE, &c.

id eſt,

DESCRIPTIO ÆGYPTI, COMPLECTENS COMplures annotationes, curioſis ingeniis accommodatas, de Geographia antiqua & nova hujus regionis, monumentis antiquis, moribus, ritibus, religione incolarum, modo gubernationis & commercio, animantibus, arboribus, plantis, &c. compoſita ex Commentariis Domini dicti DE MAILLET, Francici Conſulis Cairenſis ſenis, opera & ſtudio Abbatis LE MASCRIER. Opus mappis geographicis & figuris in æs inciſis locupletatum.

Pariſiis, ſumtibus Ludovici Gennadii & Jacobi Rollini, 1735, 4. Alph. 2 plag. 16½, cum Fig. æn. 9.

Benedictus, de Maillet cognominatus, ex cujus Commentariis hoc opus exſtitit, fuit e Lotharingia loco nobili ac generoſiſſima proſapia editus, Regis Galliarum Conſul generalis per Ægyptum ac Toſcaniam, poſtea ephorus generalis civitatum commerciis florentium per Orientem & Barbariam, nec non deſignatus ab eodem Rege legatus ad Æthiopiæ Regem. Ipſius effigiem opus ipſum exhibet ſpectandam. In mappa geographica, quæ repræſentat Ægyptum, & ejus confinia,

quatuor Nili cataractæ exhibentur multo distinctissime. Tabula alia præbet visendum Nilimetrium, quod Arabes vocant Mikjas. In æs incisa etiam fuit interior piramidis maximæ fácies, nec non figura tum hippopotami, tum ichnevmonis; præterea columna *Pompeji*, *Cleopatræ* obeliscus, puteus unus, seu specus, Mumiarum, obeliscus & balsamum Matareæ, ac figuræ duarum Mumiarum. Caput Ægypti, Cairium, in geographica tabula locatum fuit ad gr. lat. 29 long. 49, nec omittendum est illud, quod exiguus locorum sit numerus, tabula illa expressorum. Galli exercent commercia Alexandriæ & Cairii, cetera non admodum curant. Unde accidit, ut, excepto *Dappero*, de Ægypto nullus scripserit exquisite ac judiciis inde formandis congruenter, licet & ipsa tractatio *Dapperi* videatur duntaxat esse operis majoris compendium. Jungenda enim scriptori est lectio Arabum cum evolutis Europæorum de Ægypto voluminibus. Jungendum est cum eis colloquium, qui singulis terris fuerunt innati & innutriti, in subsidium arcessito judicio, quo narrata debite expendenda sunt. *Benedictus, de Maillet* dictus, hisce adminiculis instructus, conscripsit suos Commentarios, vir in republica literaria satis notus, a quo orbis literatus susceptit librum, *de diminutione maris* concinnatum, ac *relationem de Æthiopia*, quam inseruit R. P. *Hieronymus de Lobo*, e Soc. Jesu, relationi suæ de Abyssinia, Parisiis A. 1728 editæ. Dolemus, descriptionem Ægypti haud simul fuisset in editione ipsa cum commentariis *Mailleti* jugatam. De stilo, non est, quod moneamus. Is enim & pure & apte & vivaciter & composite fluit. Methodus vero adstricta est formæ epistolarum. Opus enim ipsum dispescitur in XIV Epistolas. Harum *prima* continet descriptionem Ægypti generalem, addita ratione introitus, quo Autor generosissimus ad eam lustrandam pervenit, nec non ejus latitudine, terminis, aeris temperie ac climate, numero oppidorum ac incolarum, copiose adjunctis. *Epistola secunda* est propria ac consecrata fluminis Nili originibus, cursui, ostiis, causisque & progressibus inundationis. *Epistola tertia* complectitur divisionem Ægypti in superiorem & inferiorem, nec non enarrationem de tractu Delta ac littoribus.

Epi-

Digitized by Google

Epiſtola quarta recenſet urbem Alexandriam, veterem & novam, monumenta inibi obvia, ac ſpeciatim columnam *Pompeji*. *Epiſtola quinta* continet expoſitionem de urbe Cairo, ejus origine & climate, antiquitatibus, nominatim de granariis & ſpecu *Joſephi*. *Epiſtola ſexta* repræſentat deſcriptionem de famoſis Ægypti piramidibus, ac inprimis de earum maxima, ejusque interiori figura, ac abditis receſſibus, quibus ipſa conſtat. *Epiſtola ſeptima* ediſſerit locum Mumiarum, celebremque Memphin. *Octava* pertractat Ægyptum ſuperiorem, ejus clima, urbes illius ac divitias, antiquitates, nec non deſerta S. *Macarii* & Thebaidem, ac monaſterium S. *Antonii* memorabile. *Nona* complectitur hiſtoriam Ægypti naturalem, in qua Autor diſſerit de hujus terræ fœcunditate, de arboribus, de plantis, de floribus, & de frugibus provenire ſolitis, atque de animalibus, quæ ibi inveniuntur. *Decima* enarrat religionem Ægyptiorum, tum antiquam, tum eam, quæ in præſens ibi excolitur, cerimoniasque eorum præcipuas. *Undecima* deſcribit mores Ægyptiorum, inſtituta comparatione inter veteres & recentiores ipſorum conſuetudines. *Duodecima* continet modum gubernationis Ægypti & militaris præſidii, quo hoc regnum Turci tuentur. *Decima tertia* complectitur artes, & commercia, in Ægypto tractari ſolita, adjecto conſilio de commerciis Europæorum per ſinum Arabicum in Indiam Orientalem exercendis ac provehendis. *Epiſtola decima quarta* complectitur deſcriptionem peregrinationis ſacræ Meccanæ, Meccæ urbis & Medinæ, ſepulcri *Muhammedis*, ac domus *Abrahami*. Licet vero Ægyptii, rei faciendæ ſolum dediti, ea laborent ſuſpicione, Europæos, curioſe abdita perſcrutantes, eſſe Magos, & repoſitos paſſim defoſſosque theſauros inveſtigare; Conſul tamen Gallicorum mercatorum majori libertate potuit uti ad ea exquirenda, quæ ipſe e re ſua fore crediderat. Ipſe diſceſſit Maſſilia A. 1692, 9 Jun. velisque vento datis paulo poſt acceſſit ad portum Phari, ac inde Alexandriam. Arabes Ægyptum vocant *Maſr*. Autor eam vocem exponit per *locum*. Latitudo Alexandriæ determinatur ad 31 gradus, Roſettæ autem ad 30 gr. 58 min. Circa Cairum montes Nilum utrinque cingunt fere altiſſi-

Pag. 2. 11. 13.

altiſſimi, ac quatuor demum dierum itinere a Nilo ad ſinum Arabicum perveniri ſolet. Aqua Nili commendabilis eſt tum
Pag. 16. ob dulcedinem & fœcunditatem, tum ob ſalubritatem. Nunquam fere pluit in Ægypto. Cairi ſeptentrioṇes adhuc ap-
19. parent. Terræ motus in Ægypto eſt rariſſimus, ac ſemper in-
23. noxius. Copti ſunt genuini & vetuſtiſſimi terræ incolæ, ſed ad nihilum fere redacti, & qui ipſi linguam Copticam haud amplius intelligunt, ex quo poſtremus eorum, qui eam callebat,
24. ineunte hoc Seculo obiit. Agreſtes, quos patria procreavit, ſervitutem ſerviunt duriſſimam, ac tractantur inclementiſſime. Arabes vagi feliciorem obtinuerunt ibi victum. Judæi odio
30. communi ſunt expoſiti. In ora Libyca ſatis exſtat ruderum, quæ antiqua oppida villarumque ornamenta deſerta deſignant, ſiquidem Reges Ægyptiorum antiqui arte locis aridis proſpiciebant, eisque fertilitatem ex Nili inducebant undis exuberantibus. Huic arti nullus jam locus eſt relictus. Nec Turci meſſes æquis adſpiciunt oculis ditiores, veriti, ne exteræ gentes, ad quas frumenta eſſent exportanda liberalius exorta, al-
31. liciantur cupiditate tenendi Ægyptum. Origo Nili ex lacu Gambea eſt derivanda; de fontibus, aquam lacui immittenti-
39 ſeq. bus, res nondum eſt in expedito. Nilus pontes haud ſuſtinet, a borea plerumque affectus. Septem alvei Nilotici, per Delta olim profluentes, maximam partem ſabulo & limo paludoſo obruti ſubſederunt, ac veſtigia ne quidem ſui reliquere. Pro-
49. babile Autor exiſtimat, fœcunditatem Nili oriri ex ſalibus nitroſis, quos cineres ex cannis in Abeſſinia exuſtis præbeant, a Ni-
54. lo exundante proripi ac auferri ſolitis. Exundationem Nili ex aſſiduis Abeſſiniæ imbribus, a Martio ad Septembrem increſcentibus, deducit.
56. Eteſiæ in Ægypto naſcuntur ex Nili exundantis contactibus & conflictibus, in aerem factis. Nilo enim parum exundante venti etiam illi ſunt admodum imbecilles. Portus Ægypti ſunt difficiles & periculoſi, ſiquidem
90. Nilus ſecum vehit multum limi ſabulique, quod a mari retor-
91. quetur. Alvei Nilotici, per regionem Delta curſum undis præbentes, non amplius patientes ſunt navium, ſiquidem limus indies aggeritur, & profunditas alveorum decreſcit. Unde

Autori

Digitized by Google

Autori fit verosimile, regionem illam Delta olim fuisse maris sinum, qui sensim ex incremento limosi cœni in terram excreverit, arte *Josephi* Patriarchæ, si Autori Copto par est habere fidem. Cochleas, quas *Herodotus* refert reperiri ac spectari in petris Memphi vicinis, Autor etiam A. 1692 & 1718 vidit, ratus, reliquias maris in eis esse obvias. Rosetta haud est eadem ac Canobus veterum. Hæc enim in loco eo fuit sita, in quo nunc spectatur posita *la Madie*. Lacum Sirbonis credit supereſſe in palude, quæ haud procul a Damiata magis ad Orientem est remota. Negat vero, ecregma, seu canalem, mari commissum, exstare amplius. Loco Phari, cujus rudera sub aquis visuntur tranquillis, successor quidam *Mohammedis*, seu Caliphus, exstruxit turrim, Pharum minorem, continenti propiorem. Si qui descriptionem urbis Alexandriæ legere constituerint, eos velimus præmonitos, eam hic utramque facere paginam, omnibusque numeris absolutam exsplendescere. Dimensiones & rationes columnarum Alexandriæ ob oculos ita ponuntur, ut legenti eæ videantur coram adesse. Egregie dividitur Alexandria antiquissima & prima a secunda & tertia. Tertia, quæ nostra ætate floret utcunque, capit vix 4000 homines, hinc inde ex Turcia profugos. Juvat lectorem, repetiisse, vel ab ovo exorsum esse, fata Ægypti, Saracenis submissæ. Latitudinis Cairi gradus computantur 28. 58. m. 186. Sed observator celeberrimus *Chazelles* ex eclipsibus satellitum Jovialium jam pridem ostendit ac evicit, Cairi latitudinem esse 30° 2′ 20″; longitudinem vero 52°. 5′. Quare illud *Curtii* subinde manet animo repositum: *Equidem plura transscribo, quam credo.* De oleo kikino Ægyptiorum ea afferuntur a Gen. Autore, quæ ad illustrandos Autores veteres nonnihil conferunt. De melonibus, seu peponibus, idem egregie differit *pag. 11 seq.* unde locus *Num. XI, 5*, lucem fœneratur, quemadmodum jam docuit *Olaus Celsius* in hisce *Actis A. 1726 Mens. Jul. p. 323 seq.* Planta Ægyptiaca *Soffranon*, si Autori credimus, est antiquorum *lotus*. Papiri plantam ipse detegere non potuit, ni ipia sit *ficus Adami*, quam Arabes vocant *Mous* & *Mauz*. Scrinia Ægyptii ex sycomoris curant conficienda.

Pag. 94. 95. 98. 104. 132. 149 seq. 155 seq. P. II pag. 10 seq. 19.

Ciſtæ, in quibus Mumias quondam recondebant Ægyptii, itidem exinde exſtiterunt. In ſerpentes alatos, ſeu dracones, inſurgunt quotannis menſe Majo grues, ciconiæ, niſi, falcones, &
Pag. 23. milvi. Eam ob cauſam difficile eſt dictu, quænam harum avium fuerint famoſæ veterum ibes. Conjectat Autor, quia *Ibis*, teſte *Plinio*, fuit Ægypti avis peculiaris, ibem nunc vocari capum *Pharaonis*, ſerpentes devorantem, tum album, tum nigrum, ni veteres voce generali עֹפִים *volatilium*, *ibium* puta, intellexerint quasvis aves, draconibus exitioſas. Piſcis,
26. quem ſingularem vocat, duobus brachiis manibusque & pelle duriſſima, unde conficiuntur vulgo calcei, inſtructum, eſt *Manathi*, qui procul dubio in ſacris literis vocatur תַּחַשׁ *Ez. XVI, 10.* De eo ὁ πάνυ *Theodorus Haſæus* copioſe diſſeruit *Diſſ. VIII* & *IX Sylloges Diſſertationum & Obſervationum philologicarum*
31 ſeq. *pag. 510 ſeq.* De hippopotamo & crocodilo Autor agit ſtudioſe; de Gazellio, ſeu ciacalio, Ebræis שׁוּעָל, parce nimis. De
64 ſeq. Coptis, ſobole veterum Ægyptiorum, vulgo pro Eutychianis habitorum, idem affert haud tralatitia, ratus, ipſos vix ac ne vix quidem ad ſenſum Pontificiæ religionis iri adductum, ni Dei omnipotentia animos ipſe converterit ad indolem mollio-
68. rem ac tractabiliorem. Fatetur porro candide, Coptos recte ſtatuere, Chriſtum eſſe verum hominem verumque Deum, at duas naturas ipſos haud aſſerere, eo quod per *naturam* intel-
71. ligant *perſonam*. Quod Gen. Autor ſtatuit, ſacerdotes, ſeu Presbyteros, circumcidendis Coptorum fœmellis vacare, eamque inſtar ſacramenti & baptiſmo parem haberi, in eo indubie fuit halucinatus. Eis, quæ de circumciſione, quam Turci adhibent,
73 ſeq. intexit, majorem ineſſe fidem, credimus. Ægyptiis *Ezechiel XVI, 26*, tribuit genitalia majora. Nec Autor id falſum deprehendit. Verba ejus hæc habe ex *pag. 115: La puberté y eſt plus avancée dans l' un & l' autre ſexe, qu' en aucune autre region de la terre, comme la paſſion du plaiſir y eſt ſans contre-*
140 ſeq. *dit generalement plus forte.* Jucunda lectu ſunt ea, quæ de columbinis portoriis & veredariis afferuntur, quæ de Proregis magnificentia & reditibus diſſeruntur, quæ de militibus equitibusque in Ægypto ali ſolitis adduntur, quæ de commerciis,

modo

modo & artibus fabricandi merces, mumiis, de urbibus Mecca, Medina, Cairo, Roſetta, Damietta, Matarea, Thebis & Thebaide, Memphi, aliisque innumeris fere rebus, exponuntur. Noſtrum fuit, littus legere, ac vela hic contrahere. Maximi facimus Viri generoſiſſimi induſtriam, eruditionem pragmaticam, & ad ſingula attentionem. Celebramus peræque Venerabilis Abbatis politiſſimum ſcribendi genus, quo *Mailleti* labores graviſſimos elegantiſſime expreſſit, ac lectoribus reddidit longe amœniſſimos.

CRONOLOGIA HISTORICA, SCRITTA IN LINGUA Turca, Perſiana, & Araba, &c.

id eſt,

CHRONOLOGIA HISTORICA, SCRIPTA TURcice, Perſice, & Arabice, ab HAZI CHALIFA MUSTAFA, & Italice verſa a JO. RAINALDO CARLI, Nobili Juſtinopolitano, & Interprete Linguarum Reipublicæ Venetæ.

Venetiis, 1697, 4.

Alph. I plag. 4.

Pertinet quidem hic liber inter antiquiores, ut qui jam ſuperiore Seculo labente prodiit; quia tamen eo tempore noſtris in his *Actis* præteritus fuit, & nihilo minus meretur animadverſionem & recenſionem noſtram, non inutile judicavimus, ſi nunc tandem ejus notitiam noſtris Lectoribus faceremus, præſertim cum ille liber noſtris in oris inventu ſit rarior atque difficilior. Ipſe liber *Hadgi Chaliſæ* magno in pretio eſt orientalibus populis, neque immerito. Continet enim brevem & ſuccinctam delineationem rerum memorabilium, ab orbe condito ad ætatem usque Auctoris, id eſt, ad A. C. 1648, geſtarum. Potiſſima tamen & nobiliſſima libri pars verſatur in rebus Muhammedanorum, quas a *Muhammede* inde tam

tam in Oriente, quam in Occidente, gesserunt, compendiosa in tabula exhibendis. Permovit olim huius opusculi praestantia B. *Andream Acolutbum*, ut Latino illud sermone meditaretur & promitteret se editurum. Vid. eius Specimen Alcorani quadrilinguis. Sed mors egregii viri huic proposito interceſſit. Optandum fuerat, ut Italus noster ad concinnandam Italicam suam interpretationem majorem attulisset fidem & peritiam historiarum. Talis enim, qualis illa prostat typis vulgata, non tantum nullius usus est, sed etiam digna, quæ rogo & æternis tenebris damnetur. Non precario id a nobis asseri, aut in contumeliam hominis cetera nobis prorsus ignoti, demonstrabit propediem vir doctus, qui, Turcicum hujus libri codicem nactus geminum, (Turcice enim scriptus est, non Persice, neque Arabice, quod jactabunda Italicæ versionis inscriptio persuadere vult,) eum Latinum fecit, & amplo commentario, tabulis familiarum orientalium genealogicis, & introductione in historiam Muhammedanam universam, instruxit; eamque suam operam, si nanciscì librarium queat, typis committere vehementer cupit. Quare, quis fuerit *Hadgi Chalifa*, & qua ratione Italus in interpretando versatus fuerit, fusius hic loci exponere nolumus, tempus illud exspectantes, quo de nova editione, cui faustos successus precamur, plura narrare poterimus.

BERNARDI ORICELLARII DE BELLO ITALICO Commentarius, iterum in lucem editus.

Londini, typis Guilielmi Bowyer, 1733, 4. Alph. 1.

Oricellarius Petro Caponio, Gini filio, laborem suum historicum sacrum esse voluit, quem ex *Caponii* avo, nempe *Nerio*, ejusque commentariis, Florentino sermone scriptis, hauserat. *Bernardus Oricellarius*, cujus vitam Editor addidit, ortus erat Florentiæ genere summo, optime educatus, ac disciplinis præstantissimis imbutus. Uxorem duxit *Joannam Petri Medicis*, matronam lectissimam, ex qua præter filios duos in

ætatis

ætatis flore ad Libitinam raptos ſuſcepit *Joannem*, qui poetica claruit facultate, fuitque Romæ ſenator & præfectus arcis S. *Angeli*, & *Pallantem*, ſenatorem Florentinum, ac reipublicæ Florentinæ ad *Carolum V* Imperatorem & ad *Clementem VII* A. 1522 legatum. *Bernardus* multa ibidem polluit autoritate, utpote qui varia obiit munera, & ad reipulicæ clavum ſedit; A. 1488 orator ad Venetos fuit miſſus, ne ſenatus Venetus Piſanis ferret ſuppetias; A. 1512 adſcitus in numerum viginti reipublicæ moderatorum, *Petro Soderinio* ejecto, ſedulam navavit operam, ut motus componeret inteſtinos; poſtea vero fuit inter quadraginta & octo Seniores, dictos *di Balia*. A. 1513 comitiis præfuit, ac *Leoni X* Romam miſſus ſummum eccleſiæ faſtigium gratulatus eſt. Obiit A. 1514. Vir fuit magnæ indolis ſublimique ingenio uſus; factioſus tamen & inquietus, nunc optimatum partes ſequens, ſemperque, ut inter ceteros emineret, contendens. Quo factum, ut, omnibus æque inviſus, extra urbem & extra paternas ædes mori cogeretur. Mediceis nunquam non favit, Gallos odio proſecutus eſt. Philoſophiæ, ac artis hiſtoriam ſcribendi, erat peritiſſimus. Scripſit libros *de Urbe Roma*, *Florentinas hiſtorias*, *Bellum Mediolanenſe*, *Bellum Piſanum*, *Orationem de auxilio Tipheratibus afferendo*, *Hiſtoriam de Caroli VIII*, *Gallorum Regis*, *in Italiam adventu*, quæ in nonnullis exemplaribus de bello Italico & de bello Gallico inſcribitur, *duas Epiſtolas Latinas*, quæ a *Burmanno* ſunt editæ. *Bellum Mediolanenſe* aſſervatur Florentiæ in celeberrima Bibliotheca *Stroziana* & *Magliabechiana*. In *Stroziana* exemplar de bello Piſano MStum in fine eſt mutilum. Legitur vero integrum in *Magliabechiana*, ut habetur in *Giornali dei letterati d' Italia Tom. XXXII Art. 6. Joannes Brindley* primus Bellum Italicum *Bolvyerii* typis edidit, ac in ſtilo Autoris notavit ſyntaxin duriusculam & ſubobſcuram, & erroris nonnunquam ſuſpectam. Editionem *Brindlejanam* alius cum exemplari Bibliothecæ Mediceæ contulit. Unde variæ lectiones pæne centum adinventæ ſunt, quarum nobiliores habes ad calcem huius hiſtoriæ. Bellum Piſanum nunc primum ex MSti avthentici apographo in lucem editur. In fine hic Editor adjecit Orationem de auxilio Tiphernati-

bus afferendo, nunc primo excuſam. *Oricellarium* vocavit alterum Salluſtium *Deſiderius Eraſmus*, qui tamen eum, ſibi obviam factum, & Latine a ſeſe compellatum, eo adigere non potuit, ut Latine reſponderet. *Oricellarius* de ætatis ſuæ hominibus Italis
Pag. 2. hæc habet: *Malo humani generis in ea ſecula devenimus, quibus omnia jura divina atque humana permiſcentur, unde ſecuta imperia ſæva, ſceleſta, facinoroſa, bella, excidia, ſtrages.*
5. *Carolum VIII* vocat *hoſtem barbarum*. *Alexandrum VI* admodum turpem fuiſſe, oſtendit, qui auro ad Pontificatum fuerit evectus, plurimos ſuſceperit filios, regno Neapolitano in-
6. hiaverit, Italiam bello implicuerit. Addit ipſe, nullum Principem magis incendia belli excitaſſe, quam Pontifices Romanos. In illa de Bello Piſano exſtat lacuna haud multum a principio. Ut vero *Oricellarius* in hiſtoria *Salluſtium* imitari, ita in oratione adiecta ad flumen *Ciceronis* ſeſe componere, ſuſtinuit.

SIGEBERTI HAVERCAMPI INTRODUCTIO in Hiſtoriam patriam a primis Hollandiæ Comitibus usque ad Pacem Ultrajectinam & Radſtadtenſem A. 1714.

Lugduni Batavorum, apud Gerardum Potuliet, 1739, 8.

Plag. 7.

Vir Cel. de patria, quæ ipſi domicilium celebre & ſtipendia annua præbet, præclare meriturus, ſtrictim & ſine teſtium nominibus adſcriptis hiſtoriam Trajecti ad Rhenum hoc opuſculo exponere haud dubitavit. A Friſiorum Comitibus *Theodericum* primum, Hollandiæ Comitem primum, arceſſit, ac, huic dynaſtias Zuidhardershage & Bodelograve, nec non Rhenolandiam atque Kennemerlandiam, aſſignatas fuiſſe,
Pag. 2. ſibi perſuadet. Ipſi ab *Ottone* Rege ſubſtitutum fuiſſe *Theodericum II*, filium *Wigmanni IV*, Hamelandiæ Comitis, tradit. A *Sigeberto*, *Arnulfi* Comitis filio, ac *Theoderici II* nepote, no-
5. bilem *Brederodiorum* domum deſcendere, docet. *Theodericus III* Comitatum Hollandiæ ab *Henrico II* Imperatore ſuſcepit feudi loco, dictus eccleſiæ Ultrajectinæ Mareſchalcus. *Robertus*

Flan-

Flandriam (& Friſiam occidentalem) cum Hollandia conjunxit. *Godefredus* Delfos condidit. Omittimus reliquos Comites. Pag. 9.
Cur Belgæ fœderati a *Philippo II* ſeceſſerint, ac ſeſe in libertatem aſſeruerint, Cel. Autor ſolide enarrat, rationibusque junctis exponit. 49.
Annus 1575 fundata Academia Ultrajectina, & novi anni auſpiciis, ac Calendarii emendatione, per Belgium fuit commemorabilis. Æneos tormentorum bellicorum globos (*Bomben*) Venlonæ inventos eſſe, Seculo XVI vergente, Cl. Autor 66.
eſt teſtis. 79.
Conditum tunc fuit caſtellum ad divortia Rheni infra Emericum a *Martino Schenckio a Nideck*, inde *Schenckenſchanz* dictum. *Pag. 82 lin. 21* legendum eſt *capitur* pro *capiuntur*, & *pag. 83 lin. 8 Admiranti* pro *Admirante*. Sed hæc ſunt minima, quæ non curat Prætor. Juvat potius lectorem repetiiſſe controverſias, inter Remonſtrantes & Gomariſtas exortas, 88.
quibus multiplici fato haud ſunt inferiores concertationes, quibus *Ludovicus XIV* Belgium fœderatum evertere, ſibique ſubmittere, contendit. Bellum de Hiſpanica ſucceſſione geſtum brevius perſecutus eſt Cel. Autor, atque in ejus fine cre- 107.
didit ſibi quieſcendum. Nos vero cupiditate flagramus videndi enatam ex hoc ſurculo arborem proceram, & ramis late ſuperbientem. Si quis enim expoſita uberius exornaret, teſtibusque laudari dignis ſtabiliret, nihil ſupereſſet, quod deſideria noſtra & publica in hoc genere ſtudiorum poſſet ulla ratione remorari, vel prægravare.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES ſciences, &c.

id eſt,

HISTORIA REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ ad A. 1734, una cum Commentariis mathematicis & phyſicis ejusdem Anni.

Pariſiis, ex typographia Regia, 1736, 4 maj.

Alph. 4, Tab. æn. 37.

In *Phyſica generali* pergit *du Fay* in commentariis de electricitate. Quinta *Diſſertatio* nova hac de re detecta *Graji*

ſiſtit; ſimulque de variis circumſtantiis, electricitatem mutantibus, ejusque intenſitatem vel augentibus, vel minuentibus, ut temperatura aeris, vacuo, aere compreſſo, &c. agit. Sexta relationem inter electricitatem, & facultatem lucis reddendæ, plerisque corporibus electricis communem, quidque exinde ad naturam electricitatis concludi poſſit, examinat. De congelationibus agit *de Reaumur*, varios frigoris gradus, qui mixtura glaciei cum variis ſalibus, aliisve corporibus ſolidis, vel fluidis, produci poſſunt, nec non utilem horum experimentorum applicationem, exponens. Obſervationes de infante albo, parentibus nigris progenito, ut & de quodam terræ motu, exhibentur. *Reaumurii Hiſtoriæ inſectorum Tomus primus* copioſe recenſetur. Variæ quoque Obſervationes meteorologicæ, diverſis in locis habitæ, ſiſtuntur. Inprimis auroras boreales, hoc anno viſas, enumerat *de Mairan*. Methodum, variationem acus magneticæ mari obſervandi, tradit *Godinus*.

In *Anatomicis* de fiſtula lachrymali commentatur *Petitus*, Chirurgus. Obſervationes vero de monſtris continuat *Winslow*.

In *Chymicis* analyſin plantarum excolendam ſibi ſumſit *Boulduc*. In ſublimati corroſivi naturam inquiſivit *Lemery*, eumque in finem, quid ex ejus combinatione cum aliis corporibus plurimis reſultet, expertus eſt. Antimonium, tartarum emeticum, & Kermes minerale, examini ſubjecit *Geoffroy*, &, unde vis eorum emetica oriatur, oſtendere conatus eſt. Varia experimenta, cum mercurio inſtituta, quo naturam ejus, quomodocunque transformetur, ſemper immutabilem manere, oſtendunt, Academiæ obtulit *Bœrhaave*. De compoſitione liquoris maxime volatilis, ſub *atheris* nomine Chymicis cogniti, disquiſiverunt *du Hamel* & *Groſſe*.

In *Botanicis* ſolus *Marchant* deſcriptionem Tribuli terreſtris, ciceris folio, fructu aculeato, & ſenecionis minoris vulgaris, exhibuit.

In *Geometricis* de Curvis, ad id genus fornicum, quod *Voutes en Dome* appellatur, idoneis, agit *Bouguerus*. *Clairaut* varia Problemata, ad novam methodum, ubi Curva ex data relatione quadam inter duo ejus puncta quæritur, ſpectantia, eleganter ſoluta dedit; quo inprimis ſpectant Curvæ ſegmentorum, a *Jo. Bernoullio*

Digitized by Google

lio quondam propoſitæ; nec non Curva, ſuper qua ſi brachia duo normæ continuo moveantur, vertex ejus deſcribat Curvam datam. Poſteriùs Problema *Fontaine* etiam, & quidem generalius, ſolvendum ſibi ſumſit, dum nempe angulus non rectus ſolum, ſed quivis, ſuper Curva moveatur. Sed, hanc quæſtionem contra legem continuitatis peccare, & loco unius Curvæ continuo duas diverſas prodire, oſtendit *Clairaut*; cui quidem reſpondet *Fontaine*, ſed in ſequenti volumine denuo regerit *Clairaut*. Idem *Fontaine* Curvas tavtochronas in medio reſiſtente conſideravit. *Pitot* ſequens Problema ſolvit: Datis in plano quatuor punctis quomodocunque ſitis, invenire quintum, a quo ſi ad illa ducantur rectæ, tres anguli, his contenti, ſint inter ſe æquales.

Aſtronomiam ornat *Manfredi* Diſſertatio de methodo, figuram telluris ex obſervatione parallaxeos lunaris determinandi. De inclinatione Eclipticæ, aliarumque orbitarum planetarum, ad æquatorem revolutionis ſolis circa axem, agit *Caſſini*. Idem de magnitudine ſatellitum jovialium, nec non de variis erroribus, in eorum obſervationem irrepentibus, commentatur. Novam methodum, poli altitudinem, ope ſtellæ circumpolaris, prope Zenith tranſeuntis, perquam proxime determinandi, tradit *Godinus*. *Caſſinus* de perpendiculari ad meridianum Pariſienſem ducta narrat. Obliquitatem Eclipticæ diminui, & qua ratione id fiat, ut & nodos planetarum immobiles eſſe, oſtendere conatur *Godinus*.

In *Mechanica* de duabus legibus, quas terra aliuvde corpus cœleſte in aſſumenda figura, quam gravitas ipſis inducit, obſervare tenentur, agit *Bouguerus*, æquilibrio nempe omnium columnarum, ad centrum tendentium, & ſitu directionis gravitatis ad ſuperficiem ubique normali. Eandem materiam, in *Tractatu de variis aſtrorum figuris* jam tractatam, reſumſit *de Maupertuis*, variaque elegantia de figuris corporum cœleſtium ex variis attractionis hypotheſibus, de phænomenis cœleſtibus, theoriam hanc conformantibus, de ſtellis nebuloſis, aliisque, adjecit. *Onſen-Bray* Anemometrum novum proponit, quod non ſolum per ſe, & absque alio adjumento, in charta notat ventos intra ſpatium 24 horar, flantes, horamque, qua ſinguli incipiunt & deſinunt,

ſed & varias earum velocitates, ſeu vires relativas. Conſiderationes varias circa artem tornandi inſtituit *de la Condamine*. Earum duo hic ſiſtit ſpecimina. Primum machinam huic rei idoneam continet; alterum Curvas hoc modo deſcribendas conſiderat: qua occaſione Curvas conchoidales, earumque affectiones varias, inveſtigat. *Gobertus* Problema mechanicum ſolvit, de definienda velocitate rotæ molaris, data celeritate fluminis, & pondere a machina movendo; variasque hujus rei applicationes dedit. Hoc quoque anno podierant Abbatis *de Molieres Lectiones Phyſicæ*, in quibus prima corporum principia per ſolas leges mechanicas determinantur; cujus libri contenta hic exhibentur. Amiſit hoc anno Academia ſocium, *Thomam Fantet de Lagny*, haud infimi Mathematicum ſubſellii. Anno decimo octavo, cum nullos adhuc libros mathematicos, præter *Euclidem Fourmierii*, & *Algebram Jac. Pelletierii*, in manibus haberet, omnibusque aliis deſtitueretur ſubſidiis, fundamenta jam jecit ad varias theorias, poſtea ab eo magis magisque perfectas, methodum reſolvendi æquationes tertii & quarti gradus, quadraturam circuli, cubaturam variarum portionum ſphæricarum. Plurima nova tam in Algebra, quam in Geometria, meditabatur. In illa conabatur omnia reſolvere per progreſſiones arithmeticas, ex æquationibus propoſitis derivatas, eoque reducebat caſum irreductibilem, ut dici ſolet, aliaque omnia. Sed menſuram angulorum particularem ſub nomine *Goniometriæ* conſtituebat ſcientiam, in qua novam ſtruebat Theoriam, vi cujus omnia absque Tabulis conſuetis ſinuum tangentiumque eſſent reſolvenda. Multum quoque de Cyclometria laborabat, ſerierum ope ad tantum, quantum lubet, certitudinis gradum abſolvenda. Inprimis veteris Geometriæ erat ſtudioſiſſimus, nec adeo in recentiorum inventis verſatus. Publicata eſt ejus Algebra Pariſiis A. 1697. Eadem vero multo auctior & emendatior opera & ſtudio Abbatis *Richerii*, qui non ſolum claritatem & ordinem, ſed & de ſuis multa, addidit, in *Hiſtoria Academiæ Regiæ ante renovationem*, & quidem in *Tomo XI*, comparuit,

COM-

Digitized by Google

COMMENTATIO HISTORICO-THEOLOGICA, qua nobiliſſima controverſia de Conſecrationibus Epiſcoporum Anglorum recenſetur ac dijudicatur, pro ſummis in Theologia honoribus, in Academia Julia, præſidente JO. LAURENTIO MOSHEMIO, S. Theol. D. & Prof. primar. reliqua, conſcripta & exhibita ab OLAO KIOERNINGIO, Sueco, Philoſ. M. Potentiſſimi Suecorum Regis a Conſiſtorio eccleſiaſt. Holmenſi & Eccleſiæ Gallicæ, quæ Holmiæ eſt, Paſtore primario.

Helmſtadii, apud Chriſt. Frid. Weygand, 1739, 4.

Alph. I plag. 12.

Diſſertationem Academicam hic quidem nobiscum communicari animadvertimus; at nemo non ex ipſa inſcriptione intelligit, gratiſſimum orbi theologico ac literario hic exhiberi commentarium, librumque lectione quorumcunque digniſſimum, quo ediſſeritur recentiſſima illa controverſia, quam Ven. Abbas *Courayerus* Pariſiis ac in Galliis cœpit, ac, eam ob cauſam ſolum vertere juſſus, in Anglia continuavit. Sunt, qui contendunt, ſubeſſe huic controverſiæ ſcopum, eccleſiam Anglicanam vel hac methodo ad eccleſiam Romanam revocandi, ſiquidem ſummus hujus eccleſiæ Pontifex eam litem disquirere ac decidere huc uſque, non citra rationem graviſſimam, omiſit. Optime meruerunt Duumviri, quorum diligentia certatim hoc opus, ex Phidiæ aliqua officina egreſſum ac productum, felicibus auſpiciis protulit, de hiſtoria eccleſiaſtica, ac inprimis de Theologiæ illius parte, in qua diſſentientium argumenta exponuntur ac dijudicantur. Ven. *Moshemii* noſtri famam ipſas Scandinaviæ urbes celeberrimas merito dudum inſtar lucis ſerenioris pervaſiſſe, ac univerſam Europam ſatis ſuperque ipſum admirari æque ac colere, non monemus, ne videamur notiſſimas res repetituri, vel in Viri optimi modeſtiam præclariſſimasque virtutes peccaturi eſſe. Ipſo autore *Caput tertium* Diſſertationis, ni fallimur, gaudet, ipſiusque adjumenta paſſim tralucent. Cl. vero *Olaus Kiörningius* oſtendit,

dit hinc inde in tractationis decursu, quantum usum in doctrinis theologicis locupletandis ex itinere suo Gallico comparatum acquisitumque teneat. In Præfatione ex vero monet, eos, qui inter dissentientes controversiis tractandis dant operam, persæpe magis occupatos esse in adversariis subigendis maledice, ac dictis eorum pervertendis, vitiandis, depravandis, mutilandis. Communicare lubet cum Lectore ea, quæ ipse, experientia magistra edoctus, lectori tradidit expendenda. Ipse sic disserit: *Cum Lutetiæ Parisiorum degerem, tres Protestantes, de quibus duo Hiberni erant, religionem patriam cum Pontificia, seu Romana, commutabant. Sermones, hac occasione recitatos, ipse audivi, unum A. 1737, reliquos A. 1738 in monasteriis à la Mercy & aux Carmes de Luxembourg. Bone Deus, quantopore obstupui, cum, veteres illas calumnias & vanissimas ratiunculas, toties totiesque depulsas, & ab ipsis sanioribus Romanæ ecclesiæ membris rejectas, cum strepitu & nescio qua arrogantia in elegantissimæ Galliæ metropoli repeti, iterum intelligerem. Maxima pars declamationum conviciis constabat in eos, qui primi signum Seculo XVI contra Romanas superstitiones & errores sustulerunt. Lutherus, quem sanctissime & sine labe vixisse constat, homo dissolutissimus & omnibus criminibus obrutus; Calvinus infamiæ nota in Gallia inustus, dicebatur. Argumentorum fere nihil audivi, si hoc unum exceperis, quod in ore solet omnium esse, qui imperitos non convincere, sed capere, volunt: Nobis nullam esse Ecclesiam, nullos sacerdotes, quippe qui sine legitimis Episcopis & sine sacrificio N. Testamenti, quibus Protestantes carent, esse nequeant. Sed huic argumento, quo tota salus Romana niti videtur, doctissimus Courayerus tantum nostra ætate detraxit, ut jam domi habeant, quod agant, Pontificii. Neque tamen negare possum, esse, maxime in Gallia, viros eruditos & sagaces, qui vestigia veterum disputatorum plane relinquunt, & scenam multo astutius cautiusque instruunt. Antiquiores Romanæ majestatis propugnatores, omnes, qui finibus ecclesiæ suæ excesserunt, æternis flammis addixerunt, ne Christianos quidem dici posse judicarunt, & errorum pestilentissimorum insimularunt. Hi vero viam longe*

aliam

aliam & commodiorem ingrediuntur. Statuunt nimirum, exiguam diſcrepantiam inter ſuam & Proteſtantium, inprimis Lutheranorum, religionem intercedere. Nos Lutheranos omnia fidei dogmata, ſi unicum de ſacrificio Chriſti continuato, ſeu de ſacrificio N. Teſtamenti, excipias, illibata cuſtodire, atque de ritibus & cerimoniis pro arbitratu ſentire poſſe, dicunt; ingenue quoque fatentur, in Romanam eccleſiam vitia irrepſiſſe haud mediocria, & vetuſtate jam robuſta. Nec idcirco negant, nos in noſtra religione æternam ſalutem poſſe conſequi, at tutiorem tamen & certiorem, quod maxime addi neceſſum eſt, ex Eccleſiæ Romanæ ſinu ad coelum viam patere, quod hæc unice vera & Apoſtolica ſit. Traditionem porro, ſi verbis eorum credendum, valde conſtringunt, ſeque hoc nomine nihil aliud intelligere, dicunt, quam id, quod conſtanter, ubique, concorditer, & ab omnibus Eccleſiis, creditum & traditum fuit. Si quis noſtrum vel dogmata, vel ritus, eorum oppugnat, ad hiſtoriam eccleſiaſticam & primæ eccleſiæ mores ſtatim confugiunt. Nec argumenta hinc ducta a nobis negari poſſe autumant, cum nos ipſimet in multis controverſiis ad idem hoc principium ſæpe provocemus. Et certe, ſi Hiſtoriæ eccleſiaſticæ imperitus & hebetioris paululum ingenii homo cum illis congrediatur, facile in dumeta & vepres compelli poteſt. Tractatio autem ipſa *Capitibus* conſtat *tribus*. *Primum* eſt hiſtoricum, quo hiſtoria controverſiæ *de conſecrationibus Epiſcoporum Anglorum* exponitur, quatuor quidem temporum periodis alligata. Periodus prima exhibet faciem controverſiæ, qualis illa exſtitit regnante *Eliſabetha*. Secunda ad ætatem regnantis *Jacobi* primi respicit. Tertia regno *Caroli II* eſt propria. In quarta recentiſſimi, qui *Courayerum* Gallia expulerunt, motus recenſentur. Copioſius hic fuerunt cuncta expoſita, ſiquidem nemo hiſtoriam controverſiæ illius ex profeſſo ſcripſit. *Capite ſecundo* omnia illa argumenta, quibus conſecratio Epiſcoporum eccleſiæ Anglicanæ vel oppugnatur, vel defenditur, illa ad minimum, in quibus vis quædam eſt, ordine ac ingenue referuntur. *Tertio Capite* ſententiam de diuturno & graviſſimo certamine hoc Ven. *Mosheimius* tulit, atque ex interioribus eccleſiæ Romano-catholicæ rationi-

bus demoſtratum dedit, litem quidem ſatis inſtructam & peroratam eſſe, nec tamen adhuc ob ſilentium Romani antiſtitis & alias cauſas decerni poſſe, utri parti victoria ſit tribuenda. Hæc promulſidis loco. Ex cœna dubia nunc apponemus dapatilia quædam. Ex *Capite primo*, cujus magna pars videtur calamo *Mosbemiano* deberi, innoteſcit mira controverſiæ illius viciſſitudo & impugnatorum inconſtantia. Quis enim credidiſſet ante ſesquicentum annos, exorituram eſſe diem, qua Pontificiorum potiſſimi conſecrationem Epiſcoporum Anglorum pro legitima fuiſſent habituri? In his vero nunc nomen præcipue profitetur ſu-

Pag. 67. um *Petrus Franciscus le Courayer*, Rothomagi in Normannia 17 Nov. 1681 natus patre *Petro*, Referendario, ut vocant, in Cancellaria, viro apud ſuos in magna poſito exiſtimatione, mediocribus licet opibus prædito, matre autem *Maria Magdalena Pacquer*. Ipſe literarum primis elementis imbutus eſt in parentum ſuorum patria, Vernonii nempe, quod Normanniæ eſt oppidum. Confecto Rhetorices curſu, A. 1695 Lutetiam venit, ubi in Collegio Bellovacenſi, duce *Petro Mordreto* Profeſſore, Philoſophiæ operam gnaviter dedit. Hoc ſtadium cum per biennium decurriſſet, A. 1697 in Collegium Canonicorum Regularium, quod S. *Genovefæ* dicatum eſt, receptus, die 15 Aug. veſtimenta, his Canonicis propria, induit, peractoque explorationis anno, A. 1698, 31 Aug. ſolennia vota publice nuncupavit. Primos novæ hujus vitæ annos in illis conſumſit ſtudiis, quæ in Collegiis Canonicorum ſolent junioribus inſtillari: poſtea, qui alios, quæ didicerat, doceret, a præfectis idoneis judicatus eſt. Superatis minoribus, quos eccleſia Romana vocat, ordinibus, A. 1706, 18 Dec. Presbyter fuit conſecratus, ſimulque Profeſſoris Theologiæ munus ſuſcepit. Sanctiorem deinde ſapientiam per quinquennium in binis Collegiis Ordinis ſui, Collegio Pariſienſi ſubjectis & in tractu Bellovacenſi ſitis,

68. nec ſine laude, docuit. A. 1711 Lutetiam menſe Auguſto revocatus, & in Collegio, in quo antea vixerat, Bibliothecæ præfectus eſt. Quo quidem munere ſexdecim annos usque ad A. 1728, quo acerbitas inimicorum eum patria expulit, ita functus fuit, ut ſibi bonorum omnium & eruditorum favorem & benevolentiam

con-

conciliaret. Succeſſit ipſi in Bibliothecæ cura P. *Prevot*, a quo copioſiorem *Courayeri* vitam iri ſcriptum ſperamus. Ut vero ab initio exordiamur, opus eſt. *Jo. Ivellus*, *Eliſabetha* regni ſceptrum in Anglia capeſſente, A. 1560 conſecratus fuit rite a *Barkero*, ipſe Sarisburienſis Epiſcopus. Ipſe iniit hoc Pag. 8.
munus oratione ſacra, quam e ſuggeſtu *Paulino* ad populum Londinenſem recitavit dominica altera ante feſtum Paſchatis, & errorum Miſſæ expoſitione complevit. Vehementer eo ſermone commotus fuit D. *Henricus Colus*, qui, regnante 10.
Maria, Decanus ædis S. *Pauli* exſtiterat, tunc autem temporis, a munere remotus, in cuſtodia detinebatur. Is enim ſtatim hac de re cum *Ivello* per literas agere cœpit. Mutua inde utriusque ſcripta fuere nata, quæ deinde in lucem formis deſcripta prodierunt. Surrexit præterea in *Ivellum Thomas* 11.
Hardingus, Anglus, *Ivelli* olim collega, quæſtor nimirum Eccleſiæ & Capituli Sarisburienſis, qui poſtea, regnante *Eliſabetha*, ad Pontificios transfugerat Lovanienſes. Junxerunt ſeſe huic plurimi. *Hardingi* ſcripto, Pontificiæ eccleſiæ defendendæ accommodato, reſpondit *Ivellus* in *Apologia eccleſiæ* 14.
Anglicanæ, monumento tanti viri excellente. Inter alia ſic docuit: *Dicimus porro, miniſtrum* eccleſiæ *legitime vocari oportere, & recte atque ordine præfici eccleſiæ Dei; neminem autem ad ſacrum miniſterium pro ſuo arbitrio ac libidine ſe poſſe intrudere.* Hinc anſam Pontificii arripuere de miniſterii eccleſiaſtici 15.
Anglorum momentis diſputandi. *Thomas Hardingus* dignitatem & jura ſacri ordinis eccleſiæ Anglicanæ eapropter prorſus evertere ſtuduit in *Confutatione apologiæ Ivelli* Antw. 1665, 4, Reginæ *Eliſabethæ* dicata. Commemorabilia & huc referenda ſunt ejus verba: *Sacrificium externum & Novi T. ſacerdotum ex nova Evangelii diſciplina ſuſtuliſtis, neque Epiſcopos in ſecta veſtra inauguraſtis, & propterea Sacerdotibus, Presbyteris, caretis, legitima manuum impoſitione factis, ut ſacræ jubent literæ, quia ſacra initia omnia ſolis Epiſcopis proficiſcuntur. Qui dicere poteſtis, miniſterium exequi poſſe quemquam veſtrum, vel legitimum miniſtrum habere vos ullum?* Credidit enim ipſe, nullum ſacerdotium eſſe legitimum & vali- 17.

dum, præter id, quod juſtam habet ſucceſſionem & veram conſecrationem. Ad hanc requirit, ut ipſa fiat ab Epiſcopo Catholico rite conſecrato, atque diplomatis Papalis interventu confirmato, idque ex præſcripto Pontificalis Romani. Ad illam requirit, ut ſibi Epiſcopi non tantum in loco, verum etiam in doctrina, ſuccedant. Contendit itaque, Epiſcopos eccleſiæ Anglicanæ non omni prorſus & ſucceſſione & ordina-
18. tione, ſed tantum juſta & legitima, carere. Objicit & illud
19. *Hardingus*, tres Epiſcopos in Anglia haud exſtitiſſe, qui manus ordinandis imponere potuiſſent. *Hardingi* fere arma adhibuit, qui ei ſubſidio venit, *Thomas Stapletonus*, ratus, Epiſcopos primos tempore *Eliſabethæ* ab aliis Epiſcopis non ordinatos, ſed ſine impoſitione manuum, ſine ulla cerimonia, ſolis literis regiis, in ſedes intruſos eſſe, & hoſce poſtea quoque modo ridiculo alios ordinaſſe, omnes miſſione & diplomate Pontificis
22. carere. Affirmavit tamen, Angliæ Epiſcopos *tantum Parlamenti, non eccleſiæ, eſſe Epiſcopos, novo & inaudito more & ritu*
25. *ordinatos.* Renovaverat vero *Eliſabetha* reformationis eccleſiaſticæ leges, quas *Henricus VIII* tulerat, & ſigillatim jusjurandum Suprematus, ſed loco Pontificalis Romani, quod *Henricus* retinuerat, liturgiam Anglicanam ſub *Eduardo* concinnatam, a *Maria* rejectam, conſentiente primo ſenatu, qui ſub exordium regni ejus coactus fuit, recipi juſſerat. Huic Liturgiæ forma conſecrationis Epiſcoporum adhæret, ideoque mentio ejus ſigillatim in decreto non eſt facta. Ex hoc innocenti ſilentio ſectatores antiſtitis Romani occaſionem ceperunt perſuadendi rudibus, Epiſcopos Angliæ neque ritu Pontificio & Romano, neque etiam ex legibus regni, inauguratos, eaque de cauſa nullos eſſe. Eadem chorda oberravit *Stapletonus.*
26. Hic ut occurreret cavillationibus, ſupremum regni conſilium A. 1566 ſententiam ſuam plenius expoſuit, atque, formam Epiſcopos & ſacrorum miniſtros inaugurandi, quam *Eduardus* inſtituit, una cum Liturgia a ſe approbatam eſſe, declaravit.
28. *Nicolaus Sanderus* poſt *Stapletonum* eandem litem fecit ſuam, addens, Epiſcopos Anglorum ſub *Eliſabetha* primos ab Archiepiſcopo quodam Hiberno, tunc temporis captivo Londini,

con-

Digitized by Google

conſecrari voluiſſe, Metropolitano inter ſeſe carentes. Regnante *Jacobo I*, acceſſit impugnationibus fabula ſingularis. Anno enim 1604 *Chriſtophorus Holywood*, ſeu *a Sacroboſco*, Jeſuita Hibernus, in libro *de inveſtiganda vera & inviſibili Chriſti Eccleſia* Antw. 1604, 8, *Cap. 4 pag. 68* hæc protulit: *Principio regni Eliſabetæ creandi erant Epiſcopi ſectarii. Candidati convenerunt Londini in quodam hoſpitio plateæ, Anglice dictæ Cheapſide, ad inſigne capitis Manni, & una cum illis ordines collaturus Landavenſis Epiſcopus, homo ſenex & ſimplex. Quod ut Bonnerus, tunc Decanus Epiſcoporum in Anglia, audivit, miſit e turri Londinenſi, ubi religionis cauſa detinebatur, Capellanum ſuum, qui Landavenſi propoſita excommunicationis poena, prohiberet novos Candidatos ordinare. Ea autem denuntiatione territus Landavenſis, pedem retulit, multiplicique tergiverſatione uſus, ſacrilegam vitavit ordinationem. Hic furere Candidati, Landavenſem contemnere, nova quærere conſilia. Quid plura? Scoræus Monachus (poſt Herefordenſis Pſeudoepiſcopus) ceteris, ex ceteris quidam Scoraeo, manus imponunt, fiuntque ſine patre filii, & pater a filiis procreatur. Res ſeculis omnibus inaudita. Quod D. Thom. Neale, Hebraicus Oxoniæ Lector, qui interfuit, antiquis confeſſoribus, illi mihi narrarunt. Et fidem adſtruit, quod in Comitiis poſtea ſancitum fuit, ut pro legitimis Epiſcopis haberentur Parlamentarii iſti.* Eadem breviari jactavit verborum numero D. *Matth. Kelliſonus*, Collegii Anglicani Duacenſis præfectus. Diſtinctius vero rem narravit Jeſuita magni nominis, *Robertus Perſons*, (*Parſonus* vulgo,) A. 1612. Eadem repetiit A. 1614 *Henricus Fitzſimon* in *Britannomachia.* Id vero memoratu eſt dignius, quod denuo eſt proferendum. *Georgius Abbotus*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, A. 1614, 12 Maji, *Jo. Colletonum*, Archipresbyterum eccleſiæ Romanæ, *Th. Leak*, ſacerdotem ſecularem, *Alexandrum Fayrcloth*, & *Th. Laithwait*, Jeſuitas, ad ſe vocari, & ſe non modo, ſed etiam aliis noonullis Epiſcopis, *Joanne Londinenſi, Guilielmo Dunelmenſi, Lanceloto Elienſi, Jacobo Bath. & Wellenſi, Rich. Lincolnienſi, & Jo. Roffenſi*, præſentibus, *codicem*, ut vocatur, *regiſtralem Parkeri* evolvere, contrectare, & examinare, juſſit. Cum vero nihilo ſe-

Pag. 37.

38.

35.

43.

secius calumniatores maligni easdem renovarent criminationes, *Fr. Masonus* Londini A. 1613, fol. edidit librum: *Vindication of the Church of England, concerning the Consecration and Ordination of the Bishops - - as also of the ordination of Priests and Deacons in five Books.* Induxit in hoc libro colloquentes Philodoxum & Orthodoxum, quorum ille Sacerdotem ecclesiæ Romanæ, hic Presbyterum Angliæ, repræsentat.
Pag. 45. Latine opus prodiit Londini A. 1738 peræque in forma amplissima, recens auctum, Regique *Jacobo* & *Henrico de Gondy*, Episcopo Parisiensi, inscriptum. Ut hunc librum recudendum curaret *Masonus*, in causa erat *Antonius Champnæus*, Hibernus, Presbyter & Doctor Sorbonnicus, qui A. 1616 singulari libro, Anglice scripto, *Masonum* ex instituto debellandum susceperat, cui titulus: *A treatise of the vocation of Bishops and other Ecclesiastical Ministers, by Anthony Champney.* Dovay, 1616, 8. Hic omnium primus *Barlowii* consecrationem in dubium revocare ausus est. Occasionem dubitandi de ea *Masonus* ipse homini videtur dedisse. Hic enim, licet validis ceteroquin argumen-
50. tis testatum faciat, *Barlowium* rite consecratum fuisse, non tamen dissimulat, tabulas publicas, in quas historia hujus consecrationis ex lege referri solet, se haud investigare potuisse. Cessavit posthæc illa per annos complures controversia. Negligenda enim sunt ea, quæ A. 1657 Jesuitæ in libro, Rothomagi
51. edito, *de natura fidei orthodoxæ & hæreseos*, de *Parkero* in caupona ad caput manni consecrato protulerunt. Caute & modeste de hac controversia omni pronuntiavit *Jac. Benignus*
53. *Bossuetus* in celeberrimo libro: *Histoire des Variations*, à Paris, 1688, *T. II L. X, 16, pag. 73*, fabula illa omissa. Audacius vero & imprudentius A. 1716 egit *Renatus Massuetus* in editione *Irenæi*, a se adornata, *Diss. III Artic. 3 p. 117, 24*, ubi illam denuo de *Parkero* in caupona consecrato fabulam recoxit, invitatus, vel potius irritatus, acerbioribus *Jo. Ern. Grabii* verbis, in Notis
54. ad *Irenæum*, Oxoniæ A. 1702 ab ipso editum, *pag. 201* sese lectori offerentibus, ubi hic tradiderat, argumentum, quod *Irenæus* a successione Romanorum Episcoporum ad retundendos Valentinianos ducit, hodie nullius dignitatis esse, eo quod Ro-

mani

Digitized by Google

mani Episcopi religionem Christianam depravassent, isthæc adjungens: *Sed nunc id argumenti genus minus valet, postquam Romani Papæ traditioni, ab Apostolis acceptæ, alios articulos, incertos partim, partim falsos, assuerunt: quorum disertam professionem quamdiu ab omnibus stricte requirunt, frustra argumentum illud aliis, a communione sua divisis, opponunt.* At, cum lex illa *Clementis XI*, quæ Bulla Unigenitus Pag. 58.
vulgo vocatur, annis 1715, 1716, 1717, horribiles in universa Gallia motus cieret, multique Galliæ Antistites, auctore & duce *Ludovico Antonio Noaillio*, Cardinali & Archiepiscopo Parisiensi, a Romani Pontificis decreto ad futurum totius ecclesiæ Concilium jam provocassent, ipsa etiam Parisiensis Academia minas Romanas spernere, & hoc exemplum imitari velle, videretur, sapientes quosdam & moderatos ex Galliæ Theologis cupido incessit, occasione harum turbarum ecclesiam Anglicanam cum Gallica consociandi. Abbas *Piers de Girardin* in his eminebat, vir eximius, & magnum Sorbonæ ornamentum. Eandem sententiam approbarunt alii viri summi, horumque e numero *Ludovicus Ellies du Pin. Guilielmus Wakius,* 59.
Archiepiscopus Cantuariensis, qua erat animi lenitate, institutum plane probavit & commendavit. Convenerunt conditio- 60.
nes, quas hic enumerare, longum nimis foret. Simul ac unus in Gallia deliberantium in conventu quodam, de ea concordia instituto, intercederet, Romanique Pontificis autoritatem obverteret, totus conticebat cœtus, consultationes cessabant, legatusque Britannicus ad suos revertebatur. Vix hæc consi- 63.
lia divulgata erant, cum familiares Romani Pontificis, acriter sibi obsistendum esse illi, ne quid res Romana detrimenti caperet, intelligerent. Studiosi pacis largiti fuerant, consecrationem Episcoporum Anglorum esse legitimam, & hos nulla id- 64.
circo re Gallis inferiores fore. Conciliatores fabulam illam notissimam de *Parkeri* consecratione cauponaria omni plane autoritate & probabilitate exuere tentabant. Injecit vero impedimenta in ipsis Angliæ terris ferventi pacificationi A. 1719 homo Pontificius, *Thomas Wardus*, libro edito: *The Controverse of ordination truly stated, as far as it concerns the*

Church

Church of England, by Law eſtabliſhed, Lond. 1719, 8. Conatum vero leviorem repreſſit ſubito vir eruditus, *Daniel Williams*, eccleſiæ Anglicanæ Presbyter, libello evulgato, quem inſcripſit, *the Succeſſion of Proteſtant Biſhops aſſerted, or the regularity of the Church of England juſtify'd, wherein the firſt Proteſtant Biſhops are clear'd from the ſtoperſions lately, caſt upon them by Thiward.* Lond. 1721, 8. A. 1720 jam in Galliis Abbas *Gouldius*, Hibernus, librum recudi fecit, atque,
Pag. 65. conſecrationem Epiſcoporum Angliæ eſſe minus legitimam, in adjecta commentatiuncula contendit. Subjecit hanc acceſſionem judicio *Euſebii Renaudoti.* Hic *Gouldii* inſtitutum laudavit, acceſſionem vero gravitati negotii minus reſpondere, ratus, demonſtrationem aliam, Epiſcopis Angliæ oppoſitam, exaravit, cujus ſummam *Gouldius*, gemmæ inſtar inſignioris, libro inſeruit ſuo. Expoſuerat *Renaudotus* breviter ea omnia, quæ conſecrationi Epiſcoporum Anglorum poterant opponi. At commentariolus ipſius duos viros eruditos excitavit ad hanc cauſam accuratius cognoſcendam, & dirimendam, alterum Hibernum, Gallum alterum. Ille Collegii theologici Pariſienſis Doctor primus biennio elapſo brevi Diſſertatione Latina rationes *Renaudoti* propagavit, denuo a Jeſuitis confutatus. Tum tandem *Courayerus* lacertos movit, ac, conſecrationem Epiſcoporum Anglorum validam legitimamque eſſe, docuit, nec eam ſententiam in hunc exuit diem. Quid de ea ſenſerit ſentiatque,
72. intelligitur ex libro ipſius, cui titulus eſt: *Diſſertation ſur la validité des ordinations des Anglois & ſur la ſucceſſion des Evêques de l'Egliſe Anglicane, avec les preuves juſtificatives des faits avancez dans cet ouvrage. A Bruxelles, chez Simon t' Serſtevens, libraire, près R. R. P. P. Dominicains, 1723, 8* (re vera Nanceji Lotharingorum formis eſt deſcriptus). Anglice hæc Diſſertatio prodiit converſa a *Dan. Williams*, Presbytero, Lond. 1725, 8. Libri duæ ſunt partes. Prior, quæ undecim continetur Capitibus, primum, *Matth. Parkeri*, primi poſt ſacrorum inſtaurationem Antiſtitis Cantuarienſis, & M. Britanniæ Primatis, conſecrationem legitimam & omnis vitii expertem eſſe, demonſtrat. *Capite primo* Autor exponit rationem, qua ritus

circa

Digitized by Google

circa conſecrationem Epiſcoporum ſunt immutati. Secundo examinat fabulam de cauponaria conſecratione. Tertio, quarto, Pag. 73.
& quinto, id agit, ut, *Guilielmum Barlowium*, qui Epiſcoporum, a quibus *Parkerus* munere ſuo initiatus eſt, fuit princeps, ipſum non rite & ex more Romanæ Eccleſiæ inauguratum fuiſſe, demonſtret. De reliquis enim tribus, qui ejus conſecrationi interfuerunt, non dubitatur. Quamvis enim forma & ratio Epiſcopos conſecrandi, quæ *Eduardi VI*, M. Britanniæ Regis, autoritate fuit introducta, a veteri Romano ritu nonnihil discrepet; in illis tamen rebus, in quibus eſſentia conſecrationis poſita eſt, formam Anglicanam veteri mori Romano, ſive forma, ſive materia, ſpectetur, plane congruere; materiam conſecrationis in manuum impoſitione ab omnibus collocari; formam in precibus ſitam eſſe, quibus Spiritus Sancti auxilium novo Epiſcopo ad omnes muneris ſui partes rite obeundas expetitur; de ratione autem & verbis harum precum nihil lege quadam ſancitum & decretum eſſe. Reliqua in enodandis quatuor difficultatibus, quas ſecus ſentientes his rationibus opponunt, conſumuntur. *Parte ſecunda* expediuntur reliquæ exceptiones & difficultates, ſiquidem cetera *Partis primæ* capita in quatuor difficultatibus enodandis verſantur. *Capite* totius operis *penultimo* ſigillatim Autor oſtendit, ſucceſſionem Epiſcoporum Angliæ per ſeceſſionem eorum ab eccleſia Romana haud interruptam eſſe. Adjecta ſunt volumini omnia documenta, quibus 74.
ea, quæ in libro traduntur, firmantur, ex Anglia magnam partem ad Autorem ab Archiepiſcopo Cantuarienſi miſſa. Dictio ceteroquin elegans eſt & perſpicua; tradendi ratio facilis, & a ſcholarum tenebris aliena; ingenuitas laudabilis, & in eccleſiæ Romanæ cive admodum inſolita. Inſurrexerunt in *Courayeri* hoc ſcriptum Jeſuitæ quidam, qui *Memorias Trivoltinas* condunt, *A. 1723 Nov. p. 2257*, *A. 1724 Maj. p. 946*, *Jacobus Gervaſius*, vir mobilis & præceps, *Jo. Harduinus*, ad inſaniam Pontifici Romano 77.
deditus, *Michael le Quien*, Dominicanus modeſtior, & *Jacobus Fennel*. Oppoſuit hiſce Vindicias ſuas *Courayerus* in libro, A. 1726 Rothomagi formis deſcripto, cui titulus: *Defenſe de la Diſſertation ſur la validité des Ordinations des Anglois, à Bruxelles*, 1726, 4 Vol. in 8. Summam libri recenſent Duum-

viri. Memorabile eſt, *Courayerum* nec incruentum illud Miſſæ ſacrificium, nec Transſubſtantiationem & elementorum panis & vini metamorphoſin, credere, vel in eo ſtabilire, ſed fateri, ſacrificium modo repræſentativum, ſeu commemorativum, laudis & gratiarum actionis in S. Cœna eſſe præſto, atque nobiſcum
Pag. 88. Chriſtum in ſacra Cœna modo inexplicabili, vere licet, minime tamen phyſice, præſentem eſſe. Quod ipſum argumentum ei Lutetiæ & apud Jeſuitarum ordinem fuit pernicioſum. Hinc accuſationibus res in *Courayerum* ab inimicis & obtrectatoribus geſta. Quare *Claudius le Pelletier* ac Jeſuitæ rem eo deduxere, ut exiſtimationem ejus inciperent plurimi obterere, nec cauſam ejus audirent, qui debebant. Noſtrum jam non eſt, addere complura. Longiores enim fuimus juſto ſolitoque, Lectoremque invitavimus ad Diſſertationem ipſam legendam, qua qui carent, noſtram qualemcunque controverſiæ inſignis expoſitionem æqui bonique conſulent. Id fatendum utique, Duumviros Summe Reverendos ſpecimen hic theologicum prorſus incomparabille edidiſſe.

VITA DEL GLORIOSO PRINCIPE S. PIETRO Orſeolo, &c.

id eſt,

VITA GLORIOSI PRINCIPIS, S. PETRI ORSEOLI, Ducis Venetiarum, poſtmodum Monachi ac Eremitæ ſanctiſſimi, ſcripta a Religioſo Camaldolenſi, & conſecrata Sereniſſimo Principi, CAROLO RUZZINI, Duci Venetiarum.

Venetiis, ſumtibus Joſephi Bettinelli, 1733, 4.

Plag. 15, cum Fig. æri inciſ. 2.

Opuſculi ſcopus in eo conſiſtit, ut gloria *Orſeoli*, ejusque ſanctitas, transmittatur ad ſeræ memoriam poſteritatis. *Capitibus 24* tractatio ipſa abſolvitur, adornata a *Guidone Grandi*, Abbate Camaldolenſi. Enumerat ſcilicet miles vulnera, paſtor oves. Vir Venerandus teſtimoniis utitur diligenter conquiſitis, quorum autores in Præfatione recenſet. Anti-

Digitized by Google

Antiquiſſimum inprimis laudat Codicem *Bernhardi Triviſani*, qui extollitur elogiis juſtiſſimis in Diſſert. *de S. Petro Orſeolo*, inſerta *Tomo IX Ephemeridum Venetarum Art. 12.* Porro delibavit Chronicon *Andreæ Dandoli*, olim Ducis Sereniſſimæ Reipublicæ Venetiarum, inſertum Cel. *Muratorii Tomo XII rerum Italiæ Scriptorum.* Præterea in uſus adhibuit S. Cardinalis *Petri Damiani Vitam P. S. Romualdi*, Anonymi Vitam B. *Petri Orſeoli*, qui vulgo creditur Monachus fuiſſe Rivipullenſis. Juris publici eam fecit *Joannes Mabillonius* in *Actis Ordinis Benedictini*, acceptam a *Stephano Baluzio.* Inſerviit eidem *Vita Orſeoli* adhuc inedita, quæ invenitur in Codice Vitarum, de Sanctis ſcriptarum, in Bibliotheca S. *Eremi* Camaldolenſis, nec non in tabulario Coſſanenſi. Tandem reſtinxit ſitim ex veteri Chronico de Aquileja & Venetiis, aſſervato in Bibliotheca Vaticana, eo tamen pacto, ut ſcriptores Venetos diligentiſſime conſuluerit, ac teſtimonia ſcriptorum haud ſine examine, ſicubi opus erat, dimiſerit. *Orſeolus* ſtirpe nobiliſſima fuit A. 928 Venetiis procreatus, ex qua Duces complures & Epiſcopi exſtiterunt. Uxor ei obtigit *Felicia*, ſeu *Felicitas*, ex familia, uti nonnulli autumant, *Maripetri* natâ. Nuptiæ incidunt in annum 946, ideoque fuerunt præcoces, e quibus prodiit proles maſcula patri cognominis. Uterque conjugum deinceps voto perpetuæ caſtitatis & continentiæ ſeſe obſtrinxit. Narentanos pater in conſpectu civitatis oppreſſit rebelles ac Sclavos A. 948. Princeps Candianus interim ex tribus filiis *Petrum* ſibi collegam in republica adminiſtranda coptavit, rebellionis primo accuſatum, deinde publico decreto ab exilii incommodis revocatum, ſummo omnium favore loco patris demortui in Principem electum A. 959. Cui *Petro* ſucceſſit *Petrus Urſeolus* A. 976, probitate omnibus ſpectata commendabilis, juſtitiæ litans, rebus novis materia ſubtracta felix, tranquillitatis publicæ conſervator. Eccleſiam S. *Marci* ædificavit, exuſtam incendio in occidione *Petri Candiani*, ſui prædeceſſoris, altari tabulam, miro opere ex auro argentoque ornatam, Conſtantinopoli factam, adjunxit, ſolenniterque dedicavit, xenodochium, pauperibus inſerviturum, addidit tem-

pag. 5. 10. 13. 18. 22. 26. 31.

Digitized by Google

plo, Clericis Monachisque favit, omnibusque benevolentiam ſuam approbavit. A Ducis occiſi familia perpeſſus fuit duriſ-
Pag. 33 ſeq. ſima quæque, quibus feliciter defunctus, fœdus cum populis Iſtriæ renovavit, eosque ad tributum Venetis pendendum adegit.
45. A. 976 claſſem Saracenicam ad Barienſium confinia ſuperavit, ac Barium liberavit obſidione. Deinde abnegationem ſui,
48. a Chriſto præceptam *Matth. XVI, 24*, ita intellexit, ut principatu ſeſe abdicaverit, adjuvante inſtitutum Abbate *Guerino*, ſeu *Warino*, qui præerat Cuxanenſi S. *Michaelis* cœnobio in marcæ
56. Hiſpanicæ tractu Barcinonenſi, Venetiasque venerat. *Petrus* itaque, poſitis ſummi magiſtratus inſignibus, theſauris *Warino* demandatis, clanculum reliquit uxorem duosque filios, ac cum Abbate ſeſe itineri accinxit. Tandem nudis pedibus intravit
68. cœnobium Coſſanum, indutus veſte monaſtica & imberbis, ac novitius, aggregatus S. *Romualdo*, Camaldulenſium parenti. Obiter annotamus, *Romualdum* jam vitam eremiticam prope cœnobium Coſſanum cœpiſſe, ac ad eandem deduxiſſe Abbatem ſuum *Guarinum*, *Petrum Orſeolum*, *Joannem Gradenicum*, aliosque, licet ſuaderet Abbati, ne prorſus cœnobitas re-
73. 74. gere omitteret, ſed iis diebus ad minimum feſtis præſto adeſſet. Videmus, hæc eſſe prætermiſſa a Cl. *Georgio Burchardo Lauterbachio* in *Hiſtoria Occidentis monaſtica pag. 163*, cui hoc
78. quoque adjicimus, jejunium *Romualdi* conſtitiſſe in parco panis ac aquæ uſu, paucaque adjecti ſalis parte. *Orſeolum* in eremo
84 ſeq. inviſit filius, cui pater prædixit Ducalem in patria dignitatem. Obiit ipſe tandem parens A. 982, 11 Jan. corpus vero ejus jux-
88. ta portam ad introitum templi cœnobitici fuit inhumatum.
94. Sub initium Seculi XI corpus, ob miraculorum famam inde translatum, ſolenniter ad dexteram altaris templi partem ſepultum cœpit requieſcere, ac ex eo tempore *Orſeolus* fuit re-
96. religioſa adoratione honoratus ac publice exceptus. Ex profeſſo hæc executus fuit *Juſtus Fontanini* in *Diſſert. de S. Petro Urſeolo, ex primæva eccleſiæ diſciplina Sanctorum canoni adſcripto*, Romæ A. 1730 edita, & *Ancira* in *Diſſertacione ſopra S. Pietro Orſeolo*. Tandem cœnobitæ Benedictini S. *Michaelis* Cuxanenſis monaſterii, quod nullius eſt

diœ-

diœceſeos, ſede Abbatiali vacante A. 1717, Pontificem Roma- Pag. 117 ſeq.
num *Clementem XI* edocuerunt conſtitutione ſynodali perſcripta ſanctitatem & miracula S. *Petri Urſeoli*, nec non canonizationem ejus, jam olim ab Epiſcopo *Oliba* ſolenniter peractam. Addi poteſt, cœnobium hoc S. *Michaelis* Coxanenſe annumerari congregationi Tarraconenſi Benedictinorum, quam vulgo ignorant noſtri rerum monaſticarum ſcriptores.

CENT OTTANTA E PIU UOMINI ILLUSTRI del Friuli, &c.

id eſt,

CENTUM ET OCTOGINTA AC ULTRA VIRI illuſtri Forojulienſes, ac ſuccincte in ſuas claſſes diſpoſiti, opera BASILII ASQUINI, Barnabitæ Udinenſis, una cum brevi notitia hiſtoriæ hujus regionis.

Venetiis, typis Angeli Paſinelli, 1735, 8.

Plag. 8.

Juventuti Forojulienſi opuſculum hoc ab Autore eſt inſcriptum, eam edocturo, virtutem eſſe ſolam ac unicam nobilitatem, miſerumque exiſtimari, alienæ incumbere famæ. Succedit Præfationis, ſeu Dedicationis, formulæ notitia de Forojulii Venetorum hiſtoria, maximam partem ex *Verona illuſtrata* Illuſtriſſimi Marchionis *Scipionis Maffeji* depromta. 11 ſeq.
Forum Julii ita fuit dictum, quod *Julius Cæſar* negotiationis forum ibi ſtatuerat. Aquileja gloriam avitam amittente, Forum Julii cœpit eſſe terræ Venetorum caput, aliquando ſedes 30.
Regum Longobardiæ. A. 776 *Ratgaudi* præfectura com- 32.
prehendit Ducatum Forojulianum & Marchiam Tarviſinam. 35.
Notus eſt *Eberhardus*, Dux, ſeu Marchio, Forojulienſis, cui
Giſela fuit uxor; quam *Jo. Georg. Eccardus* pro *Ludovici Pii* 39.
filia habebat. A. 1402 obiit *Pileus de Prata*, purpuratus
curiæ Romanæ, Forojulii poſſeſſor feudalis, cui ſucceſſit *Antonius de Ponte*, ultimus Patriarcha, qui in Iſtriam & Forojulium, 57.
terrasque adjunctas, temporali gaviſus fuit dominatu. Nam, imperante *Sigismundo*, dominatus ille ex arbitrio Martis ad

Venetias pervenit. Illuſtrium virorum Forojulienſium catalogus complectitur chronologiam, ab A. 1665 ad 1735 decur-
Pag. 60 ſeq rentem, ac exhibet primo eccleſiaſticos 35, deinde armis claros 105, porro politicos 27, tum equeſtres 40, ac tandem literatos ſatis copioſos, quorum vitæ non deſcriptæ, ſed nomina tantum ad ſeriem literarum alphabeti breviter indicata fuerunt, excepto, quod viris doctis adjecti fuerunt anni diesque natales æque ac emortuales, ac ſcriptorum Diſſertationumque indices. In fine acceſſit Diploma *Erfonis, Zanti*, ſeu *Marci*, qui, regnante Rege, aliqua in terra Forojulienſi condidiſſe perhibentur monaſteria. Inter
111 ſeq. eruditos Forojulienſes eminet *Juſtus de Franciſco Fontaninius de S. Daniele*, Archiepiſcopus Ancyranus, qui ſcripſit opera & multa, & diligentiſſime elaborata, quorum ſummæ titulique deſignantur *pag. 102 ſeq.* In Diplomate ſubnexo filius *Deſiderii*
122. vocatur *Adelchis*. Addidit Autor hoc judicii in nota adjecta: *Hinc patet, filium Deſiderii Regis vocatum fuiſſe Adelchim, & non Adalgiſum, ut placuit Sigonio, Equiti Theſauro, & aliis.* At aliis videbitur argumentum hoc eſſe infirmum, eo quod idem regni annus tum *Deſiderio* patri, tum *Adelchi* filio, attribuitur in Diplomate, ac quoniam illud ideo ſuppoſitionis notam præfert ſatis manifeſtam.

Verſuch einer vollſtändigern Lebens-Beſchreibung Johann Brentii, des ältern, ꝛc.

id eſt,

TENTAMEN BIOGRAPHICUM PLENIUS, QUO vita Joannis Brentii, ſenioris, ſine ullo partium ſtudio, ſecundum ordinem chronologicum, adjectisque permultis annotationibus, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Evangelicæ inſervientibus, concinnatum a FRID. JACOBO BEYSCHLAGIO, Gymnaſii patrii Adjuncto, & ad ædem primariam S. Michaelis Catecheta extraordinario. Pars prima, ab A. 1499 usque ad A. 1522.

Halæ Suevorum, typis Georgii Michaelis Meyeri, 1731-1734, 4. Alph. 2 plag. 10.

Im

Ita *Brentius*, ſenior, de eccleſia Dei quondam fuit meritus, ut ipſum jure quodam ſuo per omnes reliquorum ſeculorum decurſiones honos maneat graviſſimus. Laudibus igitur ducendum Clariſſimo olim *Beyſ blagio*, quod viro maxime laudando monumentum ære perennius exigere e re duxerit publica, impulſus inprimis ſuaſionibus aliorum, ac ſenatus ſui approbatione ad periculum ejusmodi faciendum adductus. Præbuit ſubſidia nonnulla Cel. Francofurtanorum ad Mœnum *Peireſcius* & Polyhiſtor, *Zacharias Conradus ab Uffenbach*. Opem ſuppeditare tentavit Vir Ill. *Jo. Jacobus Moſerus de Filſeck*, qui *Brentium* hunc veneratur ſuum tritavum. Quantum operæ exantlandum reſtiterit, ſi vixiſſet, Cl. Autori, id ex eo patet, quod *Brentius* A. 1570, 12 Sept. demum Stutgardiæ obierit. Præmittuntur Homonymi *Brentii*. *Andreas Brentius*, Patavinus, peritia artis medicæ floruit circa annum 1497. An ab hoc differat alius Medicus nominis ejusdem, quem *Hendreichius* in *Pandectis Brandenburg. pag. 725 col b. urbis Chambenſis in Palatinatu Medicum* vocat *ordinarium*, videri poteſt obſcurum. *Andreas Althamerus* ſeſe quoque appellavit *Brentium* a natali ſolo, nempe *Brenz*, ſito ad Gandelfingam in Suevia. Ab aliis vocatur *Altheimer*. Suſpicatur Autor, id ideo fieri, quod majores ejus ex vico Altheim, prope Brenz ſito, fuerint orti. Dolemus, *Althameriana Chriſtophori Jacobi Imhoſii* lucem haud adſpexiſſe. *Althamero*, ſeu *Andreæ Brentio*, Autor per conjecturam aſſignat *Commentationem de Vocabulis regionum & gentium apud Tacitum*, quam vulgo *Joanni Brentio* ſeniori attribuunt. *Joſias Simlerus* in *Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ* laudat quendam *Andream Brentium*, qui Latinæ Bibliorum editioni, quæ in urbe Lipſiæ fuit curata, præfixerit Præfationem. Verum hæc laus ad *Joannem Brentium* ſeniorem ſpectat. Inſcriptio enim ſic habet: *Biblia Lat cum Novo Teſt. Eraſmi & Præfatione Jo. Brentii, fol. Lipſiæ, Volrabii*, 1544. *Franciſcus Brentius*, Jeſuita, per errorem a *Polycarpo Leyſero* vocatus fuit *Brentius*. Conf. *Mureti Lib. I Poem. n. 46*, & *Erythræus* in *Pinacotheca altera num. 50*. *Nicolaus Brentius*, Duacenſis, jurisconſultus, floruit circa A. 1541. *Nathanael Brentius* Hiſtoriam Concilii Tridentini in Anglicum convertit ſermonem. *Samuel Fridericus Bren-*

Pag. 10, 13 ſeq. 16; 21, 23. 25. 28.

Brentius ortu fuit Judæus, ſed ad ſacra Chriſtianorum A. 1601 tranſiit Feuchtwangi in Marchionatu Onolspacenſi, ac A. 1614 edidit Noribergæ *den Jüdiſchen abgeſtreifften Schlangenbalg*, unde per cavillationem a *Salmane Zevi*, Judæo, vocatus eſt *Schlangenbalg*. *Joannes Brentius*, *Brentii* ſenioris filius, nonnunquam cum patre confunditur. Frater ejus videtur exſtitiſſe M. *Joſephus Brentius*, Stutgardianus. Ex *Joanne Brentio* juniori natus fuit M. *Joannes Hippolytus Brentius* A. 1572 Tubingæ, defunctus Onolspaci A. 1630. Hæc ad Homonymos. *Brentius* ſeſe appellavit modo *Brennz*, modo *Prennz*, modo *Brentium*, modo in anguſtiis exilii A. 1548 *Huldreich Engſter*. A fluvio Brenz, ſeu loco Brenz, Gingæ Suevorum confini, vitur *Brentio* hæſiſſe cognomen. *Engſter* fortaſſis ex ἐγκαυστὴς eſt conflatum. Cum *Brentius* in arce Wirtembergica *Wittlingen*, exilio durante ipſius interimiſtico, ſuffugio gauderet, expoſitionem conſcripſit *Pſalmorum XCIV & CXXX*, & eam edidit ſub nomine *Joannis Withlingi*. Pater ipſi fuit *Martinus*, mater *Catharina Henichia*. Ex eis lucem vitamque hauſit in oppido imperiali Wila, ubi parens ipſius functus eſt munere Sculteti, ſeu prætoris. Filius parentes ad doctrinam adduxit evangelicam, beneficio promeritum repenſurus. Natalis ejus incidit in annum 1499, 24 Junii, indice *Heerbrando de vita & morte Brentii*. *Joannis* nomen traxit ex *Joanne* Baptiſta, cui natalis fuerat ſacer, quo ipſo e fonte ſacro fuit ſuſceptus. Eo ipſo *Joannis* die *Brentius* ob fulmen Interimiſticum poſthæc Halis Suevorum ſeſe ſubtrahere debuit. Docilitate mira arripiebat ea, quæ tradebantur. Anno ætatis undecimo ludo demandatus eſt Heidelbergenſi, & paulo poſt Vahingenſi; decimo tertio Academiam iniit Heidelbergenſem, in qua per decennium ſeſe continuit. Florebat ibi D. *Pallas Spangel*, defunctus A. 1512, 17 Julii. *Brentius* Philologiam, Philoſophiam, & propædevmata theologica, ardentiſſimæ diligentiæ imbibit impetu. *Theobaldo Billicano*, alias *Gerlachero*, præeunte, ac *Joanne Knellero*, poſthæc *Caroli V* conſiliario, docente, artes excoluit liberales. Græcam linguam excepit, a *Joanne Oecolampa-*

Pag. 39. 45. 63. 65 ſeq. 75. 145 ſeq. 205 ſeq. 250 ſeq. 289. 298 ſeq.

lampadio traditam, quacum conjunxit Ebraicam, ex *Matthæo Adriano*, Judæo Hiſpano, hauſtam, qui tum religionem a Chriſto cognominatam profeſſus eſt, ac Doctorem Medicinæ egit. *Joannes Juſtus ab Einem*, qui ante aliquot annos vitam & ſcripta *Brentii* Teutonice & ſuccincte ſatis enarravit, vocavit eum perperam *Joannem Matthæum*. *Brentius* anno ætatis decimo quinto evaſit jam *Baccalaureus Philoſophiæ*. Haud multo poſt ſtudium amplexus eſt theologicum, uſus præceptoribus *Petro Scheibenhard*, *Gerrgio Nigri*, & *Marco Stier*, qui Heidelbergæ vernante anno 1518 una cum *Laur. Wolfio* & *Jo. Hoſſero* ex more academico argumenta ſua D. *Martino Luthero*, ibi publice diſputanti, oppoſuere. Nocte elapſa media *Brentius* lucubrationibus ſeſe immerſit, quam conſuetudinem deinde ad vitæ finem usque retinuit, licet invitus, familiarem. A. 1517 inviſit *Joannem Oecolampadium*, Weinspergæ tunc agentem, eodemque Heidelbergæ dignitatem Magiſtri Philoſophiæ obtinuit. Quo facto, Theologiam avidius tractavit, &, quod Autor ſuſpicatur, in Rabbinicis admodum fuit aſſiduus. Omittimus bellaria, quæ paſſim apponuntur ad lectorem inſtruendum & demulcendum, ex animo dolentes, non licuiſſe Autori per fatorum acerbitatem operi tam nobili manum ultimam imponere.

Pag. 332 ſeq. 341 ſeq. 361 ſeq. 387 ſeq.

L' ETNA DE P. CORNELIUS SEVERUS, ET LES Sentences de PUBLIUS SYRUS, &c.

id eſt,

ÆTNA P. CORNELII SEVERI, AC SENTENTIÆ PUBLII SYRI, converſæ in Gallicum una cum annotationibus, Diſſertationibus criticis, hiſtoricis, geographicis, &c. & verbis Latinis utriusque Autoris, a latere translationi adjunctis.

Pariſiis, typis Chauberti & Cluſierii, 1736, 12.

Plag. 15½, cum duabus Tabulis geographicis, quarum una Siciliam, altera Ætnam, repræſentat.

Uterque ſcriptorum, qui cura interpretis novi, *J. Accariæ de Serionne*, in præſens lucem denuo adſpicit, aurei ſeculi fuit gloria & ornamentum. Editor præmiſit Commentationem criticam de vita *Cornelii Severi*, Præfationi ſubjunctam, id merito ſibi tribuens eximii, quod hoſce duos Poetas nemo Gallorum transtulerit in ſuam linguam. Editum fuit Latinum *Cornelii Severi* carmen *de Ætna* Venetiis A. 1484, ab *Aldo Manutio* A. 1517, a *Joſepho Scaligero* cum Notis in *Catalectis Virgilii*, a *Frid. Lindenbrogio* inter Batavos A. 1617, qui notas aliquot addidit *Scaligeranis*, ac tandem a *Theodoro Gorallo* Amſtelodami A. 1703 cum Notis variorum. Hic quoniam verba ipſa exquiſite penſitavit, & genuina a ſpuriis diſtinxit, Editori fuit inde anſa oblata, hujus contextum ſequendi. De bello Siculo, quod ſub Triumviris extremis exarſit, *Severus* æque, teſte *Quiutiliano*, carmen concinnavit. Sed id quidem intercidit. Reſtat *Fragmentum* ex carmine ejus *in mortem Ciceronis*, quod hic denuo editur *pag. 32 ſeq.* Videtur id in vitio eſſe ponendum, quod cauſam phyſicam incendii Ætnæ Poeta explicaturus, ſatis crebro ad Numinis ſupremi voluntatem confugerit. Obſervavit id jam *Joannes Clericus Bibl. ſel. Tom. I*
Pag. 6. *Art. 5.* Sed Cl. Editor id laudibus Poetæ ducit, atque, ita *cauſam primam* jure fuiſſe ab eo ſignificatam, arbitratur. In eodem credit ſpecimen ſtili ſublimis eminere, ingenue & aper-
8. te præ ſe ferens, haud licuiſſe univerſam Poetæ pulchritudinem & elegantiam in Gallicam linguam convertere. Adjunxit Diſſertationem *de Monte Ætna*, diligentiſſime elaboratam. Quantum ad *Publium Syrum* attinet, Cl. Editor editionem
11. *Bentleji*, ad manuſcripta optima expreſſam, fuit ſecutus. Inceſſit nihilo ſecius animum ſuſpicio, in *Cornelio Severo* nondum
56. ſingula extrita eſſe menda. *Verſus* certe 54 & 55, quibus initia gigantomachiæ delineantur, laborare videntur:

Juppiter e cælo metuit dextramque coruſca
Armatus flamma. Removet caligine mundum.

Si conjecturis locus eſt, loco vocis *metuit* ſubſtituenda eſt
58. vox *nituit*, ac loco *removet* vox *replet*. Id extra dubium videtur poſitum, in *verſu 68* pro *celſa* legendum eſſe *celſi*. Quæ

vates

vates ſuccincte attigit, ea in metaphraſi fluunt luculentiora, additis vocibus nonnullis ad illuſtrandum. Ut ne lux lectori deeſſet, paſſim translationi ſubjectæ ſunt annotationes, antiquitatibus lumen illaturæ. In Diſſertatione, qua mons Ætna Pag. 180 ſeq. deſcribitur, in eo vires periclitatur Autor, ut incendia montis illius exponat per Geographiam, Mythologiam, Phyſicen, ac hiſtoriam incendiorum maxime memorabilium ſubjungat, qualia exſtiterunt illa tria, unum necem *Cæſari* illatam conſecutum, ſecundum A. 1669, & extremum A. 1693, quo Catanea periit, exortum. Diſſertationem excipit vita *Publii Syri*, cui 227. nonnihil de mimis ac pantomimis fuit immixtum. Succedunt obſervationes in *Publii Syri* Sententias *pag. 235 ſeq.* Sententiæ 233 ſeq. *Publii* ipſæ *pag. 250 ſeq.* notis eruditiſſimis paſſim illuſtratæ. Sententiam hanc: *Facit gratum fortuna, quem nemo videt,* 287. Autor ita exponit: *Caſus fortuitus in cauſa eſt, cur neminem gratiam referre intelligamus, præterquam illos, qui illam haud valent ſpectabilem & celebratam reddere.* Suſpicamur vero, gnomes eum eſſe ſenſum, ut *illum, quem nemo videre, ſeu adſpicere, dignatur, favor optimatum ſoleat jucundum & gratioſum reddere.* Gnome trita eſt: *Feras, non culpes, quod vitari non poteſt.* Sed hic *pag. 288* legitur: *quod vitiari non poteſt.* Cujus generis paroramata alibi quoque deprehendimus.

MICH. CHRISTIANI RUSMEYERI, SS. TH. DOCT. ejusdemque in Acad. Gryphica Prof. Publ. Ord. Theol. Sen. Regii per Pomeraniam Rugianque Aſſeſſ. & ad Ædem D. Virg. Paſt. Labores Academici varii, & ex parte ſelectioris argumenti materias exhibentes.

Lipſiæ, ſumtibus Jacobi Lœfleri, 1740, 4.

Alph. 4 plag. 11.

Offerunt ſeſe in hac Sylloge Diſſertationes 12, Orationes 4, totidemque Programmata. *Diſſertationum* hæc eſt ſumma. *Prima* inſcripta eſt de Donis Spiritus ſancti extraordinariis privæ Eccleſiæ, *ſecunda* de ſalute illa, quam ſcrutati ſunt Prophetæ, *tertia* de præjudiciis, reformationem Evangelicam

ſufflaminantibus, *quarta* de Pœnis typicis, *quinta* de Lepra *Moſaica*, ſive legali, *ſexta* de eo, quod decet Theologum in ſuſtinendis adverſariorum inſultibus, *ſeptima* de fœderibus Dei cum hominibus, *octava* de *Pſalmis XV* adſcenſionum, vulgo graduum, *nona* de palo *Pauli*, *decima* de gratioſa Dei in patrandis miraculis accommodatione, *undecima* de hiſtoria reſurrectionis ſecundum *Matthæum* explicata, & cum narrationibus reliquorum Evangeliſtarum collata, ac tandem *duodecima* de nexu idearum fortuito ſapienter dirigendo. *Orationum prima* exponit de Typo *Adami* & Chriſti in peccati & juſtitiæ communicatione, *ſecunda* de rebus creatis omnibus ſimul ſuſpirantibus, & una parturientibus, *tertia* de præſtantia Confeſſionis Auguſtanæ, & *quarta* de uſu & abuſu ſcientiæ philoſophicæ in Theologia. *Programmate primo* diſſeritur de meſſe ſpirituali, fructibusque Spiritus ſancti, *ſecundo* de *Michaelis* pugna cum dracone, *tertio* de humilibus Regis cœlorum natalibus, & *quarto* de Jeſu Chriſto, ex mortuis reſurgente. Opus ipſum S. Rev. Autor conſecravit Reverendiſſimo atque Illuſtriſſimo S. R. I. Comiti, Domino *Mauritio Ulrico* Comiti ac Domino *in Putbus*, Equiti Ordinis Joannitici de Malta, deſignato Commendatori Lagovienſi, ſacræ regiæ Majeſtatis Suecicæ ſupremi, quod Wismariæ eſt, tribunalis Præſidi, Ducatus Pomeraniæ citerioris & Principatus Rugiæ Mareſchallo hæreditario, Dynaſtæ in Putbus, &c. ex antiquiſſimo veterum Principum Rugianorum legitimo ſanguine originem repetenti. De reliquo ſatis conſtat, Diſſertationes illas duodecim jam olim prodiiſſe in Academia Gryphica ſigillatim, publico examini ſubmiſſas. Selectioris argumenti ſunt *quarta*, *decima*, & *extrema*. Disquiſitionem, quæ eſt *ſeptima*, & qua methodus Theologiam tractandi fœderalis impugnatur, dignam judicavit B. *Joannes Franciſcus Buddeus*, cujus in *Iſagoge ſua hiſtorico-theologica p. 1815, b*, faceret mentionem. *Tertia* eſt Jubilæa, in memoriam Jubilæi Suecici ſecundi habita, res geſtas Reformationis Suecicæ aliquantulum illuſtrans. Commodum ſane eſt, opuſcula hæc, in unum corpus redacta, coram intueri. Cauſa tamen, cur illa junctim prodeant denuo recuſa, hæc non eſt negligen-

gligenda. Occurrunt in Dissertationibus hisce nonnulla, quæ uni alterive offendiculo fuerunt. Nescimus, in quos sit culpa hujus offendiculi conjicienda. Ut igitur exteri scirent, quid inter Autorem & dissentientes de eis momentis actum sit, ipse dudum optavit, ut eas edendi copia ipsi daretur. Voti nunc damnatus, mentem suam in notis aliquot subjunctis exposuit, haud ignarus eorum, quæ in ipsis fuerant desiderata. Dissertatio prima ad *1 Cor. XII, 31*, spectat, ac dona extraordinaria Spiritus sancti ponit in facultatibus, seu virtutibus, divinis, quæ per singularem & consueto largiorem effusionem Spiritus sancti Pag. 3. concessæ fuerunt hominibus primitivæ ecclesiæ, in Christum credentibus, tam impiis, quam vel maxime piis. Notandum vero hic, non dici strictim de fide salutis conciliatrice, sed late de quavis fide historica. Dona vero illa dividit in dona potentiæ, intellectus, & voluntatis. Miracula ad speciem pri- 5. mam videntur referenda, quorum splendor in sanationibus etiam extraordinariis eluxit. Prophetia ad secundum spectat, nec non discretio spirituum, sermo sapientiæ & cognitionis, fides miraculis fidens, ac donum linguarum, earumque interpretationis. Dona voluntatis extraordinaria, quæ vocant sanctificantia, idem admittit. Quærit deinde, an dona illa extra- 17. ordinaria in hisce ultimis diebus exspectare debeamus. Respondet vero hunc in modum: *Hanc quæstionem absolute vel* 25. *affirmare, vel negare, nimis temerarium videtur.* Postea ist- hæc subdit: *Dona extraordinaria, vere dona, hodie in ecclesia* 27. *non inveniuntur.* Memorabilia sunt hæc etiam: *Maxima mi-* 31. *racula conspicimus in iis, quæ non audiunt miracula, nimirum in cæli terraque creatione & conservatione. Quare vero hæc miracula non æstimantur? Quare creator & conservator ex iis non cognoscitur? Nonne propterea, quia sunt universalia, ordinaria, & continua? Miracula igitur & omnia miraculosa dona non possunt non esse extraordinaria, id est, non perpetua, non omni tempore continua.* Inter hæc meminimus, cœli & terræ creationem haud quotidie contingere. Actiones Dei immediatæ & supernaturales sunt distinguendæ pro indole regnorum Dei, naturæ videlicet, gratiæ, & gloriæ. Ad regni naturæ cancel-

cancellos referimus creationem & miracula, quibus providentia Dei extra dubium nonnunquam collocatur. Ad regni gratiæ præstantiam spectant miracula, quibus doctrina significatur revelata, & ejus præcones distinguuntur primi. An ea, quæ in regno naturæ & gratiæ extra ordinem contingere solent, dici possint sigillatim miracula, difficile est definitu, nec satis
Pag. 38 seq. probabile. De *Daniele Schœnemanno*, Poeta extra ordinem facto, & peculiarem in modum elucente, ea affert Autor, quæ legere lectorem juvat. Differit deinde de *Pseudo-charismatibus*, duobus præcipue, quæ seculis ultimis strepitum dederunt. Per σωτηρίαν, de qua *Petrus* differit *1 Ep. I, 10*, intelligit salutarem statum hominum, intra gratiæ regnum tempore N. T.
52. consistentium, statuens, dari salutem & beatitudinem, tum in regno gratiæ, tum in regno gloriæ sese exserentem, illam afflictionibus & lucta interpellatam, hanc vero tranquillatis plenæ matrem. Salutem promissam ad pios V. T. homines utique
82 seq. pertinere, demonstrat late ac copiose. Singularis est hæc propositio: *In sacris literis V. T. nulla explicite fit cœli rerumque cœlestium mentio, implicite vero eadem nihil aliud, quam*
94. *ipsum cœlum, resque cœlestes, complectuntur.* Addidit Autor in annotatione subjuncta: *Intelligenda hæc sunt præcipue de ipso fonte sacrorum librorum, de libris scilicet Mosis.* At, quod pace ejus monendum videtur, non agitur hic de vocabulo *cœli*, vel שָׁמַיִם, sed de salute hominum, quæ ad regnum gratiæ & gloriæ refertur. Salutem ejusmodi existere, & ipsi Patriarchæ & *Moses* omnino docuerunt. Cur enim, obsecro, spes suas in Messia defixerant? Cur *Abrahamus* lætatus fuit de die, seu solenniori adventu, Messiæ *Gen. XVIII?* Cur ipse confessus est, mundum omnem a Deo judicatum iri? Cur *Jacobus* dies vitæ suæ vocavit *peregrinationem*? Cur credidere Patriarchæ, in Messia gentes cunctas, adeoque & se ipsos, beatum iri? Quoniam ipsi Patriarchæ in vitæ suæ externæ cultu per Messiam fuerunt beatitudine affecti? *Jacobus* perhibetur populo suo aggregatus, cum jam decessisset, *Gen. XLIX, 33*, quod de corpore ipsius sane exponi non potest. At haud diffitentur alii, consequentiis hic esse agendum. Omittimus in præsens loca luculen-

culentiora, & gradum ad alia promovemus. Notamus id, quod S. Rev. Autor in loco *1 Pet. III, 21*, credit latere collationem œconomiæ V. T. cum œconomia N. T. Perplacet cogitatio illa: Pag. 95. *Ipſum Protevangelium non in mero ænigmate protoplaſtis fuit exhibitum, ſed ſecundum ſubſtantialia rite explicatum, ex iſto Hevæ apparet ſermone, quo acquiſiviſſe ſibi videbatur virum* את יהוה, *quippe quem ipſum fore Deum, ſcire non poterat, niſi vel per revelationem, vel per illuminationem, ipſi fuiſſet explicatum.* Concedit itaque Autor, per legitimum conſecutionis logicæ filum œconomiam ſalutis quoque e V. T. poſſe demonſtrari, ac adverſus Socinianos ſtabiliri. Deinde de- 97. fendit ſeſe a ſuſpicione Socinianismi, quam alii putarant in *ſingulari* illa *propoſitione* latere. Cognitione theologica A. 1729 in Autorem ideo fuit inquiſitum. Declarationem ſuam & controverſiæ exitum ſubjungit idem *p. 98 ſeq.* Loco Appendicis exponit verba *Luc. XVI, 16.* Pœnas typico-propheticas 118. oſtendit ex exemplo expulſæ cum filio *Hagaris* ob *Gal. IV, 30*, ex decem plagis Ægyptiis ob *Ap. XV, 2, 3*, ex pœnis in immorigeros Iſraelitas expromtis, ex *Chamo* maledicto, proluſione pœnarum, a Judæis expetitarum, ex pœna in Canaanem ſtatuta, ex everſione Gomorrhæ & Sodomæ, Babylonis & Hieroſolymorum, 199. Judæorum ſingularium & illuſtrium, *Caini*, *Lamechi*. Adduntur uſus & typus *Jonæ* ad *Matth. XII, 39, 40.* Lepræ luem curate evolvit ac deſcribit Autor, ratus merito, lepram eſſe peccati 223. ſymbolum, quod *Joannes Clericus* inficiatus fuit, cujus ſententia refellitur. Ea, quæ commentatur de eo, quod decet 296. Theologum in ſuſtinendis adverſariorum inſultibus, debet propriæ meditationi ac tentationi. Pſalmos, qui vocantur *Adſcenſionum*, dictos eſſe de *Adſcenſionibus Iſraelitarum ad feſta Jeruſalem*, exiſtimat. Exponit 450. deinde *Pſalmos 120, 121, 122, 123, 124, 125, 126, 127, 128, 129, 130, 131, 132, 133, 134.* In Diſſ. *de Palo Pauli* exponit Angelum Satan de ſpiritu quodam maligno, qui vocetur præterea *palus carni infixus*, eo quod contume- 529. lias & perſecutiones *Paulo* concitaverit. Hiſtoriam reſurrectionis Chriſti illuſtraturus, *Matthæi* recenſionem ponit funda- 579. menti loco, & ſeriem apparitionum recenſet. *Cleopham* eſſe

Alpha-

Alphæum, asserit *p. 582.* Duplicem mulierum itionem ad sepulcrum, quam B. *Rustus* amplexus fuit, disquirit ac refellit,
Pag. 583 seq. *Gloriam patris*, per quam Christus *Rom. VI, 4*, dicitur ex mortuis resuscitatus, exponit de terribili terræ motu *p. 585.* Per *Si-*
605. *monem*, cujus fit *Luc. XXIV, 34*, mentio, *Petrum* esse intelligendum, arbitratur. Dissertatio *de Nexu idearum fortuito* attentam lectoris meretur curam, siquidem de hoc argumento, quantum novimus, nemo exposuit magis luculente. Orationum prima illustrando loco *Paulino Rom. V, 15 - 19*, inservit, di-
691. recta adversus systema M. *Gerhardi* apocatastaticum. Oratione secunda locum *Rom. VIII, 22*, illustrare contendit Ven. Autor, per *κτίσιν rem creatam quamcunque* more vulgatissi-
709. mo designari ratus. Reliqua sic sunt comparata, ut lucido ordine, genere orationis pulchro, & rerum dignitate, sese commendent. Quare nostrum est, Lectores ad syllogen laborum sacrorum hanc præstantissimam remittere ac invitare.

HISTOIRE DU THEATRE FRANCOIS, &c.

hoc est,

HISTORIA THEATRI GALLICI, INDE A SUA origine ad præsentem usque ætatem, cum vitis celeberrimorum Poetarum dramaticorum, compendiis accuratis, catalogo operum eorundem, critice expenso, notisque tum historicis, tum criticis, illustrato.

Amstelodami, sumtibus societatis, 1735, 8.

Alph. 1 plag. 6.

Theatrum scenamque primi aperuerunt Parisiis fratres, seu socii, dicti vulgo *Confreres de la Passion.* Fata ac progressus ignorantur. Theatrum palatii Flandriæ, & theatrum palatii Burgundiæ, sunt ignota. Posterius, regnante *Ludovico XIII*, fuit admodum illustre. De cetero pleraque sunt incomperta. Unde sicca ac sterilis enascatur oportet historia theatri, Poetarum comicorum, ac personarum, quæ in scenam prodierunt, ac aliis fuerunt spectaculo. Comica, quæ ante *Henricum II* in lucem

lucem fuerunt emiſſa, ſunt fere anonyma, ac paucula illa, quæ reſtant, nomina nullis fere momentis circumſtantibus fuerunt illuſtrata. Myſteria, per *Confratres* repræſentata, anſam dedere ludis Clericorum, qui vocabantur *de la Bazoche*, quibus ſucceſſerunt comœdiæ *infantum curis vacuorum*, (*des enfans ſans ſoucy*,) quorum principem vocabant *principem ſtultorum*, ſeu *ſtultitiæ*. Verum de hiſce quoque non adeo multa innotuerunt. Seculo demum XVII rei comicæ in Gallia coronis fuit impoſita, opera *Cornelii*, *Racini*, ac præcipue ejus, quem vix imitari valet quisquam, *Molierii*. Nec tamen prorſus deſperarunt Autores hujus opuſculi hiſtoriam rei comicæ Gallorum. Adjuvit inſtitutum Ven. Abbas *Sallierius*, qui ipſis copiam fecit librorum Bibliothecæ regiæ. Subſidio fuit illis benignitas Ven. Abbatis *Des Marais*, cuſtodis Bibliothecæ Collegii *Mazariniani*, induſtria Ven. Abbatis *Conteti*, Canonici Abbatiæ S. *Victoris*, a quibus receperunt ac mutuati fuerunt libros, ſcopo ſuo convenientes. Autores ab ætate *Caroli M.* hiſtoriam theatri Gallici deducunt. Primi Poetæ per Europam clari fuere Bardi, quos noſtri vocant *Troubadours*. Cantica, ſpiritui ad Deum dirigendo apta, a peregrinatoribus ſacris, Hieroſolyma, Compoſtella, fano S. Reginæ & Montis S. *Michaelis*, reverſis, decantari ſolita, ſuppeditarunt anſam quibusdam inſtituendi ſocietatem ad exhibendum poematis dialogici genus, inſcripti: *Le Myſtere de la Paſſion*. *Carolus VI* Diplomate inſtitutum hoc confirmavit. Fratres hujus ſocie- Pag. 14 ſeq.
tatis adornabant theatrum in xenodochio Trinitatis, ac ibi diu ſatis diverſa myſteria præbebant contemplanda. Quo loco privati, ſedem fixerunt ipſi in palatio Flandriæ, quod condiderat Rex *Philippus Pulcher* A. 1299, ut ibi captivum *Guidonem*, Flandriæ Comitem, ejusque liberos, detineret; ac deinde transtulerunt domicilium in Burgundiæ palatium. Paulo poſt proceres regni, ne fratres illi ludos, e ſacris literis deſumtos, ederent, ſanxerunt edicto. Fratres itaque locarunt domum ſuam gregi comœdorum, tum operam ſuam offerentium, ac A. 1548 *fratres* ab opere ſuo ceſſarunt, quod in ſex dies erat diſtributum, quorum primus conceptionem *Mariæ*, quatuor ſequentes paſſionem & reſurrectionem Chriſti, ac ſextus tandem

ſeſurrectionem Jeſu Chriſti, complectebatur. Epiſodia agreſtia, rebus ſacris ſuffixa, admodum inſulſo complexu gaudebant. Imago inferorum ac ſermonum ſatanæ comicorum ſpectatores riſu implebat. Inprimis ridiculi fuerunt ſatellites *Pilati* & *Caiphæ*. Ex eodem more, longius latiusque propagato, reſtabat in Germania ſeptentrionali ante annos haud adeo multos, ut ſcholarum diſcipuli de nativitate Chriſti comœdias oſtiatim celebrarent. Autores noſtri afferunt in medium ſpecimina, inde ab A. 1402 usque ad A. 1547, ac curriculum tractationis ſuæ coercent intra annum 1700. *Carolus Magnus* A. 789 edicto interpoſito hiſtriones, circulatores, & ludiones, ſal-
Pag. 2. tatoresque, ſuſtulit. Cum deinde ſpectacula transferrentur comica in ædes ſacras, *Eudo de Sulli*, Epiſcopus Pariſienſis, A. 1197 morem leviſſimum exterminavit. Præcipua ludi jucunditas dicebatur *feſtum ſtultorum*, in templis celebrari ab hiſtrionibus ſolitum, quod demum A. 1444 ordo Theologorum Academicorum Pariſiis cenſura publica profligavit. Seculo XI exorti ſunt Poetæ provinciales, appellati *Trouverres*, ſeu *Troubadors*, id eſt, inventores, qui compoſuerunt diverſa poematum genera, quæ vocantur *cantus*, *ſonus*, *ſonnetta*, *verſus*, *verbum*, *bucolica*, & inter reliqua genera quoque Comœdias. Ipſi Principes & heroes, ad recuperandam terram ſanctam profectos, eorumque victorias, comice exponebant per ea, quæ vocabant *Syrventes*, carminum genera, ex elogiis ac mordaci ſale conflata. Amatoriæ comœdiæ vocabantur *tenſones*, ac continebant preces ac cupiditates, ad conciliandos amores aptas. Immiſcebantur quæſtiones de amoris gradu, vel momentis, quæ variorum judiciis exponebantur, donec diſceptatio ad fœminarum ſodalitatem, ſeu aulam amoris, perduceretur. Poetæ hi, in provincia clari, manſerunt celebres inde ab A. 1130
7. usque ad annum 1382 admodum. Deinde deficiebant Mæcenates. Qui horum veſtigia imitari ſtuduerunt, contemtui expoſuerunt ſeſe, ac bifariam fuerunt diviſi. Alios enim dixere ſcurras & nugivendulos, *jongleurs*; alios autem *joculatores* (joueurs). Rex *Philippus* Auguſtus, ſceptra regni capeſſens, eos finibus regni ſui ejecit. Ex eo factum, ut degenerarent ipſi in *batolores* (*bâteleurs*), arma vibrantes loco ſpectaculi.

Erant

Erant illi vel funambuli, vel ſaltatores. *Anſelmus Faydit*, defunctus A. 1220, eſt autor Comœdiæ ſatyricæ, cui nomen *Hæreſios patrum*, quam *Bonifacius*, Comes Montisferrati, publice in terris ſuis ſpectandam exhiberi juſſit. *Lucas Grimaldius* obiit A. 1308. Compoſuit complures Comœdias adverſus Papam *Bonifacium VIII*, *Benatum Andegavenſem*, Regem Siciliæ & Neapolis, ac Comitem Provinciæ. Omittimus alios, *Truverrios*, *Arnaldum Danielem*, *Hugonem Brunetum*, *Guidonem de Uſez*, *Petrum de S. Remo*, *Perdigonium*, *Richardum de Noves*, *Geraldum de Burnelh*, *Lucam*, *Petrum Rogerium*, *B. de Paraſol*, cujus tragœdiæ recenſentur. Vocem *bazoche* credunt Autores eſſe eandem ac *baſilicam*, qua olim denotabatur auditorium ſpatioſum, in quo prætores jus dicebant. Omittimus ſpecimina comicorum poematum, quæ deinde ad finem usque hujus *Voluminis primi* lance ſatura adjunguntur, exoptantes, ut recentiorem quoque Comœdiæ Gallicæ cognitionem Autores quamprimum edere dignentur. Pag. 10. 23 ſeq. 32.

TRAITE' DE LA PROSODIE FRANCOISE, &c. hoc eſt, *COMMENTATIO DE PROSODIA GALLICA*, *adornante Ven. Abbate DE OLIVETO.*

Pariſiis, typis Ganduini, 1736, 12.

Plag. 12.

Parva non ſunt ea, ſine quorum præſidiis majora nequeunt ſubſiſtere, vel exornari. Qui eloquentiam, poeſin, exercitationem ſtili, ac ſcientias, amant excoluntque, faſtidioſis proſodiæ elementis non poſſunt eſſe imbuti. Præclare idcirco Ven. Abbas de gentibus politioribus, ſua cumprimis natione, meruit, dum ſeſe ad hæc exponenda elementa demiſit. Tractationem ſuam in *quinque Capita* diſtribuit. In *primo* illuſtrat quæſtiones, quæ ſolent præmitti. *Secundo* accentus complectitur. *Tertio* de adſpiratione commentatur. *Quarto* de quantitate diſſerit; et *quinto* uſum proſodiæ Gallicæ demonſtrat. Per proſodiam intelligit modum pronuntiandi ſyllabas ſingulas regulis congruenter, quas exigunt ſyllabæ ſeparatim ſumtæ, ac ſpectatæ ratione accentus, adſpirationis, & quan- 5.

Digitized by Google

titatis. Galli & rhythmis, & verſibus, ad metrum citra rhythmos adſtrictis, ſunt olim gaviſi. *Marcus Claudius Buttet*, cujus carmina A. 1561 prodierunt in lucem, menſuram, ſeu quantitatem, cum rhythmo primus conjunxiſſe inter Gallos exiſtimatur. A. 1570 Pariſiis cœpit Academia, excolendæ linguæ Gallicæ, poeticæ rei in ordinem redigendæ, & menſuræ muſicæ, olim Græcos inter & Romanos receptæ, reſtituendæ, accommodata, autoribus *Joanne Antonio de Baïf*, Poeta, & *Joachimo Thebaldo de Courville*, Muſico, a Rege *Carolo IX* privilegiis, immunitatibus, ac libertatis variæ generibus, inſtructa ac præmunita. *Henricus III* eam denuo confirmavit. Sed bellis civilibus ea fuit diſturbata, ac *Baïfii* obitu A. 1591 penitus exſtincta. *Paſſeratius*, *Desportes*, *Rapinus*, & *Scævola Sammarthanus*, verſus, menſuræ conformatos, pangere haud deſtiterunt. Theoriam vero de quantitate & accentibus nemo eorum tractavit. Paucula delibavit *Henricus Stephanus*, plura docuit *Theodorus Beza* in libro *de Francicæ linguæ rectæ pronuntiatione*, Genevæ A. 1684 emiſſo, licet brevitatis vitio laboret. Dudum Gallorum induſtria, proſodiæ olim admodum intenta, refrixit, ſiquidem ea videtur vel ſupervacua, vel ornatus cauſa duntaxat adſcita, ea antecaptis aliorum opinionibus obfuſcata, ac per novam, indeque a 60 annis invectam, orthographiam peremta. Vocales olim geminabantur, ut appareret ſyllabæ productio. Eodemque fine duplicatæ ſcribebantur conſonantes, e. g. in vocibus *couronne*, *perſonne*, licet originationi earum ita fuerit detrimentum omnino illatum. Ven. Autor fatetur, dari nonnullas veteris orthographiæ inconvenientias, ſed majores, ſimul ac ea penitus ſubvertatur, exſtituras eſſe. Quod ipſum Academia Francica agnovit, tenens medium in orthographiæ modulis intra eam, quam nunc molitur, Vocabularii novi editionem. Accentus vox eſt πολύσημος. Notat enim accentum & proſodicum, & oratorium, & muſicum, & nationi proprium, & typis impreſſum. Proſodicus conſiſtit in vocis vel elatione, vel depreſſione. Unde enati ſunt *acutus*, *gravis*, & *circumflexus*. Oratorius ſpectat ad ſenſum propoſitionis recte exprimendum, mentique alterius inſinuandum. Ven. Autor exhibet catalogum earum vocum, quibus in lin-

Pag. 13. 14. 15. 18. 21. 22. 23. 24. 26.

gua

Digitized by Google

gua Gallica adhæret adſpiratio vel in medio, vel in fine. In vocibus *exhauſſer*, *trahir*, *envahir*, adſpiratio, ſeu *h*, eſt muta. Pag. 36. In fine *h* eſt adſpiratum duntaxat in hiſce tribus vocibus, *ah! eh! oh!* Quantitas deſignat moram, quam cuique ſyllabæ tribuere oportet in pronuntiando, quæ non ſolum eſt ſimpla & dupla, id eſt, brevis & longa, ſed etiam longior aliis longis, & brevior aliis brevibus, immo etiam anceps & dubia. Hac ratione Gallis ſunt quinque diverſæ moræ ſyllabicæ, nempe mutæ, breves, minus breves, longæ, & longiores. Noſtrum non eſt, repetere catalogum alphabeticum, qui exhibet quantitatem ſyllabarum vel ultimæ, vel penultimæ. Id vero Autorem exiſtimamus conſecuturum, ut, niſi uſus obſtiterit tyrannus, rem Gallorum poeticam in meliorem ſtatum, quantum ad ſyllabarum quantitatem, ſæpius negligi ſolitam, attinet, deducturus, & eo pacto præmia laboris ſui laturus ſit exoptata. 49 ſeq. 52.

L' HOMME ET LE SIECLE, &c.
id eſt,
*HOMO ET SECULUM, SEU DIVERSÆ REGULÆ atque ſententiæ criticæ & morales ſuper differentibus unius ac alterius notis, per ***.*

Amſtelodami, impenſis Societatis, 1739, 8.
Alph. 1 plag. $\frac{1}{2}$.

Opuſculo Autor, qui & delectare & prodeſſe voluit, epiſtolam loco dedicationis præmiſit, ad *Novitatem*, quam pro Dea tutelari reputat ſtili ſui novi, quippe quæ ſcriptis, e trivio petitis, inſulſis, & faſtidioſis, afferat id ponderis, ut ipſa poſſint publice placere. Satiricum igitur hic habemus ſcribendi genus, licet minus mordax, potius vero jucundum & amabile. Autor ſcriptum in duas diſtribuit partes. Prior continet *Capita quatuordecim*, in quibus diſſerit de homine, de infantia & adoleſcentia, ætate virili, ſenectute, de fœmina generatim, de ſingularibus fœminarum characteribus, de cupiditatibus dominabus, de ambitione, de avaritia, de amore. Intexuit exhortationem patris ad filium, & *Mortii* ad nepotem, nec non præterea dialogum cupiditatum dominantium, virtutum, & vitiorum. Poſterior complectitur abuſus ſeculi generatim, abuſusque religionis ſpeciatim, expoſitionem Pag. 137.

Digitized by Google

extemporalem de fortuna, de divitiis, de commodis usibusque mediocritatis, de scientiis, de satira, de nobilitate, aula, hymene, philosophia, regulis bene beateque vivendi, theatro, stultitia, justitia, medicina, de corporis sanitate & morbo, morte, luctu, rebusque affinibus. Hisce inserta apparet dijudicatio operis per Autorem ipsum, in formam dialogi redacta, elegia in vitam hominis, judicium Autoris de opere suo. Agmen claudunt interpretationes metaphoricæ, atque definitiones, de argumentis rebusque multis concinnatæ. Autor politissimus hominem contemplatur, qualis est in exercendis actionibus suis, in commerciis cum hoc & illo, in cupiditatibus ac infirmitatibus suis. En flo-
Pag. 7. sculum: *Agere aliter, ac decet, subjicere sese rebus, quæ nobis debebant esse subjectæ, communi sensui repugnare & rationi, sequi dominantem cupiditatem, vitium, ac ordinis defectum, est via hominis illa, qua agitur re ipsa plerumque, non vero illa, quam omnino coli a nobis oportet.* Singulas propositiones si acroamata dixerimus singula, a janua haud aberraverimus. Perplacuit illa:
9. *O fortunatum, cujus fastus haud excedit mensuram boni! Hæc indoles ipsi benevolentiam aliorum parit, eorumque secum fortunam partitur. Si vanitas nostra mediocritatem conditionis nostræ servaverit, vivimus fortunam nauseantes; si ambitio nostra superaverit nostras facultates, languescimus. Ut negotiis defungamur, repamur oportet.* Exhortatio, quam fingitur filio instillasse patet morti vicinus, virtutem spirat & pietatem. Vi-
18. tam vero, quam homines vivunt, ultra hanc vitam haud sapientes, redolet ea exhortatio, quam *Mortius* inspirasse nepoti suo perhibetur. Ipse enim eam rejicit Politicam, cujus temo & anima est religio, illam contra dilaudat, quæ artificio simulationum, dissimulationum, fraudum, & proditionis, consistit, & hoc niti-
19. tur fundamento: *Non nisi naturam propitiam agnosce rerum magistram, creatricem voluptatum ad tuam propriam voluptatem. Ut ad hanc adspires, operam da fortunæ eximiæ tibi comparandæ, probe gnarus, probitatem omnem ac meritum hominis consistere nostra ætate in insigni redituum annuorum multitudine.* Ne quis vero existimet, Autori hoc propudii plenum dogma arridere, ipse adjungit cautionem necessariam, ratus tamen, ab educatione magnam indolis hominum partem pendere. Æta-
24. tis deinde virilis nævos ac virtutes exponit. Peculiaris hæc est

pro-

Digitized by Google

propoſitio: *Homo liberrimus minimis laborat libidinibus pravis.* Nec non hæc ipſa: *Omnes homines ſunt mediocriter ſapientes, & mediocriter ſtulti. Nimium, aut defectus, hujus mediocritatis ipſos reddit aut prorſus ſapientes, aut prorſus ſtultos.* Ut autem Lectori nulla ſit faſtidii materies, & illum potius varietas oblectet, hinc inde Autor inſeruit epiſtolas concinnas & poemata exquiſita. Aulicæ vitæ artes dolosque pulchro exprimit epigrammate. Nævos cauſæ patronorum, Judicum, Medicorum, aliique vitæ generi deditorum, fictis illuſtrat exemplis, quæ acrius afficiunt, quam regularum frigus animum valet commovere. Nec tamen meris cauſam ſuam perorat exemplis; ſed eis interponit acroamata paſſim ſaluberrima. Repetemus nonnulla acroamata. En unum: *Bona animi magna ſunt vilioris pretii, niſi eis acceſſerit & illud, ut eis parce & in loco utaris.* En ſecundum: *Principum amiculi* (les favoris) *ſunt ſimiles numis eorundem. Oportet hos & illos recipere, prouti Princeps eos juſſerit valere, raro autem prouti per naturam ſuam ipſi valent.* En tertium: *Meum & tuum dominantur jam dudum, ſiquidem ars furandi jam eſt magis in uſu poſita, quam unquam alias, eo impenſius invaleſcens, quod non niſi modus puniatur. Epirus effringit januam, furripit non niſi ſex thaleros, vitaque ideo privatur. Is, qui in ipſum jus dicit, ſpoliat per functionem ſuam ſtatum publicum jam viginti annos. Induſtriam vocant. Princeps, ſuperbe crudeliterque ſuis imperans, in eo eſt, ut uſurpet totas provincias ſanguinis ſuorum impendio. Vocant id Principatus amplificationem.* De fœminis ita differit, ut calamus ex ſatirico ingenio aliquid trahat. Ipſas ita deſcribit, ut eas perhibeat eſſe *arcas haud perſcrutabiles, & occultas, ex bono maloque compoſitas, alias magis, alias minus.* In loquacitatem fœminarum hæc profert accommodata: *Orator dixit, Servatorem noſtrum apparuiſſe Magdalenæ, ut pervulgaretur famæ de reſurrectione ipſius, ipſum vero in montem Tabor non niſi viros adduxiſſe, ſiquidem in hoc ſeſe obtulerit myſterium occultum. Explico hoc cogitationis argumentum, perhibens, Philoſophum ſatis accurate definiviſſe, quid ſit fœmina, qui affirmavit, eam eſſe* ens loquax. De fœminis doctis ſic ſenſit: *Fœmina docta ſimilis eſt rariori, in conclave abdito, operi artificioſo, quod curioſis peregrinatoribus ſolet oſtentari, & quod ceteroquin nullum præbet uſum, haud diſſimilis*

Pag. 31. 37. 58. 59. 84. 90. 97.

milis eis, quos equilia magnifica offerunt viſendos, equis, qui nec bello, nec venatui, inſerviunt, quamvis ipſi omnem exercitationis diſciplinam calleant. De potentatu fœminarum hæc habet: *Fœmina poteſt omnia, propterea quod lucrifacit devincitque illos, qui poſſunt omnia, nempe mares.* Lubet ea legere, quæ de præferenda ſortis mediæ conditione Autor expoſuit. De nævis eorum, qui ſcientiis ac eruditioni admodum vacarunt, ea produxit in notitiam communem, quæ a viris primæ magnitudinis in ſcientiarum cœlo ſaluberrime obſervantur. De libelli ſui fatis ita præſagit *p. 247*: *Utique prævideo, Lectorem mihi probra objectaturum, dicturumque, in opere meo non niſi frigidam Ethicam ac Criticen faſtidioſam ineſſe, quippe in quo fruſtra doceatur, formicam eſſe curis plenam providamque, columbam caſtiorem, canem fideliorem, tigremque clementiorem, homine.* Id vero haud intelligimus, quod Autor ſibi perſuadet, Seculis abhinc nonnullis doctos non niſi de modo exponendi materiem rerum, quam veteres dudum exhauſerint, ſolicitos fuiſſe. Quis enim ignorat, in re hiſtorica ſingulis annis nova naſci ſupplementa; viciſſitudines dari regnorum, regionum, urbiumque; in genealogicis libris ſemper eſſe in ſeculo medio emendandum, & ſucceſſu temporis addendum; Geographiam ætatis mediæ expoliri & emendari in dies ex protractis in lucem chartis ineditis; Geographiam recentiſſimam non poſſe non materias ſuppeditare novas, quoties fines regionum per fœdera, bella, paces, mutantur, quoties urbes novæ conduntur, coloniæ conſtituuntur, terræ ab integro novæ deteguntur. Exiſtunt in dies artes novæ artiumque acceſſiones, machinæ antea incognitæ, compendia agendi in opificiis ac artificiis nondum audita. Inveniuntur alia per microſcopia, alia adminiculo teleſcopiorum innoteſcunt. Quin cœlum ipſum ſubinde ſtellas oſtendit novas, haud ſecus ac nonnunquam in maribus inſulæ apparent novæ. Quantum, quæſumus, in tabulis geographicis ad veros longitudinis latitudinisque gradus conformandis reſtat elaborandum, quod ad id temporis ſpatium, quo Aſtronomi cœperunt cœlum ſpectare curis tubisque exquiſitionibus, plane fuit ignoratum? Ut vero dicamus, quod res ipſa poſtulat, Autor haud voluit videri ſcientiarum callentiſſimus, id potius agens, ut ea, quæ & ipſe excogitavit, & aliunde decerpſit, offerret Lectori ſcientiis haud imbuto per lacunas & inſularum intervalla, intentus ſublimitati inexſpectatæ exprimendæ, amans acroamatum brevitatem, allegoriæ brevioris miſcens ſcintillas, ſalesque paſſim minus magisque acutos projiciens. Sunt loca, ubi ex oratore ſcenico aliquid trahit, & ubi verborum luſus & oxymora exhibet. Inde tamen minime colligere licet, quin pleraque ſint terſe & præclare propoſita, utiliter allata, & jucunditati Lectoris augendæ accommodata. Nobis perplacuerunt capita, in quibus de Nobilitate & Juſtitia Autor diſſeruit. Optamus unice, ut nævi omnes, hoc libro in lucem edito, homines derelinquant, & pravitas quæcunque fugiat indignata ſub umbras.

Pag. 99. 240 ſeq. 244. 266. 269. 362 ſeq. 273.

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio XI.

HISTOIRE UNIVERSELLE DEPUIS LE COMMENCEment du monde jusqu' à preſent, &c.

hoc eſt,

HISTORIA UNIVERSALIS A MUNDI EXORDIO ad noſtram ætatem, ex Anglico in Gallicum converſa, a Societate Virorum eruditiſſimorum concinnata. Tomus ſecundus, hiſtoriam Syrorum veterum, Phœnicum, ac Judæorum, inde ab Abrahami ætate ad Saulum deductam, complectens; una cum Figuris æri inciſis, ac Tabulis geographicis.

Hagæ Comitum, typis Adriani Mœtjens, 1738, 4.
Alph. $3\frac{1}{2}$.

Quantopere ſuffragia eruditi orbis hanc Hiſtoriam univerſalem approbatione communi publicaque proſequantur, vel ex eo conſtare videtur, quod Societas Britannorum erudita vix in lucem publicam emittat elaborationem ſuam, cum jam Galli ac Batavi Italique eam in vernaculum ſuum ſermonem convertunt. *Volumine* hoc *ſecundo* offeruntur Lectori *tria Capita*. *Primo* continetur hiſtoria Syrorum antiquorum, nominatim deſcriptio Syriæ; recenſio antiquitatis, rationis regnandi, legum, religionis, rituum, ac morum, artium, ſcientiarum, ac commercii; eorundem chronologia; regna Regum Zobæ, ſeu Sophenes, Damaſci, Hama-

thes, & Geſchuræorum. *Capite ſexto* exponitur hiſtoria Phœnicum. Diſſerit Societas erudita in eo de Phœnices deſcriptione, de antiquitate, regnandi modo, legibus, religione, conſuetudinibus, artibus, ſcientiis, ac Phœnicum commercio, de chronologia Phœnicum, de Regibus Phœnices ſecundum antiquam Græcorum fabuloſam expoſitionem, de regnis Regum Phœnices, Sidoniorum, Tyriorum, ac Aradi. *Caput ſeptimum* majorem rerum repræſentat oculis lectorum apparatum. Conſtat illud *ſeptem Sectionibus*. *Sectio prima* exhibet Judæorum hiſtoriam inde ab *Abrahamo* usque ad *Moſen*. *Secunda Sectio* perſequitur eorum ſervitutem Ægyptiacam, exitum ex Ægypto, ac introitum in Palæſtinam. *Tertia* exponit hiſto-
Pag. 333. riam Judæorum ſub *Joſua*. *Quarta* offert terræ promiſſæ deſcriptionem. *Quinta*, omnium copioſiſſima, exhibet Judæorum gubernationem civilem, religionem, leges, ritus, ſcientias, artes, & commercia. Præcipue exponuntur leges, idololatriæ oppoſitæ, ac puritati cultus divini conformes; leges de Sabbato, de Paſcha, de diebus feſtis; leges de jobeleo, expiationum modis, atque votis; leges de ſacerdotibus, Levitis & Nethinæis; leges de rebus cultui divino conſecratis; leges de judicibus ac juſtitiæ diſpenſatione; leges de cædibus ac homicidiis; leges de impuritate venerea, adulterio, matrimonio, jure Ceviratus & divortio; leges de furto, falſisque teſtibus; leges de alimentis, veſtimentis, ac munditie; leges de Judæorum ritibus. Accedunt Judæorum artes, belligerandi, agrum colendi, poeticen ac muſicen tractandi. Nec minus agitur de eorum lingua, ſcribendi ratione, ac ſcientiis, de ipſorum ſcholis, ac methodo tempus dimetiendi. *Sectio ſexta* ob oculos ponit chronologiam Judaicam inde ab evocatione *Abrahami* usque ad exilium Babylonicum. *Sectione ſeptima* delineatur hiſtoria Judicum Iſraeliticorum, inde ab exceſſu *Joſuæ* usque ad *Saulum* Regem. Ex hoc compendio tractationis perſpicitur integra ſeries & ordo univerſus *Voluminis* hujus *ſecundi*. Tabula geographica, quæ ſitum terræ regnique Cananæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Midianitarum, Idumæorum, ac Amalecitarum, repræſentat, nævis laborat haud

haud unis. Lacus enim Samechonitidis in ea connexus fuit cum Genneſaritico. Urbs Moabitarum primaria Rabbah fuit diſtincta ab Areopoli, & Areopolis fuit confuſa cum urbe Aroer. Urbes Petra & Dedan nimis admotæ fuerunt receſſui maris Arabici Elanitico. Elath & Eſiongeber, quorum in itinere Iſraelitarum fit mentio, appoſitæ conſpiciuntur ſinui Elanitico. Mons Sinai in imo receſſu inter utrumque ſinum, Heroonpolitanum & Elaniticum, apparet delineatus. Lacus Sirbonis ſitum tenuit mari parallelum, adeo ut anguſta terra, *tænia* vulgo dicta, mare magnum a Sirbonis lacu diſcreverit. Hieroſolyma non adjacet rivo Kedron. Nec intelligimus, quibus argumentis Societas Britannorum fuerit commota, ut, *Apamenen* ab *Hamath*, quæ Damaſco fuit vicina, ac ad auſtrum Eleutheri poſita, haud differre, ſibi perſuaſerit. Si quid in re obſcura divinare licet, Tadmor & Palmyra non exſtiterunt unus idemque locus. Tadmor urbs nobis videtur ab Engadis, ſeu Chatzazon Tamar, haud fuiſſe diverſa. Verum hæc ſunt minoris momenti, ac a ſcopo primario ſeparanda. Originationem Syriæ non unam expromit Societas Britannorum erudita, conquieſcens tandem in ea, quæ, Syriam ex Aſſyria per vocis compendium ortam dictamque fuiſſe, tradit. Tyrus, Tzor, vocabatur olim quoque *Sarra* & *Sara*, atque principatum inter dominos Syriæ littoralis obtinebat. Quare, terram illam inde dictam fuiſſe Syriam, vero ſimile poſſit videri. Quo minus vero terram *Aram Nabaraim*, ſeu *Aram-paddan*, pro Meſopotamia, Tigtim ac Euphratem interjacente, habeamus, variis impedimur rationibus. Proferemus & unam & alteram. Prima in eo conſiſtit, quod *Jacobus* Patriarcha ex loco Haran, qui exſtitit in illa regione, exiit lentiſſimo itinere cum ovibus, armentis, liberis, uxoribusque, decimoque jam die in Gilead prope Machanaim ac fluvium Jabocum fuit commoratus, *Gen. XXXI, 22, 23, 48, XXXII, 2, 22, 31.* Ultra milliaria duo, ad ſummum tria, Germanica armentorum gregumque copia non potuit moveri agique, *XXXIII, 13, 14.* Meſopotamia magis a Jaboco diſtat, quam ut decimo die attingi potuerint hac itineris ratione Jaboci confinia. Secundum ſic habere argumen- Pag. 55.

tum credimus. *Bileamus* in terra filiorum Ammon, ſeu Ammonitarum, conſederat, ac ex ea arceſſebatur a Rege Moabitarum, *Balaco*, *Num. XX*, quæ ipſa terra vocatur *Aram-Nabaraim Devt. XXIII, 4.* *Ptolemæum* optime omnium diviſiſſe Syriam, non licet inficiari. *Laodicene* ad Laodiceam Cabioſam fuit poſita. Orontes Syriæ fluvius eſt ampliſſimus. Abana & Parpar indubie exſtiterunt rivi fluminis Barady, ſeu Chryſorrhoæ, interlabentis ac alluentis Damaſcum. Circa Aleppum & Palmyram ſpectabiles ſunt *valles ſalis*, in quibus ſalis copia provenit prodigioſa. An nix unquam in Libani cacumine liqueſcat, dudum mota fuit quæſtio. *Rauwolf*, *Radzivil*, ac *Maundrellius*, negando reſponderunt. Dominus *de la Roque* reſpondit affirmando, cujus teſtimonio Societas erudita accedit. Quantum vero ad craſſitudinem cedrorum attinet, eam in Itinere *de la Roque* præter veritatem imminui, negari non poteſt. Dominus *de la Roque* præfixit nomen itineribus, ab Equite *d'Arvieux* ſuſceptis, & in commentarios ab ipſo redactis. De monumentis Balbeci ac Palmyræ architectonicis tam egregie diſſerunt ſodales eruditæ Societatis, ut nihil ſupra, licet ipſa recentiori ætate fuerint exſtructa, ſed quæ non adeo eſt facilis determinatu. *Sellerius* Palmyram ex Palme, id eſt, clypeo Perſico, dictam exiſtimavit. *Alberto Schultenſio Tadmor* minus probatur, ctedenti potius, eam dictam fuiſſe *Tamor* ex תמר, *tamar*, id eſt, palma, quam Arabes *Tatmor* appellant. Syri urbem in hunc usque diem vocant *Tadmor*, *Tadmur*, & *Tatmor*. Cum vero *Salomonis* terræ ad ſeptentriones coercitæ fuerint *Thapſaco*, qui, autore *Scylace Caryandanenſi*, eſt Orontes; liceat fateri, nobis vix fieri veroſimile, urbem hanc ditioni *Salomonis* fuiſſe ſubjectam. Syrorum Dei priſci exſtiterunt *Rimmon*, & *Adad*, qui fortaſſis fuit *Benhadad II*, cœlitibus adſcriptus. De *Dea Syria* nihil fere certi poterit definiri præter id, quod *Lucianus*, ſive quicunque exſtiterit autor, de eo commemoravit. De lingua Syriaca Autores Celeberrimi exquiſitam attulerunt commentationem, quam penes ipſos legiſſe, neminem pœnitebit. Literæ Syrorum ſunt vel majuſculæ & unciales, ſatis deformes, *eſtrangelo* dictæ, vel communes

Pag. 2. 5. 6. 7 ſeq. 13. 21.

munes ac minuſculæ, quibus appellatio *ffbito* adhæſit. *Paulus Antiochenus* in Alphabetum Syriacum literas aliquot peregrinas recipere tentavit, reclamante *Jacobo Edeſſeno*, qui tamen ſeptem antiquas vocales Syrorum Seculo VII invenit, quas uno poſt Seculo *Theophilus Edeſſenus* ex Græco alphabeto derivatas invexit. Ante Seculum VII Syri vocalibus caruere. *Jacobus Edeſſenus*, linguæ Syriacæ inſtaurator, primus Grammaticam adornavit Syriacam. Reliqua ex *Aſſemanni Bibliotheca orientali* ſunt depromenda. Syri inter primos æquor ratibus tentarunt. Commercia eorum nautica copioſe & eleganter expoſuerunt eruditi Britanni. *Haſael* ea exercuit ex urbe maritima *Elath*, quam ipſi ad ſinum Arabicum poſitam arbitrantur. *Joannes Oldermannus*, eam mari Phœnicio, Tyrum inter & Sidona, ſitam fuiſſe, demonſtrare olim conabatur, qui argumento haud uno, flumen illud, quod ſacris in literis dicitur פְּרָת & הַנָּהָר, non eſſe Euphratem, ſed potius Orontem, oſtendit. Ven. *Calmetus*, urbem Abilam in ſacro Codice dici Zobam, contendit. Sed noſtrum eſt, ſignificare, rebus Syrorum hiſtoriam Phœnicum ſubjungi, etymologiam Phœnices afferri haud unam, Sidona eſſe probabiliter urbem Phœnices antiquiſſimam, & a filio Canaanis exſtructam, Tyrum *novam* beneficio Iſthmi cum *veteri* conjunctam fuiſſe, Iſthmum cohæſiſſe cum inſula, cui Tyrus inædificata fuerat recentior, inſulam vero a continenti abfuiſſe 700 paſſus, ſeu, *Strabone* teſte, 30 ſtadia. Tyrus, Aradus, Tripolis, Berythus, Byblus, ac reliquæ urbes Phœnicum, earumque reliquiæ ac monumenta, fuſe deſcribuntur ac commemorantur. Phœnices, a religione Ægyptiorum haud diſcrepantes, Deum ſupremum dixiſſe *Beelſamen* traduntur. Cuique oppido Deus erat patrius, cui ab illo cognomen adhæſerat. *Aſtarte*, non a grege pecoris, vel ovium, ſed ex אסתר, *ſtella*, cognominata, *Venerem* Phœnicum, ſeu *Lunam*, Ægyptiorum *Iſidem*, deſignavit. De *Melcarto*, Tyriorum *Hercule*, *Adonide*, *Thammuz*, ſeu *Oſiride*, ac *Patæcis*, docte diſſeritur. Literas Cananæorum eſſe easdem ac Samaritanas, eruditi Britanni arbitrantur. Reges Phœnicum ac Tyriorum ex abſtruſiſſima antiquitate recenſent cum cura.

Pag. 31. 32 ſeq. 52 ſeq. 54. 55. 63. 65. 67 ſeq. 74.

Pag. 103. *Ebræos* ita dictos putant ab immutante domicilium *Abrahamo*, qui olim עבר, *ultra*, flumen Euphraten habitaverat. Calcu-
105. lum *Genebrardi*, qui 600 annos ab itinere, ab *Abrahamo* in Ægyptum suscepto, ad Israelitarum exitum enumerat, profligant solide, substituentes 430 annos cum *Paulo Gal. III, 17.*
107. *Elon More* per *quercum magnitudine & alto loco illustrem* interpretantur. Liceat monere, nobis videri verosimile, denotari vallem, planitie insignem, ad Mamortham, seu Mabartham, seu Sichemum. *Elon* enim, seu Aulon, & Ebræis & Græcis vallem, quam interjacet tractus planitie commendabilis, teste *Eusebio, Hieronymo*, & *Hadriano Relando*, designat. De reliquo liceat Chebronem, Sichemo adjacentem, seu Acrabbim, distinguere a Chebrone australi. Ad illam exstitit *Mamre*, seu *Mamortha*, id est, Sichemum, ad hanc non item. *Plinius* Mamortham illam haud ignoravit. *Relandi* eum in finem scripta Dis-
113. sertatio inserta est ejus *Dissertationibus miscellaneis.* Circumcisionis ritum ab Ebræis ad Ægyptios transiisse, adversus *Cleri-*
121. *cum* iidem solide disputant. *Macpelah*, ubi *Sara* fuit inhumata, Arabice notat cavernam muro munitam, teste *Calmeto. Abrahamum Saræ* corpus aromatibus condivisse sepeliendum, Nostri probabilissime demonstrant. Ipsi de ritu jurandi per יָרֵךְ, quam vocem reddunt *femur*, pauca inserunt. *Hermannum van der Hardt* vocem hanc per *manus carpum* transtulisse in libello de jurejurando per carpum, liceat monere.
123. Rabbinos ipsi pulchre refellunt, qui *Keturam* ab *Hagara* haud discernunt, provocantque; ut commento fidem faciant, ad *P. LXXXIII, 6, Gen. XXV, 9, 1 Chron. V, 9.* Fabulas, quibus
124 seq. Rabbini ac Indi, Arabesque, historiam *Abrahami* commaculaverunt, iidem percensent. Teraphim ex ipsorum sententia sunt
188. *Talismanes*, quos Persæ *Telephim* appellant. De *Dudaim* ni-
192. hil certi definiunt. Angelum, cum *Jacobo* colluctatum, habent pro Christo, adducti gravissimis argumentis. Angelus enim ille *Jacobo* benedixit. *Jacobus* ipse pronuntiat: *vidi Deum coram*, ac locum luctæ vocavit *Pniel*, seu *faciem Dei.* Vocem *Salem* in historia *Jacobi* exponunt non de urbe *Salem*,
194. sed per *fanum* & *incolumem*, causam interponentes, urbem illam

illam nimium a Sichemi oppido affuiſſe. Alii ſic vertunt: *Venit Jacobus Salemum, urbem Sichemi, quæ ſita eſt in Cananæa, Gen. XXXIII, 18.* Britanni eruditi defendunt *Joſephum* ab eis, qui credunt, male ipſum egiſſe, eo quod dignitatis ſuæ incrementa patrem in Cananæa morantem haud edocuerit. Difficile cogitatu credunt, quod Alexandrini Interpretes *terram Goſen* poſuerunt in Arabia. Verum ipſorum pace monere liceat, Nilum olim Arabiam ab Ægypto diſterminaſſe, ac alveo Bubaſtico *nomos Arabiæ*, partem terræ Goſen, adjacuiſſe. *On* urbem ipſi habent pro *Hieropoli*, terræque Goſen ſitum inter mare rubrum ac Nilum in confinia Cananææ collocant. *Moſes*, cum enumerationem familiæ *Jacobi* inſtituit, nunc eam 67, nunc 70, hominibus conſtitiſſe, memoriæ prodidit. Contradictionem hanc apparentem egregie ſolvunt. *Stephanus*, Alexandrinos ſecutus, *Act. VII, 14*, numerat 75 homines, qui de familia *Jacobi* exſtiterint. Verum & hunc defendunt. *Stephanus* enim *familiam Joſephi* recenſuit, addiditque novem uxores, ex ſanguine *Jacobi* haud procreatas. Difficultatem, quæ ſolet necti ex donatione *Jacobi*, in *Joſephum* translata, ita enodant, ut pronuntient, filios *Jacobi* occupaſſe Sichemum, ejusque territorium, *Jacobum* illud vi propugnaſſe, usque dum Bethelem conceſſerit habitatum, ac deinde id denuo, expulſis Emoræis, quibus Chivvæi fuerint immixti, recepiſſe manu armata. Vaticinium *Jacobi* ad tribus Iſraelitarum, non ad filios *Jacobi*, referunt. Vocem שילה capiunt pro שילו cum *Onkeloſo* aliisque, *Gen. XLIX, 10*, adeo ut ſenſum hunc approbent: *Sceptrum, ſeu poteſtas legislatoria, reſidebit in tribu Juda, donec verus dominus, cui ſceptrum jure tribuendum eſt, in lucem fuerit ſuſceptus.* Perverſiones Judæorum huic vaticinio, & variæ, & mutuo ſeſe ſubruentes, obluctantur quidem, ſed fruſtra. Cur *Zabulon Iſaſchari* a *Jacobo* fuerit ante poſitus, ipſi definire non audent. *Dan* tribus fuit exigua ob familiam *Danis* admodum circumciſam. Quam ob cauſam ipſa magis aſtu, quam vi, ſeſe tueri poterat, comparata eapropter a *Jacobo* cum ſerpente, non per vim, ſed aſtum, minus prævisum, aliis gravi. Formulam voti: *Domine, exſpecto ſalu-*

Pag. 161. 162 ſeq. 164. 167. 168. 170. 171. 172.

ſalutem tuam, eruditi Britanni credunt continere memoriam ſerpentis, orbem depravantis, quem Meſſias fuerit enervaturus.
Pag. 174. *Joſephum* dici בן פארת, *filium pulchrum*, exiſtimant. *Inciſi 24* partem priorem ſic reddunt: *Sed pergit in robore arcus, manus brachiorum ſunt diſſipatæ ac diruptæ*, id eſt, compedes manicæque carceris Ægyptiaci. *Joſephum* putant dici נזר, id eſt, *coronatum*, eo quod vicariam regni curam geſſerat, ac indubie diadema quoddam capiti impoſitum geſtaverat. *Jacobo* Judæi varia ſuppoſuerunt ſcripta, quæ eruditi Britanni re-
175 ſeq. cenſent, æque induſtrii in hiſtoria *Joſephi*, quam Judæi & Muhammedani miris exornarunt commentis, exponenda. Genus vitæ Patriarcharum & Iſraelitarum pingunt & repræſentant lu-
181 ſeq. culente. Deum obſtetricibus Ægyptiis ſtruxiſſe domus, id eſt, benedictionem temporalem, eamque ſtabilem, impertiiſſe, ex
192. *Exod. I, 21*, ſolide oſtendunt, rati, לָהֶם ibi poſitum eſſe loco לָחֵן, ut *Ex. II, 17*, alibique. Eo pacto vindiciæ ſimul conciliantur *Lutheri* metaphraſi Germanicæ. *Ædificare domum* hoc loco idem eſt ac *benedictionem conciliare*, *Ruth. IV, 11*, *Gen, XVI, 2.* Juvat vitam *Moſis* attente evolviſſe. *Berruyerus*, Jeſuita, credidit, Ægyptios duos concertantes, quos *Moſes* ad concordiam revocare tentavit, fuiſſe famoſos illos *Jannem*
198. & *Jambrem*. Noſtri autem opinionem hanc refellunt, atque, hoſce Magos *Moſi*, miracula edenti, reſtitiſſe, oſtendunt. *Horeb* montem fuiſſe aridiſſimum, lateque patentem, ac ejus partem exſtitiſſe Sinai, probabiliter arbitrantur. De *Jobo*, eiusque libro, exquiſite diſſerunt, atque, in hoc nullam fieri calamitatis Iſraelitarum, eorumque exitus prodigioſi, mentionem, demon-
201 ſeq. ſtrant, Iſraelitas re vera mare tranſiiſſe, aquis utriusque ad latera eorum in altum ſubſiſtentibus ac evectis, tam ponderoſe, quam eleganter, oſtendunt, ut merito addiderint, aut veritatem Codicis ſacri eſſe deſerendam, aut tranſitum, mira-
237 ſeq. culi plenum, pro vero reputandum. Voces *Num. XXI, 14*,
281 והב בסופה ונחלי ארנון, exponunt hunc in modum: *id quod Deus accidere voluit ad mare rubrum & torrentem Arnon.* Liceat nobis hæc ita vertere: *Et* ille quidem Arnon *reddit ſeſe mari mortuo*, quod alibi etiam ים סוף vocatur, *haud ſecus*

ac

ac torrentes Arnonatis, id eſt, regionis ad Arnonem ſitæ. Hiſtoriæ *Moſis* ſubjungunt Autores expoſitionem rerum ac locorum memorabilium, legum cerimonialium & forenſium, atque factorum magnificorum, quibus Judices populi Judaici inclaruerunt. Ipſi vero tam accurate rationes ſuas ſubduxerunt, ut & argumento & miraculorum inimicis factum fuerit ſatis. Si forte Batavicam translationem in compendium miſſuri ſumus, in eis ſignificandis erimus longiores, quæ hic omittere jubemur.

TRAITE' DOGMATIQUE SUR LES FAUX miracles du temps, &c.

hoc eſt,

COMMENTATIO, QUA DOGMATICE PERtractantur falſa miracula hujus temporis, inſervitura ſcriptis diverſis, in ipſorum favorem editis.

Pariſiis, 1737, 4.

Alph. 2 plag. 8.

Janſenii ſententiam qui in Galliis aſſectantur, *Pariſio* attribuunt miracula, invitis aliis Theologis, qui *Conſtitutionem Unigenitus* ſua dignantur obedientia & approbatione. Janſeniſtæ nulli operæ parcunt, ut miracula, ab ipſis adſcripta *Pariſio*, pro veris ac genuinis reputentur. Conſtitutioniſtæ miracula illa in numerum effectuum diabolicorum referunt. Ii, qui ſentiunt liberius, miraculorum autoritatem infringendi inde anſam arripiunt. Superſtitionum patroni e contrario & vera & falſa miracula eodem habent loco. Autor, quisquis ille demum exſtiterit, miraculis, a *Pariſio* editis, adverſatur, nec a ſeſe impetrare valet, ut ea pro divinis habeat, lacertos potius movens vehementer, ut eis & robur & vim detrahat, atque, cum haud audeat, ea re vera contigiſſe, dubitare, illa in falſorum miraculorum claſſem rejicit, atque remis velisque id agit, ut aliis ſententiam ſuam perſuadeat. Hic Autori ob oculos verſatur ſcopus, ad hanc diligentia ejus collineat metam. Multa jam monuit Rev. P. *de la Taſte*, multa Pag. 2,

jam eodem fine ſcripta alii ediderunt. Ipſi quoque XXX *Appellantes* opera convulſionum ac miracula diabolica ſuo calcu-
Pag. 3. lo albo fuerunt dedignati. Nihilo minus unus & alter Appellantium negat, dæmonem edere poſſe prodigia in rebus obſcuris, ad religionis ſtabilitatem pertinentibus, ſiquidem ſacerdotes Baalitici ignem cœlo demittere non potuerint. Anſam huic componendæ Exercitationi dederunt miracula, quæ *Pariſiis* dicitur ante aliquot annos, deprecationibus ſuis ad Deum directis, Pariſiis patraſſe. Fautores eorum, qui a Papa ad Concilium provocabant, hiſce *Pariſii* factis exultare videbantur, ſubitæ convulſiones ineeſſerunt, quæ a miraculis divinis admodum alienæ, vel a diabolo, vel artibus callidorum hominum, effectæ creduntur. Autor *Literarum theo-*
4. *logicarum* hoc inprimis urgebat. Janſeniſtæ, ut tela retorquerent, non una reſponderunt ratione, ac in nonnullis inter ſe diſſenſere. Alii convulſionibus æque ac miraculis vim Dei propriam attribuere verebantur; alii & convulſionum & miraculorum effecta pro divinis habebant; alii miracula tribuebant Deo, convulſiones autem cacodæmoni. Motibus certe iſtis ſpaſticis inerat horror & geſtus, Deo indignus. Sed, ſi externis hominum geſtibus metimur credibilitatem nuntiorum ac probabilitatem rerum divinarum, tum certe
9. multa e V. T. proſcribenda ſunt exempla vatum, qui, a ſpiritu Dei correpti, motus extraordinarios ediderunt. Janſeniſtæ ita rationes ſuas ſubducunt. Miraculis plenæ fuerunt curationes illæ, quibus ſanctus *Paris* exſtitit conſpicuus. Conſtitutioniſtæ ea non vocant in dubium miracula. At, ipſa a diabolo fuiſſe profecta, tradunt. Janſeniſtæ, diabolum miraculis edendis eſſe ineptum, contendunt, addentes, eum haud favere morbis ab humano genere propulſandis, ſed ipſos potius promovere pro virili. Ipſi ratiocinantur porro in hunc modum: nec Jeſu Chriſti, nec Apoſtolorum, miracula viribus ullis pollere, ſi diabolum exiſtimemus miracula edere poſſe, & quidem ea, quibus homines convaleſcunt, ac ſalus eorum amplificatur. Autor, huic argumentationi ut nervos incidere ſtudeat, in *tria*
10. *Capita* ſuam diſtribuit tractationem. *Primo*, Dæmonem poſſe per-

se permissu Dei nonnullas sanationes prodigiosas efficere, ostendere laborat. *Secundo* ostendere aggreditur, doctrinam hanc perfectiones Dei haud violare. *Tertio* it comprobatum, complexum hujus doctrinæ congruere satis miraculis Christi & ritui, quo beati adscribuntur cœlitibus, doctrinam vero Jansenistarum eis destruendis ac demoliendis esse accommodatissimam. Juvat scire, quo pacto Autor vindicet satanæ nonnullas sanationes miraculo plenas. Inprimis vero addit, eas fieri non nisi Deo permittente. Sed, cum miracula nemo possit edere, nisi is, qui omnipotentiam vel possidet, vel tenet sibi fayentem, miraculum, vel prodigium, is ipse nobis videtur, qui eam cum satana audet communicare. Ipse distinguit quæstionem de veritate a quæstione de facto. Quantum ad posteriorem attinet, ipse non negat, dissentire ecclesiæ Patres, aliosque de ea dubitare, alios eam affirmare, alios contra illam inficiari. Ut vero evincat id, quod affirmat, confugit ad sacras literas, Pag. 11, ad facta, & ad traditionem, ex qua constet, cacodæmonem posse effectui dare curationes, eis similes, quos B. *Paris* dicitur patrasse. Primum argumentum desumitur ex *Devt. XIII, 1*, sed ubi de cacodæmone nihil exstat. Vaticinia falsi Prophetæ, eventui respondentia, ibi describuntur, quæ possunt existere & naturalia & fortuita. Dominus *de Sercet* in libro Gal- 14. lico de Miraculis locum illum comparat cum illo *Paulino Gal. I, 48*, qui conditione impossibili est fœcundus. *Tertullianus* certe *veritatem divinationis* (id est, prædictionis prophe- 16. ticæ,) vocavit *idoneum divinitatis testimonium, Apolog. Cap. 20.* Divinitatem crede intelligendam de divina origine & inspiratione sacri Codicis. Autor vero, diabolum prædicere plerumque falsa, nonnunquam vera, addit; Prophetas autem genuinos per Spiritum Sanctum prædicere non nisi vera. Ac, ita *Mosen* 17. a contradictione apparente (*Devt. XIII, XVIII,*) liberatum esse, credit. Ut autem diluceat, quid ipse per *miracula diaboli* intelligat, ipse distinguit inter *miracula vera*, quæ supra motum naturæ sunt posita, ac inter *miracula cacodæmonis*, quæ quidem vires naturæ non excedunt, humanas tamen vincunt, ac ob finem malignum dicuntur *falsa*. Falsis Prophetis, qui in 19.

Digitized by Google

modum diaboli prædicunt futura, attribuenda esse plerumque
Pag. 20. miracula falsa, eis propria, existimat. Quod ut lectori persuadeat, ad *Matth. VII, 15, XXIV, 24, Marc. XIII, 23*, ac *Cyprianum de unitate Ecclesiæ Cap. 19*, provocat. Idem comprobat exemplo Antichristi ex *2 Thess. II, 9*, & *Apoc. XIII, 13, 15, 3*, quem paulo ante adventum Christi ultimum esse venturum, docet.
23. Diabolum edere posse miracula, demonstrat ex communi Pharisæorum opinione, qui aliis persuadere conabantur, Christum vi & ope cacodæmonis miracula patrare; ac ex responsione Christi, qua Pharisæorum insultus exceperit, docentis, miraculis suis propositum esse scopum salutarem, benefaciendi ho-
25. minibus, ac regnum diaboli destruendi. Descendit tandem ad miracula, a Magis in conspectu *Pharaonis* editorum, quibus scopo miraculisque *Mosis* obstiterunt *2 Tim. III, 8, 9*, & quorum mores ab hæreticis imitatione exprimentur. Vere edita esse a Magis illis miracula, crediderunt Patres Ecclesiæ
27 seq. non pauci. Autor *Cogitationum apologeticarum* (*Reflexions apologetiques*) e contrario, miracula illa Magorum esse ex toto supernaturalia, ideoque cacodæmoni haud tribuenda, iverat comprobatum. Cui vero Noster opponit opiniones *Aug-*
32. *ustini* ex *Lib. III de Trinitate Cap. 7 - 10.* Addit, ex spina dorsi in sepulcro generari angues, id quod experientiæ repugnat, docens, dari ranas in lapidem conversas, ut evincat, diabolum potuisse ex baculis fabricari serpentes. Fatetur quidem,
33 seq. difficile esse divinatu, qua arte cacodæmon baculum possit mutare in serpentem. Sed, rem ipsam ideo posse negari, negat.
34. *Estius* jam obmovit nonnullas huic sententiæ objectiones. Sed, hasce ut enodet, Autor omnes nervos intendit, ostendens, virgam *Mosis*, in serpentem mutatam, adhuc dici virgam, ut suis persuadeat, corpus Christi dici posse panem, jam transsub-
36. stantiatione peracta. Laudat sententiam *Thomæ pag. 41*, qui, ranas per putrefactionem generari posse, docuerat, quæ dudum
41. est explosa, atheismo quippe & atheis amica. Hinc, fanatio-
45. nes diabolicas ut factis ipsis comprobet, elaborat. Quem in finem varia cumulat Patrum testimonia, inprimis *Augustini* ex *Lib. XXI de Civitate Dei Cap. 6*, ratus, idololatriam non potuisse

adeo

adeo invaleſcere, niſi cacodæmon eam miraculis ſuis confirmaſſet. Sed merito objicitur, qui igitur miracula Dei a miraculis diaboli poſſint ſecerni. Reſpondet ad hanc objectionem Autor cum *Auguſtino*, differentiam elucere ex ratione movente & fine intento. Sed num miracula dæmonis exſtiterunt miracula genuina & ſupernaturalia? Reſpondet Autor cum *Thoma*: ***Extenſo namine miraculi ad omne id, quod humanam excedit facultatem, dæmones miracula facere poſſunt ad ſeducendos homines.*** Deinde negat, Deum cooperari in editis a diabolo miraculis. Ipſe de tympanicis eccleſiæ Græcæ ita diſſerit, ut, eos a diabolo indurari & tumore impleri, credat, in confirmationem ſchiſmatis, quo Græci a Latina eccleſia diſcordant. Ex *Gregorio Magno Lib. II Dial. Cap. 23* refert, duos religioſos, jam terræ mandatos, qvibus S. *Benedictus* excommunicationem fuerat comminatus, apparuiſſe in templo ac retroceſſiſſe, quoties Diaconus in Miſſa dixerit: ***Ei, qui non ſunt in communione conſtituti, diſcedant.*** ***Benedictum*** igitur eis impertiviſſe abſolutionem, eoque facto poſthæc haud apparuiſſe illos amplius. Confugit porro Autor, ut, diabolo tribui poſſe miracula, oſtendat, ad eccleſiæ traditionem. Ab *Æſculapio* ſanationes diabolicas fuiſſe profectas, exiſtimat, Patrumque ſeſe teſtimoniis tuetur, quos a vitio credulitatis abſolvit. Neque minus, ex curationibus *Veſpaſiani* & *Apollonii Thyanenſis* poſſibilitatem miraculorum diabolicorum ſtabiliri poſſe, ſibi perſuadet. Ea vero cum effectu convulſionum *Pariſinarum* adducit in contentionem, arbitratus, evitandi miracula falſa & diabolica præſidium optimum eſſe deſumendum ex eo, ſi, ea dari & exiſtere poſſe, credatur. Sed quomodo id conciliari poteſt cum Dei perfectionibus, ſi largiamur, Deum permittere diabolo poteſtatem abducendi homines a vera religione per fallacia miracula? Quo minus vero hæc nobis permiſſio videatur incredibilis, Autor nulli operæ pepercit. Intexit deinde adminicula, quibus in animum demiſſis, miracula evitari poſſint fallacia, ac illa, quæ eis impetrare ſtudet diabolus, deliria errorum caveri ac fugi. Arbitratur præterea, miracula cacodæmonis conſiſtere in præſtigiis. Verum id quo-

Pag. 50. 54. 73. 75 ſeq. 111 ſeq. 116 ſeq. 117. 130. 197. 199 ſeq. 213. 217.

que attentione dignum, eum, qui oculis recte disposítis, attentis, debitoque intervallo ac medio instructis, objicit intrinsecus speciem externam, quæ re vera foris haud adest, præstigias infundit, miracula edere summæ perfectionis. Patres Con-
Pag. 239. cilii VI docuerunt, blasphematorem edendis miraculis prorsus esse inhabilem. Sed eam opinionem limitat ita, ne videatur ipsa suo, quod struit, obesse systemati. Comparat deinde miracula Christi, Apostolorum, ac primorum Christianorum, cum diabolicis, atque, illa hisce, ostendit, longe fuisse majora, copio-
241 seq. siora, evidentiora, & perfectiora. Verum enim vero unum genuinum miraculum altero nec est majus, nec minus. Singula enim sunt opera omnipotentiæ, cursum naturæ superantia, ideoque supernaturalia, adeo ut diabolus ea nequeat edere. Mirabilia, prodigia, miracula falso sic dicta, in illorum classem huc sunt referenda. Miracula itaque, a diabolo profecta, erunt actiones vel supernaturales vel naturales. Si prius deligis, diabolum in consortium omnipotentiæ admittis. Si posterius probetur, non potes non fateri, miracula a diabolo haud patrari posse. Miraculum enim naturale est nil aliud, quam mera contradictio & aurum ligneum. Et quomodo veritas religionis Christianæ comprobari potuit beneficio miraculorum, si cacodæmon falsam religionem & errores turpissimos eisdem
245 seq. confirmare valet? Prius copiose exequitur Autor. Sed & posterius jam admisit. Si miraculorum divinorum & diabolicorum differentia demum innotescit ex fine, ex ratione movente, ex mentis destinatione; tum sane ea redditur vel difficillima, vel nulla. Quis enim id statim aperit, cur & quem in finem, hanc, vel illam, actionem suscipiat? Nonne satanas, finem a se se intendi saluberrimum, fingere potest ex genio impostorum? Debemus itaque jam de veritate religionis & dogmatum jam esse persuasissimi certissimique, antequam ars nobis patet, differentiam illam in effectum deducendi. At quare tum Deus quemquam convinceret de veritate doctrinæ per miracula, si quidem nemo eis convinci potest, nisi qui veritatem doctrinæ jam cum peritissimis est edoctus? Nonne incidimus in circulum vitiosum, si veritatem doctrinæ comprobatam putamus

Digitized by Google

tamus miraculis, cum tamen, veritatem miraculorum per veritatem doctrinæ explorari ſtabilirique debere, credimus? At Autor in eo eſt totus, ut, ab eccleſia ſua circulum illum vitioſum procul abeſſe, oſtendat. Docet inde adminicula, quibus inſtructi nobis a falſis miraculis poſſimus cavere. Inprimis indigne fert, Janſeniſtarum & unum & alterum ſuperſtruere miſſionem Jeſu Chriſti duntaxat miraculis, cum vaticinia & prædictiones Prophetarum tamen eandem ſimul confirmarint, præcipue ubi Chriſto erat agendum & diſputandum cum Judæis. Vaticiniorum complementa magis decori eſſe miſſioni Meſſianæ, quam ipſa miracula a, arbitratur. Miraculis divinitatem Chriſti haud fuiſſe comprobatam, nec probari potuiſſe, idem contendit. Sed nonne illa ſatis in tuto per miracula fuit collocata, ſi Chriſtus oſtendit, ſe miraculis divinitatem ſuam eſſe extra dubitationem poſiturum? Ipſe porro in eo eſt, ut doceat, miracula Apoſtolorum & Jeſu Chriſti vim potiſſimam ex prædictionum propheticarum oraculis traxiſſe, ratus, nullum exſtitiſſe hæreticorum, qui neceſſitatem prædictionum ad probandam Jeſu Chriſti miſſionem iverit inficias. Janſeniſtis, miraculorum *Pariſii* patronis, id inprimis exprobrat, quod ſyſtema doctrinæ ipſorum non valeat refellere inſultus inſtantis Antichriſti ultimique vehementiſſimos, qui, judice Noſtro, deſtructum ibit miſſionem Jeſu Chriſti, ac locum ipſius occupare elaborabit. Antichriſti hujus opera deinceps recenſet ſigillatim, in eo ſita, ut ſeſe ſit evecturus ultra id, quodcunque eſt Deus, ut ſeſe geſturus ſit pro Chriſto & Meſſia ipſo, ut falſis miraculis & autoritate ſacri Codicis ſeſe ſit tuiturus, ut Judæos ſit ad avia inducturus, qui demum extremis N. T. temporibus ad veram Chriſti religionem amplectendam animum ſint applicaturi. Increpat deinde Autor libellum *de adventu Eliæ*, a tenebrione in Gallia editum, quo fanaticæ continentur opiniones de proxima Judæorum converſione. Redit deinde ad Antichriſtum, ſeu potentiſſimum Pſeudo-Meſſiam, qui Hieroſolyma & ſacra Judaica ſit ſibi aſſerturus, ac urbem illam conſtituturus regni caput. Credit porro, prædictionum vim perire, niſi largiamur, earum complemen-

Pag. 254. 257 ſeq. 302. 307. 321. 334. 362. 369. 370. 376. 381.

plementum integrum converſione populotum ad Chriſtum
Pag. 368. maxima & ampliſſima abſolutum iri. Miramur, Autorem ſecum pugnare, dum, e miraculis Jeſu Chriſti divinitatem ejus eluxiſſe ac comprobatam eſſe, docet *p. 398* & *400*, quod ipſum
405. fuerat inficiatus *p. 321.* Tandem vero cum *Sacyo* ſic ſtatuit: *Miſſio Jeſu Chriſti comprobari poterat non niſi miraculis, nec miracula niſi propheticarum prædictionum præſidio, nec prædictiones ipſæ probari poſſunt niſi integritate complementi, nec complementum præterquam gentium converſione.* Janſeniſtis contra objiciuntur ſententiæ, pugnantes cum Patribus, *Auguſtino* reclamantes, Fanaticiſmus, & alia portenta. Ipſi, inſtare proxime extremam ad errores ſeductionem, & Judæorum ad Chriſtum converſionem, ex parte ſibi perſuaſerunt. Autor, Pſeudo-Meſſiam, ſeu Antichriſtum, eſſe prius venturum, quam Judæi nomina Chriſto ſint daturi, credit, ac eapropter diſſentientes a ſeſe Janſeniſtas Fanaticiſimi inſimulat *p. 418.* Ad ultimum concludit ita, ac ſic rationatur, ut autumet, doctrinam *Appellantium* per miracula ſua laborare, & miracula ipſa corruere per *convulſiones*, cum ipſis conjunctas; Deum, ut eccleſiam tentaret, eique providentiam ſuam oſtenderet, miracula illa & convulſiones ut fierent, permiſiſſe, eum quidem in finem, ut eo luculentius de errore Appellantium illa con-
423. vinceretur. Subjungit loco illuſtrationis ea, quæ de Quintilianis, ac eorum conventiculis, convulſionum prodigio famoſis, retulit *Epiphanius Hær. XL n. 2, 3*, ac tractationem ſuam finit verbis *Epiphanii: Ubi ab ſincera religione ſemel aberratum eſt, ridicula ac perturbata eſſe omnia, neceſſe eſt, varia ut inde furoris genera dæmonumque in corpora impreſſiones oriantur. Nam, qui veritatis ancoram minime retinent, ſed ventorum flatibus quacunque ſe occaſione permittunt, horum animi præcipites amentia feruntur.*

OSSERVAZIONI SULLA CRONOLOGIA DEGLI Antichi, &c,

hoc eſt,

OBSER-

Digitized by Google

OBSERVATIONES IN CHRONOLOGIAM veterum Ebræorum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Græcorum, ac Latinorum, ſimulque examen de eorum annis, menſibus, diebus, & horis, una cum Diſſertatione de nonnullis monumentis antiquis, quæ defectum literarum ſupplent, ac primorum Hiſtoricorum commemorationibus inſerviunt illuſtrandis. Dicatæ Illuſtriſſ. Domino ALEXANDRO RUSPOLI, Principi Cerveteriorum, a SITALCIO LAMPEJANO, P. A.

Dresdæ & Lipſiæ, typis Friderici Hekelii, & ſociorum, 1737, 8 maj.

Plag. 21.

Cum rerum ratio ac commemoratio ordinem temporum, teſte *Cicerone*, deſideret; utilem ii navant rei literariæ operam, qui Chronologiam elapſi temporis reformant & illuſtrant. Fruſtra enim *Hieronymus* in *Ep. ad Vitalem* eos vocat *homines otioſos*, qui *diſſonantiam* annorum V. T. enodare, ordinique adſtringere, laboraverint. *Richardus Simon*, qui volumen Vet. Teſt. ſchedulis paſſim collectis, ac in compendium redactis, conflatum credit, in puppi navigat pæne eadem. Ipſe *Petavius Rationario temp. Part. II Lib. XI Cap. 1* ſenſit, *annorum* Pag. 3. *numerum, qui ad Jeſum natum ab orbe condito fluxerunt, nulla certa ratione, ſed veriſimili conjectura, colligi* poſſe. In hiſtoria antiquiſſima profana caligo dominatur longe major, quam in rebus ætatis recentioris. Græcis Hiſtoricis plerumque poeticæ ſimilis erat licentia. Quæ cum præmiſiſſet Autor, differere deinde aggreditur de menſibus ac annis gentium, olim ad lunæ curſum ſubductis. *Moſes* potuit res ab exordio 7. mundi geſtas & Chronologiam ſatis accurate noſſe. Ipſe enim natus fuit 48 annis poſt mortem *Levi Ex. VI, 16.* Hic vixerat cum *Iſaaco* 40 annis, *Iſaacus* 75 annis cum *Abrahamo*, & 50 cum *Semo*, filio *Noachi*. *Semus* vixerat 98 annis ante dilu- 10. vium, verſatus cum *Lamecho*, qui *Adamum* ſatis diu noverat videratque. Hac ratione locus fuit Hiſtoriæ & Chronologiæ per manus traditæ. Ubi ſacra hiſtoria deſinit, *Cyri* regnum firmat epocham, nec non dominatus *Darii Hyſtaſpidis*, ac in-

teritus *Antiochi Epiphanis*. De anno festisque diebus Ebræorum edisseruntur a Nostro ea, quæ sunt satis accurata, sed nec alibi incognita. Jubilæum annum fuisse quemvis 49, seu septimum Sabbaticum, *p. 17 seq*, docere studet, inductus potissimum præcepto illo *Lev. XXV, 22: Seretis anno octavo.* Sed potiores sunt rationes, opinamur, quas exposuit *Hadrianus Relandus Antiq. sacr. vet. Ebræorum P. IV §. 19 seq.* Deinceps *triceſima Judæorum ſabbata*, de quibus *Horatius*, exponit de neomeniis. Judæi lunam novam satis diu ex phasi determi-
Pag. 24. nasse creduntur. Romæ Pontifici minori priscis temporibus hæc provincia fuit delegata, ut novæ Lunæ primum observaret adspectum, eiſamque Regi sacrificulo nuntiaret, teste *Macrobio Saturnal. Lib. I Cap. 15.* Arabes, *Seldeno* teste, a vespera diem auspicati sunt, eo quod a phasi lunari incipiant dies mensium numerare. Veteres sese conviviis exceperunt festo novæ redeuntis lunæ die, quæ *Plautus* appellavit epulas men-
26. struales. Propendet Autor ad eorum partes, qui, Sabbatum in solitudine Arabica ad locum *Mara* sancitum primo fuisse,
30. tradunt. *Justinus, Tertullianus*, & *Bernhardus*, certe in eadem fuerunt opinione. Exponit porro de *Calendario Ebræorum*, eoque labore perfunctus, ad chronologiam veterum Ægyptio-
66. rum procedit. Expendit fabulas de eorum immensa antiquitate, quas inde exstitisse credimus, quod plures olim Ægypto præfederint Reges, quorum numerus, ab imperitis deinde in
69. unam summam collectus, chronologiam turbavit, erroresque peperit inextricabiles. Annorum multitudo, quos Ægyptii ab orbe condito elapsos esse putabant, ex aliorum judicio ita fuit exorta. Referunt hi, singulis mensibus annos Ægyptiorum
71. primo constitisse. *Censorinus* profecto *de die natali Cap. 48: In Ægypto antiquissimum ferunt annum bimestrem fuisse, post deinde a Pisone Rege quadrimestrem factum, novissime annum ad XII menses & dies quinque produxisse. Salmasius* vero *de Ann. Climact. p. 750* ita sentit: *Nugæ sunt & fabulæ, quæ de*
72. *annis menstruis, aut trimestribus, afferunt. Mosis* profecto ætate anni Ægyptiorum jam exstiterunt solares, mensibusque duodecim pares. *Macrobius Saturnal. I, 12: Anni certus modus*

apud

apud solos semper Ægyptios fuit. Ægyptios omnium mortalium primos annum in 12 menses distribuisse, autor est *Herodotus II, 4.* Quare anni illi Ægyptiorum lunares merito proscribuntur. Ægyptii principium anni a *Sothidis* ortu, id est, sidere Canis prope Cancrum, deduxerunt, teste *Porphyrio de* Pag. 73.
Nymph. antro p. 123. Solinus initium hoc anni primi ac mundi in 13 Calendas Augusti collocavit. Thebæi, vetustissimos omnium hominum sese esse, prædicabant. Mensis primus fuit *Tot* dictus, indubie ex *Mercurio* Ægyptiorum, seu Tot, qui annum primus ibi redegerat in formam. Thebarum sacerdotes solis ad cursum annos numerabant, 12 mensibus 30 dierum pares, mensibusque 30 dies singulis attribuebant, quibus quot- 74.
annis adjiciebant quinque dies, teste *Strabone Lib. XVII p. 943,* ac *Diodoro Siculo Lib. I p. 32.* Annus Ægyptiorum civilis com- 75.
plectebatur dies 365 sine ullo intercalari, eoque fiebat, ut is A. 1461 ad idem revolveretur principium. Quinque vero illos dies addebant anno exeunti, cujus circa autumnum imminebat exordium. Mundo nascente *Solem* cum *Leone* or- 77.
tum, *Virginem* cum *Mercurio*, *Venerem* cum *Libra*, *Martem* cum *Scorpione*, *Sagittarium* cum *Jove*, *Saturnum* cum *Capricorno*, iidem dictitarunt. Tripartiebantur ipsi tempora anni, nempe in *ver*, *æstatem*, ac *autumnum.* Alii vero, eos ignorasse nomen & bona autumni, referunt, hieme in autumni locum substituta. Ægyptii dicuntur primi singulis diebus 78.
præfeciisse e planetis unum, autore *Herodoto Lib. II, 82.* Hebdomadis vero computandæ initium ex historia creationis profluxit. *Clemens Alexandrinus* ex *Homero* versus duos laudat 80.
depromtos, quibus consecratio diei septimi continetur. At illi in editionibus, quibus utimur, *Homeri* haud exstant. Qui, septimum quemque diem gentibus singulis sacrum fuisse, eunt comprobatum, solent septimum mensis diem cum die hebdomadis confundere nonnunquam. Septimus cujus- 81.
que mensis dies fuit sacer Græcis, Lacedæmonibus, Atheniensibus, aliisque, eo quod hi credebant, eo ex *Latona* natum fuisse *Apollinem.* Si sabbatum, seu septimus hebdomadis dies, singulis gentibus fuisset sacer, qui fieri potuisset, ut *Tacitus*

Judæis tribuiſſet ritus, ceteris mortalibus plane contrarios? ut *Perſius* ſolennitatem ſeptimæ diei irriſiſſet *Sat. V v. 179 ſeq.* ? Jejunaſſe Ebræos ſabbato, tradidit falſo *Juſtinus XXXVI, II,* & *Auguſtus* apud *Suetonium.* Id vero negari nequit, ſolos Judæos obſervaſſe ſabbati ſolennia. Teſtes ſunt *Seneca* apud *Auguſtinum de Civ. D. VI, II,* ac *Theodoretus Comment. in Ezech. XX, 12.* A quo autem temporis momento Ægyptii horas diei numerare conſueverint, videtur incertum. Autores enim vetuſti de ea re diſſident haud ſecus, ac de horarum diurnarum numero, quas alii 24, alii 12, attribuunt diebus ſingulis. Quibus ad liquidum perductis, Autor Cl. ad Chronologiam veterum Chaldæorum accedit, quam ab exordio regni
Pag. 98. Aſſyriorum recenſendo pertexit. *Saosduchinum* in libro *Judithæ I, 1,* dici exiſtimat *Nabuccodonoſorem.* Librum *Judithæ* genuina plenum eſſe hiſtoria, ſibi perſuadet. *Merodachum, Baladani* filium, Babyloniæ olim imperitantem, habet pro *Be-*
100. *leſo,* ſeu *Nabonaſſare,* a quo æra *Nebonaſſarea* nomen traxit,
101. Urbs *Carchemis, 2 Par. XXV, 20,* memorata, ex ejus ſententia eſt Cercuſium, ſeu Curcejum, in angulo, quem Euphrates ac Chaboras conſtituunt, ſitum. Reges Babylonis ac Chaldææ breviter recenſet. *Sardanapali* exitium in ætatem *Hiskiæ*
107. collocat. *Aſtyages,* eo judice, a *Dario Medo* haud differt. Nec conjecturæ *Marshami* ac *Pinii* adverſatur, quibus *Evilmerodacus* idem eſt ac *Balthaſar.* Inde perſequitur breviter hiſto-
110. riam Regum Mediæ. *Cyaxarem II* pro *Dario Medo Danielis IX, 1,* reputat, eique ſororem *Mandanen, Cyri* uxorem, aſſignat. Hinc pertexit Regum Perſiæ facta & chronologiam. Chaldæo-
131. rum obſervationes ſatis extenſas attingit. Chaldæos Perſasque diem ab ortu ſolis inchoaſſe, addit, perhibens, eos diem
137. in XII horas diſtribuiſſe. Tandem de chronologia Græcorum & Latinorum diſſerit, de ludis Olympicis ac Olympiadum epocha exponit, diluvium *Ogygis* commemorat, excidii Trojani tempus annotat & diſquirit, annos diesque ac horas Græcis fa-
157 ſeq. miliares expendit, horologium *Achaſi* illuſtrat *p. 178 ſeq.* Ro-
178 ſeq. mæ conditæ tempus ad libellam rationis examinat *p. 184 ſeq.* de faſtis autem a *Soſigene* correctis diſſerit *p. 190 ſeq.* Menſuram annorum

annorum, menſium, dierum, horarumque, Italis uſitatarum, percenſet, Chronologos præſtantiſſimos paſſim laudat, ac de monumentis telluris antiquiſſimis diſſertationem ſubjungit, quam & dignitas tractationis, & elegantia ſoliditasque tum dictionis, tum argumenti, perquam commendant.

VITA DI PIETRO IL GRANDE, &c.

id eſt,

VITA PETRI MAGNI, RUSSIÆ IMPERATORIS, ſcripta ab Abbate ANTONIO CATIFORO. Editio ſecunda, reviſa & aucta ab Autore.

Venetiis, typis Franciſci Pitteri, 1739, 8.

Alph. 1.

Petrus Magnus videtur in lucem fuiſſe editus, ut univerſo terrarum orbi eſſet admirationi, ſucceſſoribusque ſuis exemplum præberet, feliciter imperia tractandi, & ſpeculum, in quod Monarchæ, artium præſtantiſſimarum fautores, debeant inſpicere. Ipſe enim, ſine magiſtrorum inſtitutione, ſine librorum lectione, ſine ſchola aulicorum moderatorum, viliſſima perfunctus educatione, reperit modum reducendi rudes gentes, ipſi ſubjectas, ad manſuetudinem, mutandi paludes in armamentaria, & dumeta in Academias, beſtias vero in homines. Claſſes adornavit formidabiles. Copiis militaribus dedit ordinem ac diſciplinam. Pro omni ſcientiarum genere fundavit Academiam. Redituum ſuorum rationes conformavit ad modulos, imperiis Europæ cultiſſimis probatos. Exquiſitiſſimas ad juſtitiam adminiſtrandam tulit leges. Terras imperii ſui artificibus utiliſſimis complevit. Clericos e profunda ruditatis nocte ad lucem ſtudiorum vocavit. Gentes, a Chriſto remotas, ad doctrinam Chriſti manſuetiſſimam ratione perquam manſueta adduxit. *Carolo XII*, Suecorum Regi fortiſſimo, tulit in acceptis, ut cum fortitudine prudentiam conjungeret, & conſilia magis ſequeretur matura, quam præcipitem ardorem. Ni fuiſſet *Carolus*,

Petri gloria fortaſſis non fuiſſet tanta, nec tot ſtimulis ad altiſſimum gradum producta. Nec tantum glorioſe ſuis imperavit *Petrus*, ſed gloriam quoque cum morte ſua conjunxit, imperio relicto, quod opibus, felicitate, & confiniorum amplitudine, erat præſtantiſſimum. Operæ idcirco pretium fecit Ven. Autor, qui tanti Herois, in ſago & toga maximi, vitam & decora ad omnem ætatis ſubſecuturæ decurſum transmittere laboravit. Adhibuit eo fine libros quosque optimos, quorum ipſi fuit copia. *Joannis Perri* ſcriptum legit, ad A. 1715 perductum. A. 1720 Vir generoſiſſimus quidam, ortu Germanus, qui Petroburgi egerat ſubdelegatum ad tempus, facta & res *Petri* æque expoſuit. Autor exiſtimat, utrumque ſcriptorem inſolenter inſultaſſe religioni Ruſſorum, præcipue in eis capitibus, in quibus eccleſiæ Ruthenicæ cum Romana conveniat.

Pag. 11. Inſultationem vero illam in libris illis haud deprehendimus, nec Ven. Autor eam ſolide oſtendit, proferens nihil, niſi illud *Perrii*, cultum imaginum, Ruſſis approbatum, eſſe gentibus a Chriſto averſis impedimento, quo minus religionem Chriſtianam promte amplexentur. Commentarii *de vita Petri* prodierunt Amſtelodami A. 1725, conſtantes *IV. Voluminibus*, & nomen præferentes Baronis *Joannis Neſteſurani*, nobilis Moſcovitæ. Autor in hoc etiam id notat, quod religioni Proteſtantium ſcriptor fuerit faventior, quam Romanæ. Inprimis id male eum habet, quod hic in Jeſuitas liberius fuit invectus. Quibus præterea adminiculis Abbas fuerit uſus, nos voluit ignorare. Vitam vero *Petri* complexus fuit *ſex Libris*. In *primo* ſane exorditur procul a *Petro*. Deſcribit enim ſitum & clima Moſcoviæ. Deflectit ad primordia religionis Chriſtianæ, in Moſcoviam introductæ. Succinctam ſuppeditat notitiam de Principibus, qui regnarunt usque ad interitum familiæ *Rurici*. Percenſet tragœdiam Pſeudo-*Demetriorum* famoſam. Exequitur ſcribendo rationes, quibus *Romanoviorum* gens ſolium

14. conſcendit. Ex hac *Petrum* fuiſſe progenitum, demonſtrat, cujus primis ſub annis Strelizii excitaverint tumultus. Adjungit inſidias, quibus Streliziorum præfectus, *Petri*que ſoror, hunc appetiverint. *Libro ſecundo* exponit compoſitionem belli,

qua

qua Ruſſi cum Suecis perpetuam iniere pacem, *Sophiæ* conatus in *Petrum*, belli ſocietatem cum Germanis adverſus Turcos, expeditionem Principis *Baſilii Galizinii* bellicam in Cherſoneſum Cimbricam, fructu deſtitutam, conſilia *Sophiæ*, ad interimendum utrumque imperii dominum excogitata, matrimonium *Petri*, *Sophiæ* contra eum conjurationem, abitumque in cœnobii ſolitudines, mutatum Streliziorum exercitum, obſidionem Aſſoviæ, inſtitutionem armamentarii Veronizenſem, itinera varia per Europæ aulam haud unam, atque eam, quæ ipſum revocavit, conſpirationis perduellionem, cui ſaluberrimam objecit *Petrus* vitæ civilis omnisque ſtatus publici reformationem. *Libro tertio* aggreditur differere de *Petri* in Suecos bellica expeditione ad Narvam. Sueci diſceſſerunt ſuperiores. *Petrus* deinde cum Rege Poloniarum, *Auguſto*, coit Birzæ ad colloquendum. Legationem mittit ad Daniæ Regem, nec non ad rempublicam Polonorum. Moſcoviæ urbs incendio magnam partem perit. Sueci vincuntur a Ruſſis juxta Pleſcoviam. Pars Suecorum exercitus alia ſuperatur ad flumen Embach. Noteburgum a Ruſſis expugnatur una cum urbibus circumvicinis. *Petrus* in Ruſſiam redit victor. Expeditione inſequenti *Petrus* potitur Ingria univerſa, ac jacit fundamenta Petroburgi. Obſidet & expugnat Derptam ac Narvam. Sueci Poloniam intrant, ac *Carolus XII* in cauſa eſt, ut *Auguſtus* diademati Poloniæ renuntiet. Ad Papam *Petrus* legatum mittit rerum Polonicarum cauſa. Celebrantur comitia Leopoli atque Lublini. Et hæc quidem *tertio* enarrantur *Libro*. *Libro quarto* ea, quæ cohærent cum ſuperioribus capitibus, exponuntur. Moſcovitæ Regem Sueciæ tranſitu Viſtulæ ſtudent arcere. *Petrus* Varſavia diſcedit, rebusque Petroburgi in ordinem redactis, redit Moſcuam, ac inde in Lithuaniam revenit. *Carolus* contra Moſcoviam regionem ingrediendi ſtudio flagrat. *Petrus* tractum magnum terrarum annona frumentisque privat, prohibiturus *Caroli* molitiones. Smolenſciæ in oppido implicatur morbo *Petrus*. Simul atque convaluit idem, rebellionem Coſaccorum ſedat Moſcuæ. Redit Smolenſcium. Prælio concertant Ruſſi & Sueci. Infelici conſilio *Carolus* allectus

Pag. 110.

118.

Mazep-

Digitized by Google

Mazeppæ promiſſis, in Ucraniam deſcendit cum exercitu. Offert *Petrus Caroló* pacem. Hic, ea repudiata, Pultavam obſidione cingit, pauloque poſt vincitur a Ruſſis. *Auguſtus* ad thronum Poloniæ redit. *Petrus* vero victricia per Livoniam circumfert arma, Revaliamque adjicit ſuæ ditioni. *Libro quinto* ea potiſſimum recenſentur, quæ pertinent ad bellum Turcicum, a *Caroli* conſiliis exortum, ad conſilium *Catharinæ* de præfecto rei militaris ſupremo Turcorum conciliando numis, ad nuptias *Alexii*, e *Petro* nati, cum Principe Blankenburgica contractas, ad bellum, a Boruſſo ac Dano contra Suecum communiter geſtum, nec non ad iter ipſius, in Bataviam Pariſiosque ſuſceptum, & tandem ad mortem Principis Blankenburgicæ atque *Alexii*, in patris odium prolapſi. Quid *Libro ſexto* comprehendatur, nemini poteſt eſſe obſcurum. Excurrit ibi Autor in pacificationis negotium, quod *Petrus* ipſe in Batavia cum Barone *de Goriz*, primario *Caroli* Conſiliario, inierat. Exorta inde fuit diſcordia quædam *Petri* cum Angliæ Rege. Conſilia in Angliæ mutationem inita intercepit mors *Caroli* ad Fridericihalas. Bellum Regina Suecorum cum Ruſſis avibus minus bonis continuat, interpolatum pace Niſtadienſi. Inter hæc in adminiſtros ſuos aliquot *Petrus* animadvertit, Jeſuitas ejecit e terris ſuis, titulum Imperatoris aſſumſit, expeditionemque contra eos, qui adverſus Regem Perſidis rebellarant, paravit, oppidis aliquot captis mari Caſpio adjectis. Cum fœdus cum Perſarum Rege pepigiſſet, ac paulo poſt cum Turco, Petroburgum haud vidit amplius. *Catharinæ* vix diadema impoſuerat, cum infirmitatem corporis ſentiret, fatoque concederet. De origine *Academiæ ſcientiarum*, ad A. 1724 referenda, pauca delibavit Autor. *Petrum* vero ipſum Autor ita delineavit: *Erat ſtaturæ grandioris, corporis a natura egregie robuſteque conformati, præditus vultu, in quo ſeveritas cum amœnitate certabat, in loquendo liberior, ſæpiusque facetus, ſolicitus ac indefeſſus in laborando, otii inimicus, quietis impatiens. Si omnem ejus vitam conſiderare volueris, eam dixeris jure iter continuum. Ab uno imperii ſui termino ad alterum progreſſus fuit facilius, quam Principes alii ex regia ſua ad domeſticilium delici-*

Pag. 289. 335. 339. 341. 347.

Digitized by Google

deliciarum quoddam ſeſe commovere ſolent. Iter inde a Moſcuæ Pag. 348.
oppido ad Petroburgum, tribus hebdomadibus alioquin emetiendum, quatuor dierum intervallo perfecit. In rebus ſuis ſingulis ita erat moderatus, ut menſuram videretur paululum excedere non minus in laboribus, defatigationibus, atque vigiliis, quam in edendo atque bibendo, qua ex re detrimenta corporis ſui haud cepit. Et paucis interjectis: *In corpore tam forti & tam vigente Petrus geſtavit animum non minus fortem, mentem haud minus vigentem, ingenium prorſus vivax promtumque. Doctiſſimus erat Ruſſiæ univerſæ. Licet Grammaticæ operam haud dediſſet, diverſis tamen linguis eleganter loquebatur. Sermocinari conſueverat de rebus multis ſolide* 349.
ſatis. In diſciplinis mathematicis adeo erat verſatus, ut in eis pæne ac Profeſſor Matheſeos aliis docendo prodeſſe potuiſſet. In Geographia vero ac re nautica Profeſſoribus antecellebat. Suo Marte invenit modum, quo ex mari Caſpio in Nigrum, & ex utroque in Balthicum, navigari poſſit, ſiquidem beneficio canalis connexuit Tanain cum Wolga & Wolgam cum Neva. Creatorem imitatus eſt, quod e ſterilibus ſtagnis putridisque paludibus Petroburgum eduxit, ac ex viliſſimo dulciario piſtore creavit Principem *Menzikoſium*, ex miſera autem ruſtica *Catharinam* Imperatricem effinxit. Quantum ad *Petri* religionem attinet, *Voltarius* exiſtimavit, eum eodem ſenſu fuiſſe imbutum, quo *G. G. Leibnitius* Regem Sueciæ *Carolum XII* Lipſiæ perfuderit. At opinioni huic ſeſe alienum præbet Autor, largitus tamen, *Petrum* conſueviſſe diſcernere ſolida religionis capita a ſuperſtitioni, quam vulgus ſequi ſolet. Ut verbo dicamus, quod res eſt, *Petrus* Ruſſorum erat ſol, heros, parens; Europæ momentum; barbariei Trismegiſtus; ſuperſtitionis expurgator; Politices promus condus, ac generoſæ; artium & ſcientiarum decus ſempiternum; Theologiæ reformator; artifex ſummus; Mathematicus magnus, nauta & belli dux maximus. Celebrabunt certe *Magnum* illum *Petrum* ſecula, ſuſpicient eum perpetuo gentes, æternitas eum admirabitur.

VITE DE' PITTORI, SCULTORI, ED ARCHITETTI moderni, &c.
id eſt,
VITÆ PICTORUM, SCULPTORUM, ET ARchitectorum noſtræ ætatis; Autore LEONE PASCOLI, inſcriptæ & dedicatæ Majeſtati CAROLI EMANUELIS, Regis Sardiniæ.

Volumina II.

Romæ, typis Antonii de Roſſi, 1730 & 1736, 4.
Alph. 4 plag. 22.

Philippi Baldinucci de hoc argumento innotuit ante aliquot annos poſthumum opus. Carptim & ſuccincte is ſeſe expedivit munere, quod ſibi voluerat impoſitum ipſe ſponte ſua. Multos ille pictores, ſculptores, & architectos, deſcribere, eorumque vitas perſequi, omiſit, quas Cl. *Paſcolius* nunc in lucem protraxit. Nec minus hic ad vitas, ab illo expoſitas, attulit ſupplementa bene multa, e ſingulari notitiæ penu depromta. *Volumen prius* haud ſecus ac *poſterius* apparet tripartitum. *Primo* diſſeruit Cl. Autor de pictoribus, tum de ſculpPag. 3. ptoribus, tandem de Architectis. Primordium operis cepit a *Petro Berrettini*, cognominato *Cortonenſi*, nato A. 1596, 1 Nov. Cortonæ, cujus fœcunditas meditationum, ſublimitas imaginationis, obſervatio foci colorum, alacritas manuum, & impetus penicilli, prædicantur. Candor mentis & capacitas, ingenii perſpicacia, & memoriæ felicitas, in eo de principatu certabant. Inſtitutus in ſchola *Andreæ Commodi*, pictoris Florentini, forte incidit in notitiam *Baccii Ciarpii*, apud quem peritiæ pictoriæ faſtigia addidicit. Ex imitatione tabularum *Raphaelis*, *Michelagnoni*, *Polydori*, atque veterum ſtatuarum,
4. multum profecit. *Nativitatem Jeſu Chriſti* illa pinxit, ut Romæ veniret in omnium ora, & in procerum approbationem. Opera ejus deinde ab omnibus plurimi æſtimari cœperunt, quæ ut recenſeamus, inſtitutum noſtrum haud permittit. Ex
11. vita ſedentaria ipſe contraxit podagram tam infeſtam, ut tandem

Digitized by Google

dem & pedes & manus & lingua officio ſuo fungi recuſarent, Obiit itaque A. 1669, 16 Maji, relicto 100000 ſcutatorum & ultra pondere, quod eccleſiæ S. *Martini*, partim architecturæ ipſius operi illuſtri, legaverat. Funus ipſius Academici S. *Lucæ* univerſi comitati fuere. *Franciſcus Barberinus*, eccleſiæ Romanæ purpuratus, in æde illa ſacra viro, picturæ & architecturæ artibus præſtantiſſimo, magnificum monumentum titulumque curavit ponendum. Hujus vitam excipit *Andreas Sacchius*, natus Romæ A. 1599, a patre *Benedicto* primis elementis pictoriæ artis imbutus, ſcholæ *Albani* addictus. Speciminibus ingenii ſummi editis frequentiſſimis, obiit A. 1661, d. 21 Junii, humatus in æde S. *Joannis* Lateranenſis, felicior ingenio & arte, quam nominis celebritate. Huic ſubjungit Autor vitam *Claudii Gellei*, Lotharingi, intra diœceſin Tullenſem nati A. 1600. Hic Neapoli ſub diſciplina *Gothofredi Wals* tirocinia poſuit, in *Auguſtini Taſſi* ſchola acceſſiones fecit Romæ, ac ita ſine cortice natare cœpit. Excelluit picturis, ad perſpectivam & architecturam referendis, fato ſuo functus A. 1662, 21 Nov. In epitaphio id potiſſime celebratur, quod ipſos orientis & occidentis ſolis radios in campeſtribus mirifice pingendis effinxerit. Superſunt ex ipſo nepotum filii nepotesque Romæ. Succedit vita *Michaelis Angeli Cerquozzii*, quem A. 1602, 2 Febr. Roma protulit in lucem, ejusque A. 1660, 6 Apr. defuncti oſſa texit. Sequuntur deinde *Andreas Camaſſei*, *Joannes Franciſcus Grimaldi*, natus A. 1606, defunctusque A. 1680, 28 Nov. *Joannes Dominicus Cerrini*, denatus Romæ A. 1681, *Caſparus du Ghet*, in lucem ſuſceptus A. 1613, mortuus vero A. 1675, 25 Maji, *Salvator Roſa*, natus A. 1615, 20 Junii, Neapoli, † 1673, 15 Martii, nec non *Ludovicus Scaramuccia*, natus A. 1616, defunctus A. 1680, 13 Auguſti, *Joannes Franciſcus Romanelli*, *Carolus le Brun*, Pariſiis in lucem A. 1619, 22 Mart. editus, primus Regis Galliarum pictor, director Cancellarius Academiæ regalis, a picturis ſculpturisque dictæ, defunctus A. 1690, 12 Febr. Hiſce eleganter expoſitis deſcriptisque, in ſcenam prodeunt *Jacobus Corteſius*, *Petrus Franciſcus Mola*, *Hyacinthus Brandi*, & *Carolus Maratti*,

Pag. 12.
15.
21.
23.
28.
29.
36.
51.
81.
87.
106.
108.
129.

natus A. 1625 non procul a Lauretana domo Camerani; a *Clemente XI* creatus Eques, in templo *Mariæ* Lauretanæ ſibi A. 1704 vivens poſuit monumentum, defunctus A. 1713, 15 Dec. Inde oratio deflectit ad *Guilielmum Corteſium*, Burgundum, picturæ cultorem eximium, A. 1679, 13 Jun. defunctum, *Carolum Cignanum*, Comitem Equitemque Bononienſem, qui *Mariam* Deiparam cœlitesque & beatos ignes, magnasque animas, ad miraculum reddiderat conſpicuas, denatum A. 1719, 6 Sept. porro *Cyrum Ferri*, *Petrum Mulierum*, ortu Harlemenſem, natum A. 1637, cognomento *Tempeſtam*, qui, maritima & campeſtria pingens, colorum elegantiæ admirabilem ſuavitatem adjunxit, obiitque, illuſtrata eruditis laboribus Italia, A. 1701; *Nicolaum Berrettonium*, *Petrum Franciſcum Garolium*, *Joannem Baptiſtam Gaullium*, *Joſephum Clarium*, A. 1727 defunctum, ortu Romanum; *Joſephum Paſſeri*, A. 1654, 12 Mart. natum, A. 1724 demortuum; *Petrum Petri*, Romanum; & *Benedictum Lutium*, Florentinum, qui numerum pictorum claudit. Sequuntur vitæ Sculptorum. Dabimus ſaltem nomina. Primas tenet *Herculei Ferrata*, Pelſotti in Epiſcopatu Comenſi A. 1610 natus, mortuus A. 1686, 11 Jul. qui conſueverat marmoribus dare vitam. Excipit eum *Antonius Raggi*, Helvetius, hunc vero *Dominicus Guido*, Maſſenſis. Succedunt hiſce vitæ *Melchioris Caſæ*, *Camilli Ruſconi*, in parochia S. *Raphaelis*, qui natus Mediolani A. 1658, † 1728, *Petri Craſſi*, Pariſienſis, † 1719, *Angeli de Roſſi*, Genuenſis, † 1715, 12 Junii. Subjunguntur Sculptoribus vitæ Architectorum, nominatim *Galeazzii Aleſſii*, Perusienſis, A. 1500 nati, † 1572, *Julii Dantis*, † 1575, *Vincentii*, filii, nati A. 1530, in utraque architectura, in pictura, ſculptura, metallorumque fuſura, exercitatiſſimi, *Franciſci Borromini*, ad Comum A. 1599 nati, † 1667, *Caroli Rainaldi*, nati Romæ A. 1611, † 1691, *Joannis Antonii de Roſſi* (de Rubeis), nati Romæ A. 1616, † 1695, divitias ex arte nacti ampliſſimas, *Matthiæ de Rubeis*, nati A. 1637, † 1694. Hac ratione vitas hic habemus pictorum 27, ſculptorum 7, & architectorum 6. Hæc *Voluminis prioris* eſt ſumma. In *poſteriori* idem ſcopus, idem ordo, idem ſtili nitor, ſæpius panegyrici quid ſpirans. A pictoribus exor-

Pag. 142. 177. 184. 216. 228. 248. 259. 289. 316.

exorſus fuit Cl. Autor. Scenam aperit *Joannes Baptiſta Calandra*, Vercellenſis Pedemontanus, A. 1586 luci datus, muſivorum emblematum opifex præſtantiſſimus, Romanæ pictorum Academiæ Princeps, qui annos 40 circiter Vaticanam baſilicam operibus ſuis decoravit, defunctus A. 1644, 27 Octobris. Pag. 32.

Latus ei claudit *Bernardinus Gagliardi* (Calliardius), natus A. 1600, † 1660, 18 Febr. Tertium locum occupat *Antoninus Barbalunga Alberti*, Meſſinæ ortus A. 1600, demortuus A. 1649. 44.

Sequitur eum *Marius Nuzzi*, natus A. 1603 Pennæ, pingendis floribus fructibusque inprimis intentus celebrisque, † 1673. 57.

Hunc excipit *Franciſcus Cozza*, Calaber, qui vivere deſiit A. 1682, 11 Jan. Succedit *Franciſcus Lauri*, ab *Andrea Sacchio* plurimi factus, artis ſuæ decus, quem mors A. 1635 abſtulit e vita. 75.

Sequitur *Petrus de Pado*, Panormi A. 1610 natus, & hunc *Matthias Preti*, Calaber, in lucem A. 1613 editus, A. 1699, 3 Non. Jan. mortuus, qui Romæ, Venetiis, Neapoli, ſummos penicillo honores ſibi peperit, Melitæ in inſula ab Ordine Hieroſolymitano encomiis elatus, ac inter equites V. L. Italiæ ex gratia allectus. 89. 112.

Proximum ab eo locum tenet *Joannes Angelus Canini*, ſodalis Academiæ S. *Lucæ* inde ab A. 1650, defunctus A. 1666. 114.

Tum exponitur vita *Joannis Mariæ Morandi*, quem Florentia A. 1622 in auram vitalem tulit, Mediolanum, Auguſta Taurinorum, Burgumforte, Mantua, Verona, Vincentia, Patavium, Tintorettum, viderunt, Roma extulit; *Leopoldus* Cæſar exornavit, cujus a ſecretis erat frater ipſius. 127.

Deinde diſſeruit Cl. Autor de *Philippo Lauri*, de *Lazaro Baldi*, Piſtorienſi, qui ſacellum in honorem inclyti Martyris S. *Lazari* Monachi, celebris pictoris, qui ſub *Theophilo* Imperatore, ſacrarum imaginum, earumque pictorum, perſecutore acerrimo, diris ſuppliciis excruciatus, interiiſſe fertur, A. 1681 fundavit, atque A. 1703 obiit Romæ, de *Carolo Ceſi*, † 1686, de *Cæſare Pronti*, † 1708, de *Joanne Andrea Carloni*, nato A. 1627, prope Genuam, † 1697, de *Joſepho Ghezzio*, † 1721, 4 id. Nov. de *Joanne Bonati*, † 1681, de *Joanne Baptiſta Benaſchi*, nato A. 1636 in Pedemontio, denato A. 1690, de *Ludovico Garzi*, † 1721, de *Andrea Pozzo*, Tridentino, quem in lucem ſuſceptum A. 1642, 30 Nov. 137. 163. 208 146.

30 Nov. mors sustulit A. 1709, de *Joanne Baptista Buoncore,*
Pag. 287. † 1699; de *Antonio Gherardi*, A. 1644 in Rieti nato, † 1702, aggregato A. 1674 Academicis S. *Lucæ*, de *Ludovico Gimignani*,
298. † 1697, 26 Jun.; de *Hyacintho Calandrucci*, nato A. 1646, † 1707, 22 Febr.; de *Daniele Seiter*, Vindobonæ A. 1649 na-
325. to, quem *Victorius Amadeus II*, Dux Sabaudiæ, primum aulæ suæ interioris pictorem constituit, demortuo A. 1705; de *Bonaventura Lamberti*, † 1721, 19 Sept.; de *Carolo di Voglar*, Trajecti ad Mosam nato A. 1653, † 1695, 8 Augusti; de *Christiano Reder*, in Saxonia A. 1656 nato, † 1729, 26 Jan.; de
357. *Christiano Bernetz*, A. 1658 prope Hamburgum orto, A. 1722 demortuo; de *Francisco Varnertam*, Hamburgi A. 1658 nato, Flandrorum in consortionem Romæ adscito, Viennæ, Parisiis, Passavii, ibique celeberrimo, A. 1724, 19 Julii, defuncto, de
377. quo senator Hamburgensis *Brocks*, Poeta Germaniæ summus, mentionem injecit in pæane, vel potius dramate, cui ad *Marini* modulos conformato titulus est: *Bethlehemitischer Kindermord*; de *Sebastiano Riccio*, † 1734, 15 Maji. Idem copiose
386. agit de *Joanne Odasi*, Romano, a *Benedicto XIII*, Pont. Max. ob feracem pingendi peritiam & castigatam celeritatem ad eque-
397. strem ordinem evecto, ex hydrope demortuo A. 1731, 9 Jun. Eleganter exponit vitam *Andreæ Procaccini*, Romæ A. 1671 in lucem editi, defuncti A. 1734, 17 Junii. Sculptorum princi-
pes enumeravit hosce, *Franciscum Mochi*, *Julianum Finelli*,
477. Carrariensem, *Andream Bolgi*, *Lazarum Morelli*, *Paulum Naldini*, *Jacobum Antonium Fancelli*, *Josephum Mazzuoli*, ac *Petrum Monnot*, A. 1733 defunctum. Architectos vero subjunxit *Carolum Madernum*, *Honorium Lunghi*, *Joannem Baptistam Gisleni*, *Carolum Fontanam*, atque *Joannem Baptistam Contini*, Romanum. Ita suaviter, perspicue, atque præclare, Autor politissimi ingenii vitas tantorum nominum exposuit, ut præstet ad fontes labra applicare, quam compendiosæ nostræ recensioni diutius immorari.

ISTORIA DI FIRENZE DI GORO DATI
dall' anno 1380 all' anno 1405, &c.

id est,

Digitized by Google

id est,

HISTORIA FLORENTIÆ, A GREGORIO DATIO perscripta, inde ab anno 1380 usque ad annum 1405, una cum annotationibus.

Florentiæ, typis Josephi Manni, 1735, 4.

Plag. 21.

Datius olim inter Historicos & Poetas Italiæ obtinuit principatum. *Allaccius* in *Catalogo Poetarum Thuscanensium*, ac *Crescimbenius* in *Commentariis ad historiam vulgaris Poesios*, eum numero Poetarum adscripsere. Laudes ejus attigerunt *Paulus Mini* in libro: *Discorso della Nobiltà di Firenze*, qui Poetis Historicisque ipsum annumeravit, *Verinus* de *illustratione urbis Florentiæ*, *Jacobus Gaddius* in libro: *Elogi florici*, *Buonaccorso Pitti*, *Julius Niger*, Jesuita, in *Istoria degli Scrittori Fiorentini*, *Salvinus Salvini*, Canonicus Florentinus, in *Fasti Consolari dell' Academia Fiorentina*, ac *Laurentius Mariani* in *Priorista Manoscritto*, quem jussu *Ferdinandi*, Magni Hetruriæ Principis, collegit. Historia hæc e Codicibus manuscriptis tribus, inter se collatis, hausta atque descripta fuit, quorum antiquissimum tenet decus Italiæ, vir eruditissimus, ornandis literis natus, *Salvinus Salvini*. Notas adjecit *D. Josephus Blanchinius di Prato*. Exponitur a *Datio* inprimis bellum, quod respublica Florentina tunc adversus Vicecomites Mediolanenses gessit. Pag. 19. *Gregorio Datio* erat frater *Leonhardus*, Poeta, quem tamen ipse antecelluit, vates quippe singularis, Historicus percelebris, Mathematicus insignis, & Astrologus egregius. Scripsit Italice librum *Gregorius*, cui titulus: *Sphera mundi*, Florentiæ A. 1482 & 1513 typis publicis expressum. *Gregorius Datius* finxit, sese colloquio de meridie suscepto complexum fuisse hanc *de Bello Florentino* historiam, uti ex procœmio patescit. *Libris novem* expositio constat, recensionis copiosum argumentum. *Libro primo* edisseritur I. origo

origo Comitis bellici, ac dominatus *Galeacii* & *Barnabæ* fratrum. *Galeacio* in matrimonium obvenerat *Valentina*, Ducis
Pag. 3. Aurelianenſis filia, qui erat frater Galliarum Regis. *Galeacio* unica ejus ſucceſſit maſcula proles, *Joannes Galeacius*; cui nu-
4. ptum dederat *Barnabas* ille filiam ſuum. Horum origo ulti-
5. ma e ſinu civium Mediolani eſt arceſſenda. *Matthæus* Vice-Comes A. 1294 Cæſareus univerſæ Longobardiæ Vicarius fuit renuntiatus. Omittimus reliqua. *Galeacius* junior ſocerum *Barnabam*, ſibi extra urbem obviam euntem, cum filio majori capi, atque in caſtellum, quod portæ urbis imminet, produci
8. juſſit ad carcerem, cauſatus, a *Barnaba* vitæ ipſius inſidias comparari. *Galeacii* ſoror erat uxor filii illius *Barnabæ*, ſeu
9. *Bernabovis*, *Violanta*. Nihilo ſecius *Joannes Galeacius Barnabam*, Vicecomitem, veneno interimendum curavit. Deinde
18. Patavium, capto *Franciſco Carrario*, ſeniore, redegit in poteſtatem. Id quod *Libro ſecundo* exponitur. Hæc fortunæ aura adeo *Joannem Galeacium* egit in transverſum, ut, precibus Senenſium adductus, Florentinos infeſtandi primordia caperet. Dominatus Dominorum *de Scala* tum deſiit Veronæ, in Vicecomitis ditionem ſeſe permittentis ac concedentis. Ultimus
17. eorum exſtitit *Antonius*. In quorum familiam ſeſe intrudere conati *Julius* ac *Joſephus*, *Scaligeri*, viri docti, ſed ambitioſi, jocis ac cavillationibus eruditorum ſe expoſuere. Florentini
20. A. 1384 ſuæ poteſtati ſubmiſerant urbem Aretium. Id Senenſes ægre tulerunt, quibus is locus antea paruerat. Politianum, ſeu Monſpelucianus, ſeſe ultro Florentinis dedidit. Factio, Politiani Senenſibus benignior, egredi juſſa, Senas conceſſit. Se-
21. nenſes itaque *Joannem Galeacium* ad arma in Florentinos concitanda ſolicitarunt. *Ludovicus*, Dux Andegavenſis, a *Joanna*, regina Neapolitana, hæres ſcriptus, cum moveret exercitus e Gallia adverſus *Carolum Dyrrhachinum*, Florentinos, ut ſuam
24. in ſocietatem ſeſe conferrent, imploravit. Hi, ſeſe id facere poſſe, negarunt, partis futuri neutrius. *Ludovicus Clementem* tuitus eſt, cujus antipapa erat *Urbanus*, flagellum *Joannæ*, Neapolitanorum Reginæ, cui ille communione eccleſiæ & cœli interdixerat, diadema etiam ei demturus, quod jam *Carolo* illi tradi-

tradiderat impoſueratque. Hoc fuit initium, hoc exſtitit ſemen ſchiſmatis illius famoſi ac diuturni Romanos inter Pontifices. *Dathius Clementem Carolo VI* præferendum duxit. *Libro tertio* idem commemorat primum bellum, quod Florentini cum Vicecomite geſſere, ſpecimen potentiæ, fortitudinis, atque prudentiæ, ipſorum ſatis luculentum. Ipſi *Stephanum*, Bavariæ Ducem, e Germania acciverunt, qui Vicecomitem admodum labefactavit, ac ad patriam tuendam repulit. *Libro quarto* diſſeruit *Dathius* de Vicecomitis factione intra Mantuam, ac, pace ſecunda Venetiis reconciliata, de Vicecomitis titulo in dignitatem Ducis converſo, de ſocietate, quam Piſani ac vicinæ Florentinis urbes cum novo Duce coierunt, & de Florentinorum precibus ad novum Imperatorem directis. *Libro quinto* expoſuit, quomodo Bononia ceperit, ſuæque ditioni ſubmiſerit, Bononiam, Florentini vero, fœdere cum Papa inito, Duci bellum intulerint eo eventu, ut Bononiam Pontifex ſummus receperit. Addidit nonnihil de morte Ducis Mediolanenſis, de terris Romanæ ſedi ſubjectis, rebusque aliis non alienis a ſcopo. *Libro ſexto* commemorationem inſtituit de Bononienſium rebus, de Mediolanenſis Ducatus turbis, ac de feſto die S. *Joannis* apud Florentinos. *Libro ſeptimo* narravit potiſſima de Florentinorum auſpicatis expeditionibus, qui exercitus ſuos e Langobardia revocarunt, Peruſium ſedi Apoſtolicæ reddendum curarunt, Senas liberarunt; inprimis vero ſui juris fecerunt civitatem Piſarum. Adjunxit pauca de origine Piſarum, moribusque & conſuetudinibus Piſanorum. *Libro octavo* recenſuit Romanorum priſcos mores, eorumque labores, in condenda incolisque inſtruenda Florentia, modo disjecta & everſa, modo reparata, de ejus pulchritudine, de factione Guelforum & Gibellinorum, de bello Florentinorum cum Papa, ejusque compoſitione. *Libro nono* ediſſeruit formam politicam Florentiæ, ejusque magiſtratus. Cel. *Blanchinius* in notis ſubjunctis ſcriptores ætate *Dathio* ſuppares conſuluit, atque in medium adhibuit, ſuccincte dicta explanavit, annos rerum geſtarum commemoravit, ac nihil eorum omiſit, ſive critica, ſive hiſtorica, ſpectaveris, quæ quodammodo ad complexum orationis *Dathii*,

Pag. 29. 30. 45 ſeq. 60 ſeq. 65 ſeq. 90 ſeq. 102 ſeq. 140 ſeq.

Digitized by Google

quæ per modum dialogi fuit concinnata, facere videbantur. Id unicum notabimus, ipſum ignoraſſe originationem *Langobardorum*, ita dictorum a loco, ad Albim intra Magdeburgum & Hamburgum occidentali, quem appellant *lange bærde*, id eſt, longum tractum. In Epiſcopatu Hildeneshemenſi præfectura Wincenburgenſis diſtribuitur noſtra adhuc ætate in tractum inferiorem & ſuperiorem, vulgo in *obere bærde* & *niedere bærde*. Eadem diſtinctio obtinet in præfectura Brunsuico-Luneburgenſi Wickenſenenſi. Præfectura vero Gandershemenſis dividitur in *Heſerbærde* & *Leinbærde*, id eſt, tractum ad ſilvam Heſer & tractum ad fluvium Leine. Oram, longius ſeſe extendentem, noſtri adhuc vocant *bord*, *borte*.

ORATIONE IN MORTE DI EUGENIO FRANCESCO, Principe di Savoia, &c.

id eſt,

ORATIO FUNEBRIS IN OBITUM EUGENII Franciſci, Principis Sabaudiæ, Autore DOMINICO PASSIONEI, Archiepiſcopo Epheſi, & Nuntio Apoſtolico.

Patavii, typis Joſephi Comini, 1737, 4.

Plag. 11½.

IN FUNERE EUGENII FRANCISCI, Sabaudiæ Principis, Oratio. Orazion in morte di Eugenio Franciſco, Principe di Savoia.

Viennæ Auſtriæ, ex typographia Leopoldi Joannis Kaliwoda, 1738, 4.

Alph. 1.

Splendor virtutum ſummi & ſuper æthera noti Principis Sabaudiæ, *Eugenii Franciſci*, ita ſemper oculos & ora totius Europæ in ſe convertit, ut merito ad illum ſempiternæ memoriæ conſecrandum Eminentiſſimus Dominus, *Dominicus Paſſionei*, peren-

Digitized by Google

perennius ære exegerit monumentum. Ipſe Italus Italico ſermone honoribus tanti Principis parentavit. D. *Georgius Thiera*, Caſinenſis Congregationis Prior, denuo Orationem illam *Paſſionei* edidit, adjuncta translatione Latina, quæ ad ponderoſum, ſententioſum, & ſublime, dicendi genus, quo *Paſſioneus* fuit uſus, quam proxime accedit, plerumque illud æquat, rariſſime antecellit. D. *Thiera* editioni novæ præter interpretationem Latinam præfixit formulam dedicationis novam, ad *Carolum VI*, Auguſtiſſimum Imperatorem, directam, in qua hujus ſummæ & incomparabilis magnitudinis præſtantia verbis, tanto faſtigio accommodatis, ediſſeritur. Prædicat enim merito Pl. Rev. *Thiera* curas Auguſtiſſimi Cæſaris publicas, quas majeſtas ejus convertit in longiſſimas vias ſumtibus immenſis muniendas, in exſtruendum templum ſplendidiſſimum, in Bibliothecam Vindobonenſem, cum mole, tum librorum copia atque delectu, ampliſſimam, inſignem equorum palæſtram, atque alia opera longe præclariſſima. Nec illud nos præterire voluit, quod Eminentiſſimus Orationis Autor eam recognoverit Latine factam. Conſtat præterea, eam veluti maſculæ eloquentiæ ſpecimen jam prodiiſſe, in Germanicum, Gallicum, & Anglicum, ſermonem converſam. Hæc, quæ præ manibus eſt, translatio ſic fuit adornata, ut verbum pro verbo non fuerit redditum, ſed genus omnium verborum vimque ſervare allaboraverit interpres, ratus, ea ſe annumerare lectori non oportere, ſed appendere. Qui vocibus trutinandis curas & tempora ſua transmittunt, in translatione hac Latina hinc inde requirent puritatem. Qui contra orationis flumen, perſpicuitatem, leporem, venuſtatem, vitam, ſpiritumque, & nervos, ſummi faciunt, hic invenient, de quo ſibi gratulentur. Scripſerat funebris hujus Orationis elementa Autor Eminentiſſimus eo fine, ut A 1736, 10 Julii, publice in eis eloquendis verſaret induſtriam, & ſuas eloquentiæ vires omnibus probaret. Cum vero id conſilii haud demandatum fuerit executioni, adeo tamen noluit ipſe officio ſuo deeſſe, ut Cæſareis ſub auſpiciis Orationem illam, eamque ampliorem redditam, formis publicis curaverit deſcribendam. Atque, ut de ipſa Oratione & ex ejus

ornamentis nonnihil decerpamus, jam videris, Lector, nos ammonere. Habes itaque hic ſpecimen graviſſimæ & heroicæ eloquentiæ, heroem ſummum æmulatæ. Habes hic comparationem, inſtitutam inter *Alexandrum Magnum* ac Principem Sabaudiæ *Eugenium Franciſcum.* Exordium eſt ex *primo Maccabæorum Libro* deſumtum. De *Alexandro Magno* ibi hæc leguntur: *Alexander Philippi Macedo — conſtituit prælia multa, obtinuit omnium munitiones — accepit ſpolia multitudinis gentium — ſiluit terra in conſpectu ejus — obtinuit regiones gentium & tyrannos — & poſt hæc decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur.* Vis horum verborum ſublimioribus hypotypoſibus iconibusque expreſſa. En exemplum: *Poſt hæc decidit in lectum. Hiccine itaque tanti, quo potitus fuit, terrarum ſpatii fructus eſt? Iſtæne lauri illæ ac palmæ, tanto irrigatæ ſanguine, atque enutritæ? Decidit in lectum? Hiccine itaque novæ divinitatis ſplendor eſt & privilegium? Hic ambitioſus ſacrificiorum cultus? Hoc denique illud eſt Numen, quo coram tremebunda poplitem flexit Terra?* Periodi nonnullæ ſatis ſunt diffuſæ, ad legendum, quam ad recitandum, aptiores. Summa ipſa & argumentum rationis verſatur in enumerandis *Eugenii Franciſci* factis heroicis, ſaluberrimisque, quæ, Imperatoribus tribus glorioſiſſimis, *Leopoldo*, *Joſepho*, & *Carolo VI*, præſidentibus, eorumque auſpiciis, edita fuere cum contra Turcos, tum adverſus Gallos. Id inprimis dignum memoratu, *Eugenium* in Hungarico ſuo bello primo præ oculis inter excellentiſſima artis militaris exemplaria unum habuiſſe *Carolum*, laudatiſſimum per ea tempora Lotharingiæ Ducem. Cladem, quæ Turcis ad Zentam per *Eugenium* fuit illata, eleganter delineat Autor. Vocat *Eugenium* & *expugnatorem* & *prædatorem velociſſimum.* Memorabilia ejusdem illa verba: *In agendo ne ſume normam ab emolumento privato, nec a vulgarium hominum vel laude, vel vituperatione.* Laudantur inprimis virtutes hæ in illo, dominatus ſui, prudentiæ lux certa, judicii perſpicacia, animi conſtantia & tranquillitas, abſtinentia ab eis, quæ detrimenta fundere potuiſſent, æqualis ſibique conſtans animi indoles, miſericordia, taciturnitas, juſtitia,

Digitized by Google

tia, avaritiæ faſtidium, luxuriæ nauſea, eruditionis rariorisque Bibliothecæ amor, collectio librorum, ad Phyſicam pertinentium, inuſitata, amor Geographiæ ac mapparum geographicarum rariſſimarum. Additur hiſce ardor colligendi tabulas chalcographicas atque pictas. Rationem Princeps tantus præcipue habuit tabularum *Raphaelis* atque *Marci Antonii*, qui equiſitiſſimas *Alberti Durerι* formas ſuperare contendit arte ſua. Magiſtri hujus ac *Antonii* diſcipuli opera omnia, ab illo picta, ab hoc in æs inciſa, incredibili ſtudio Princeps *Eugenius* in unum collegerat, perinde ac aut præclariſſimorum omnium artificum patronus & Mecænas exſtitiſſet, aut ſingularis & a bonis artibus inſtitutus hæres hoc ditiſſimum, contra pervicax ignorantiæ odium, cuſtodiviſſet patrimonium. Potuiſſet ex apparatu Principis tanti aliquis deſcribere annales artium pingendi, ſculpendi, atque incidendi in æra, per tria fere Secula proxime præterlapſa continuatos. Dolendum id unice, heroem tam raræ virtutis a nullo *Raphaele* depictum, a nullo *Michaele Angelo* in marmore exſculptum fuiſſe. Sed obſtabat, quo minus ita fieret, animi ejus moderatio. Nec id omittendum, ipſum in legendis Hiſtoricorum atque Poetarum ſcriptis, dum vigebat ætas, fuiſſe multum ſatisque verſatum. Elogii in Principem ſummum collati hæc eſt non exigua pars, quam verbis Eminentiſſimi *Paſſionei* exprimere liceat. En illa, in Latinum converſa: *Animum ejus execranda hæc avaritiæ peſtis (quæ jam univerſum pæne terræ ambitum infecit) fœdare nunquam potuit; ſatis quippe illi erat compertum, vaſtiſſimas atque infinitas hominis cupiditates, in malum ſemper pronas, munerum alimento majorem in dies vim ſumere, atque immoderate ſuam aviditatem augere.* Simulationi eum ſtuduiſſe unquam, Panegyriſta negat. Eleemoſynis largiſſimis inopiam pauperum ſublevaſſe ac ſolatum fuiſſe eum, luculenter comprobat. Spem, quam de beatitudine defuncti Herois conceperat, ita expreſſit: *In tuto ſpes noſtra ſit, nec timore infirmari, aut perturbari, illam ſinamus. Quoniam ad thronum Dei oraverint ejus cauſam ſumma animi moderatio, qua ambitionis humanarumque laudum periculoſas vitavit, ac potius contemſit, inſidias;*

variſſima modeſtia, quam in coercenda adhibuit ſuperbia, quam tot in ipſo potuiſſent excitare triumphi, perfectus abſolutusque ſpoliorum, prædarum, atque auri contemtus; incomparabilis probitas, quæ ejusdem conſilia & actiones ſemper eſt conſecuta: ac ſecreta tandem & munificentiſſima liberalitas, in pauperum atque egenorum levamen profuſa. Subjunxit Autor Eminentiſſimus tandem loco epilogi exhortationem ſeriam de fragilitate & vanitate hujus vitæ, diligentiſſime in pectus intimum demittendam.

VITA DI MONSIGNORE MICHEL CARLO Visdomini Cortigiani, Patrizio Fiorentino, &c.

hoc eſt,

VITA MICHAELIS CAROLI VICEdomini Cortigiani, Patricii Florentini, Epiſcopi Miniatenſis, poſtea Piſtorienſis ac Pratenſis, conſcripta ab ANDREA DANTI, Præpoſito eccleſiæ collegiatæ Caſtelli Franci. Accedunt in fine Opuſcula aliquot ejusdem Antiſtitis venerandi. Dedicata Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi Cardinali JOANNI ANTONIO GUADAGNIO, Vicario Romæ, ac Nepoti Sanctitatis Domini noſtri Papæ CLEMENTIS XII.

Florentiæ, ex typographeo Bernhardi Paperini, 1736, 4.

Alph. 2 plag. 3.

Michael Carolus Cortigianus, e Vicedominorum gente Florentiæ procreatus, Epiſcopus non unius loci, inter ſuos egregium edidit ſpecimen innocentiæ morum, ardoris in exercitio virtutum deſudantis, ſolicitudinis, vigilantiæ, atque moderationis. Deſiderarunt defunctum egeni, amici, proceres. Quare, ut memoria ejus ab oblivione vindicaretur, certatim bonæ mentes ſtuduerunt. Piſtorii ipſe obiit A. 1713, natus Florentiæ A. 1648 ex gente nobiliſſima. Familia Vicedomi-

Digitized by Google

dominorum in duos abit ramos, in profapiam videlicet *Cortigianam & Conforterianam. Cortigianam* credit Autor indeptam nomen, feu cognomen, ex curia, vel curte, Epifcopatus Florentini, cujus hæc gens fufceperit geſſeritque defenſionem atque curam. Innotuerunt præterea profapiæ *della Tofa, Tofinghi*, ac *Aliotti*, ad communem ſtipitem reducendæ. Exſtant literæ *Gregorii X* Apoſtolicæ, ad Vicedominos Florentini Epiſcopatus, quæ ab Autore exhibentur. Seculo jam quinto memoratur Florentinus *Hugo Vicedominus*. Vicedomini hi erant genere nobili, ac, ſede epiſcopali vacante, cuſtodes erant bonorum Epiſcopatus. Eadem olim ſervata fuit etiam Parmæ conſuetudo. *Michaelis Caroli* pater exſtitit *Robertus*, miles generoſus, qui munia præſtitit juvenis *Matthiæ* Mediceo in aula Florentina, ac poſthæc Hiſpanis. Mater fuit *Hortenſia*, unica proles & hæres Domini *Joannis Baptiſtæ Goti*, pietatis ſingularis matrona. Frater Epiſcopi noſtri fuit *Antoninus Andreas*. Natalis *Michaelis Caroli* incidit in quartum Novembris. *Michaelis* nomen traxit ex avo materno, *Caroli* autem ex die natali, qui olim conſecratus fuerat memoriæ *Caroli Borromæi*. Miniatenſem Epiſcopatum fundaverat *Gregorius XV* A. 1622. Studia Epiſcopus noſter humaniora addidicit hauſitque in Collegio Jeſuitarum Florentiæ, quod a S. *Jovannino* cognomen obtinuit, præeunte celeberrimo Patre *Glaria*. Romæ tirocinium rhetoricum ac philoſophicum poſuit. Conſcientiæ ibi arbitrum delegit *Marianum Soccini*, Patrem Congregationis Oratorii, Nepotem S. *Philippi* cognominatum. Sacerdotio conſecratus, deinde Præpoſitum eccleſiæ Empolitanæ egit, porro eligitur in Epiſcopum Miniatenſem, deinceps transfertur ad fungendum Epiſcopatu Piſtorienſi, cui Pratenſis eſt innexus. Seminarium Miniatæ erexit, miſſiones ſacras epiſcopales inſtituit, viros eccleſiaſticos ſibi ſubjectos curæ eordique habuit, invigilavit educationi D. *Joannis Pauli Gualtieri*, Florentini, direxit vitam ſpiritualem *Laurentii Mariæ Gianni*, juventutem eccleſiaſticam optimis literis virtutibusque imbuendam curavit. Familiarium curam geſſit laudibus dignam, plurimi fecit perfectiones virginum ſacrarum, ſalutem

Pag. 3. 4. 6. 7. 8. 19. 34. 64. 89. 111.

Digitized by Google

ſalutem animarum rebus quibuscunque antepoſuit, pauperes eleemoſynis fovit ac refecit, infirmos & ægrotos ſublevavit.
Pag. 144. Vitam egit duriorem & parcam, domandis cupiditatibus noxiis invigilavit, voluntariam paupertatem coluit, decoram ſta-
151. tus ſui obſervavit dignitatem. Prudentiam ejus plurimi celebrant, admirati modeſtiam ac virginalem puritatem, quam
163. amplecti ſolebat. Sacroſanctam euchariſtiam veneratus ſummo honore, devotionem in munere ſuo explendo diligentiſſime adhibuit, præſentiam Dei ſibi continuo ob oculos
198. poſuit. Defuncto tribui cœptus ſpiritus propheticus. Exſtant ſcripta ejus aſcetica miſcellanea, præcipue exhortationes
332. ad varios perſcriptæ. Epitaphium ipſi poſitum fuit, ingenio Autoris dignum, quod *p. 216* exſtat. De reliquo gratulandum eſt manibus Epiſcopi defuncti, quod virtutibus ſuis dignum nactus fuerit præconem, qui, panegyricam potius Orationem, quam nudam hiſtoriam, concinnare, operæ pretium duxit.

INSTITUTIONUM MEDICARUM LIBRI DUO, complectentes Phyſiologiam, & Hygieinen, veterum placitis, legibus hydraulicis, principiis mechanicis, recentiorum inventis, nec non ſolidis ac demonſtrativis, inde deductis, ratiociniis, innixi, Autore SERVATIO AUGUSTINO DE VILLERS, *Med. Doct. regente, nec non Inſtitutionum medicarum in Univerſitate Lovanienſi Prof. regio, &c.*

Lovanii, typis Martini van Overbeke, 1736, 4.
Alph. 2 plag. 9.

Dolet queriturque Cl. Autor, inſtitutiones medicas, quæ olim a Profeſſoribus Lovanienſibus editæ, magno cum applauſu exceptæ, & diligentius lectæ fuerunt, nunc tantum non penitus negligi, & velut ſitu ac ſqualore ſepultas jacere, propterea, quod præſtantiſſimi quidam viri ſuis obſervationibus experimentisque multa noviſſime in ſcientia corporis humani eruerunt, quæ pro temporum conditione illæ nondum complectuntur. Ut itaque anteceſſorum ſuorum operibus

ribus decus aliquod velut poſtliminio redderet, illorum placita, quæ adhuc frugi eſſent, cum recentiorum ſententiis conjungenda eſſe, exiſtimavit. Eodemque conſilio Inſtitutiones has conſcribere inſtituit. Hac vero in iis incedit via, ut in quamplurimis capitibus ordinem, definitiones, atque ſententias, *Plempii, Zypæi, Verheyeni*, in medium adducat, & vel comprobet & illuſtret, vel vitii arguat, & reprehendat; contra ea recentiorum obſervationes & raciocinia, ex *Malpighio* præcipue, *Ruyſchio, Lœwenhœckio, Hoffmanno, Keilio, Bœrhaavio*, Commentariis Academiæ Regiæ Pariſienſis, & aliis, repetat, & nunc cum iſtorum placitis idonea ratione copulet, nunc vero recitet tantum, ſed non iisdem aſſentiatur; id quod exemplo animalculorum ſpermaticorum, a *Lœwenhœckio* detectorum, patet. Neque enim Autori propoſitum fuit, veterum doctorum autoritati, tanquam ſcopulo cuidam, adhærefcere, nec opiniones novas propter ſolam ipſarum novitatem admodum demirari & recipere, ſed ſententiam ſuam vel conſtanti & perpetua obſervatione, vel idoneis rationibus, confirmare, vel, ubi neutra habetur, judicium plane ſuſpendere, & ignorantiam docte fateri. Ceterum ad Mechanicorum, ut vocantur, Medicorum claſſem pertinet, in reddendis tamen rationibus nimiam ſubtilitatem, & concatenatam ratiociniorum ſeriem, vitat, & breviter omnia, utplurimum tamen ſine obſcuritate, ediſſerit, quæve in paragraphis proponit, in ſubjectis obſervationibus explicat magis vel illuſtrat, in ſcholis vero ſuis clarius adhuc explanabit. Partis cujuscunque fabricam, ubi opus fuit, attingit quidem, ſed non adeo copioſe, quoniam lectores ſibi fore credidit, rei anatomicæ graviter peritos. Olim, ut notum eſt, univerſa Phyſiologia in ſeptem dividebatur partes, quæ de elementis, temperamentis, humoribus, ſpiritibus, partibus, facultatibus, & actionibus, agebant, *Plempio* etiam & *Zypæo* eandem viam conſectatis; Noſter vero elementa & temperamenta excludenda putat, quæ ad phyſicam magis conſiderationem, quam medicam, pertineant, tot aſſignari poſſe temperamenta, quot exiſtunt homines, arbitratus; quamvis data hac occaſione pauciſſima de temperamentis ſimul

afferat. Humores pariter atque ſpiritus commode ad partes referuntur. Ut adeo tres Phyſiologiæ partes ſuperſint. Atque ſecundum hanc diviſionem omnia ea argumenta, quæ ad Phyſiologiam pertinent, ita perſequitur, nullum omnino ut omiſſum eſſe videatur. In *altero Libro*, quo Hygieine traditur, præceptiones diæteticas enucleat, & de animi præcipue affectibus ſingularibus *Capitibus* copioſe diſputat, quorum effectus, noxas, & remedia, exponit. Singulorum ex utroque *Libro Capitum* ſummam indicare, parum lectoris intererit. Qui enim harum diſciplinarum rationes perſpectas habet exploratasque, facile intelligit, quæ doctrinæ pertractentur. Satius fortaſſis erit, ſpeciminis loco particulam quandam ipſis Autoris verbis hic recitare, ut & tractandi ordo, & demonſtrationum indoles, & denique ſcribendi genus, propius cognoſcatur, atque adeo lector de iis omnibus rectius judicare valeat. Damus igitur doctrinam explicatu difficilem, in qua ingenii judiciique vires exercere Autori licuit, ſcilicet de animatione fœtus. Autor in prægreſſo *Capite* contendit, prima fœtus rudimenta jam ante conceptionem eſſe in ovulo materno, eademque in fœcundo concubitu explicari, & in motum agi, avulſoque a ſede ſua & in uterum delato ovulo, incrementum capere, & indies adaugeri, donec ſtato tempore perfectus embryo excludatur. Quæritur itaque, quo tempore cum tenui hoc embryonis corpuſculo anima rationalis conjungatur. Autor noſter hanc in ſententiam diſſerit *Cap. XLVIII* de nutritione & accretione: *Hujus videtur eſſe loci, determinare tempus, quo accedit anima rationalis: ſpiraculum, inquam, vitæ, ac lumen vultus creatoris ſui: & eſt quidem deciſio hæc majoris momenti, quam bene putatur, ſi nimirum rite conſiderentur conſequentiæ; licet huc usque fragili admodum fundamento nitatur. Ut autem in hoc ſolide procedatur, reflectendum eſt primo ad eſſentiam iſtius unionis; ſecundo ad rationes nonnullas, quæ majores noſtros moverunt ad præfigendum certum, aliquod tempus. Quoad primum nemo neſcit, quod tota iſtius unionis eſſentia conſiſtat in reciproco corporis & animæ commercio, mediantibus organis corporis, ita ut ad iſtam unionem ſufficiat, in hiſce concipere aptitudinem, ſeu motus receptivitatem. Anima, ſi quidem ſpiritualis, ſemper ſibi ſimillima eſt & immutabilis, & ſub hac conditione ab autore naturæ tribuitur, ut ſuo præſideat corpori,*

pori, gubernet illud, & ſapienter in viam ſalutis dirigat: ab eo afficiatur proinde & viciſſim afficiat, atque ita juſtam aliquando villicationis ſuæ rationem creatori ſuo reddere valeat: propter hæc, inquam, primario accedit. Secundario autem duntaxat, ut de neceſſitatibus corporis opportune inſtructa eidem proſpicere valeat. Quæ cum ita ſint, tunc tantum videtur eſſe iſti unioni locus, dum organa corporea ſufficienti textura gaudent, & congruos poſſint ſuſcipere & communicare motus, hoc eſt, capacia ſint, eos ſubire motus, qui requirantur, ut ideæ tales aſſurgant, per quas valeat anima discernere bonum inter & malum, adeoque, ut loquuntur, capacia ſint uſus rationis. Anima concipi debet ut ſapiens judex, qui ſecundum allegata judicat & probata. Allegata & probata ſunt ſenſationes materiales potiſſimum, ſenſus vero, ſeu organa, dici poſſunt teſtes. Ut ita rite judicet anima, probet, vel improbet, conſentiat, aut diſſentiat, debent allegata & probata, adeoque teſtes, eſſe probatæ & cognitæ fidei. Verum aliter ſeſe res habet: cum indubitatum ſit, animam eſſe unitam, priusquam fœtus excludatur matris ergaſtulo. Patet id ex eo evidenter, quod perficiantur functiones animales in fœtibus abortivis omnibus: ſcilicet vivis, vel a quarto & tertio menſe: niſi forte tenacior quidam ſuſtinere vellet mordicus, omnia fieri in ejusmodi materialiter, & mere mechanice, conformiter ad ſententiam de animabus brutorum, a tempore Carteſii apud multos receptam: & re vera, ſi talis obſtinaret, ingenue fateor, me eum phyſice convincere non poſſe: quin imo ne quidem eum phyſice convincam de exiſtentia animæ in adultis, licet quisque apud ſe ipſum facile convinci poſſit, & cõvincatur etiam, de exiſtentia animæ a teneris annis; priſtinarum videlicet affectionum recordatus. Fide itaque magis, quam ratione, tenere debemus, animam eſſe corpori infuſam a ſecundo, vel tertio, menſe impræguationis. Sed quæritur, quandonam præciſe anima uniatur. Ut hoc rite diſcutiatur, reflecti debet, quod unica ratio, propter quam ſtatutum eſt aliquando & receptum a Medicis, Phyſicis, & Theologis, quod anima certo tempore uniatur machinæ, in utero matris utcunque formatæ, ſit hæc: Nimirum quod ab iſto tempore & non ante fuerint obſervatæ functiones animales, ſeu motus locales, aut eorum organa utcunque formata. Ideo enim Hippocrates ſtatuit, trigeſimo die in maribus, & quadrageſimo in fœmellis. Sed quis hoc tanquam indubitatum admittet? Quis epocham ultra non extendet? Maxime cum, ut ſupra dictum eſt, ſit relativum hujus organizationis negotium, non tantum ad ſexum, ſed & temperiem: deinde ſit etiam hoc tempore evictum, embryones detegi mediantibus microſcopiis formatos, quin & motibus inſtructos, quos nudi non aſſequuntur oculi: nonne vero in his admitti debet anima rationalis pari ratione, qua

admittitur in embryonibus, ad ſenſus craſſiores formatis? An igitur relativa eſſet iſta unio ad noſtros materiales ſenſus? An ſenſatus quisque, acutiori oculorum acie donatus, non ſtatuet, animam eſſe unitam embryoni, ſibi licet ſoli conſpicuo? Tam mirabilis eſt hujus temperiei potentia, ut fœtus videas alios ſemimenſe natos, vel etiam aliquot diebus & horis ſuperare alios ad ſeptimanas & menſes majores. Quidni igitur eadem plaſtica vis a primo inſtanti exorta fuiſſe, & ipſi embryoni connata, ſupponi poſſet? Tantoque magis, quod hæc originaliter tota reſideat in felici parentum conſtitutione. Apparet, inquam, ex his omnibus, unionis epocham non modo ultra tempus, quo detegunt nudi ſenſus formatum embryonem, verum & ultra id, quo detegunt ordinaria microſcopia, extendi debere: tantoque magis, quod machinula humana quoad omnes ſuas partes eſſentiales formata reſideat in ovo, adeo, ut haud aliter differat ovum a conceptu, quam ſemen plantæ formatum ſimpliciter, & aſſervatum in uſum, a ſemine intra matricem congruam recepto & germinuriente. Dubitatur, inquam, merito, num iſta unionis epocha non ſit uſque ad primum fœcundationis inſtans coextendenda: maxime cum ab hoc primo inſtanti incipiant omnes corporis partes ſpecialiter vigere, extendi, creſcere. Circulatio proinde ſit ſanguinis generalis vividior & impetuoſior, quam ante; oſcillatio etiam reſpondeat generis nervoſi; ſcilicet illa, ſine qua functiones naturales ſtare non poſſunt. An aliquid plus igitur pro functionibus naturalibus requiritur? Nonne ſufficit, ut hæc ſtatuantur, quod oſcillationum capaces ſint nervi, aut quo ſaltim fundamento, qui præmiſſa rite perpendit, hanc oſcillandi potentiam provinciæ nervorum animæ denegabit? An ideo forte, quia cum Verheyen *non concipit, quid anima ante trigeſimum diem ſuæ unita machinæ præſtare valebit in commodum ejusdem, dum ab alia parte moleſtas ejus percipiet affectiones, famem ſcilicet, ſitim, &c. Sed, ſi ita eſt, dicat mihi, quæſo, quid eidem ſolatii accedat trigeſimo die. Dicat etiam, quid plus in bonum ſui domicilii præſtare valebit trigeſimo die, quam primo momento? Maxime cum demonſtrari non poſſit, omnia organa non eſſe in eodem ordine poſita, adeoque non duntaxat differre penes extenſionem; imo præſumendum ſit contrarium. Ita ut omnibus rite perpenſis tanquam veroſimillimum ſtatui poſſe mihi equidem appareat, primum inſtans vitæ corporis eſſe & primum inſtans vitæ hominis, ſeu quamprimum micat cor, & motu inſtruitur vitali, vi ſeminalis auræ, etiam præſto eſſe animales potentias, atque ita & animæ rationalis & ſpiritualis condecorari præſidio.*

PROPOSITION D'UNE MESURE DE la Terre, &c.

id eſt,

Digitized by Google

id eſt,

PROPOSITIO DE MENSURA TELLURIS, unde parallelorum notabilis diminutio reſultat; Autore Domino D' ANVILLE, Regis Geographo Ordin.

Pariſiis, apud Chaubertum, 1735, 12.

Plag. dimidiatæ 16, cum Tabula geograph.

Nobiliſſimus Autor, in deſcribendis tabulis geographicis, atque adeo in juſto opere geographico concinnando, occupatus, quam jam diu fovit de figura telluris ſententiam, non amplius premendam duxit. Summa eorum, quæ in præſenti libello proponit, hæc eſt: perimetros æquatoris circulorumque parallelorum notabiliter minores eſſe, quam creditum huc usque fuerit, ita ut plus quam 300 milliaria marina de ambitu æquatoris demenda videantur. Rationem hanc reddit, quod locorum longitudine differentium diſtantiæ, per operationes geometricas accuratiſſime definitæ, cum dimenſionibus earundem diſtantiarum, per obſervatas aſtronomice longitudines & latitudines quæſitis, haud aliter concordent. Exempla affert varia ex variis orbis terrarum partibus. Inprimis vero de eorum ſitu locorum agit, quæ fluvio Ligeri in Gallia adjacent, per intervallum quatuor fere graduum longitudinis: de quo tractu accuratiſſimam tabulam exhibuit Dominus *de Regemorte*, ab Autore noſtro præſenti libello adjunctam. *Telluri* figuram ſphæroidis lati tribuit *Hugenius* & *Newtonus*; longi *Caſſinus*. Quæ poſterior ſententia ita confirmatur placitis Domini *d' Anville*, ut ſecundum ea exceſſus, quo axis terræ, per utrumque polum tranſiens, diametrum æquatoris ſuperat, etiam notabiliter major, quam pro ſenſu *Caſſiniano*, conſtituendus ſit. Quod an ita ſe habeat, docebunt fortaſſe novæ obſervationes, auſpiciis Regis Galliarum in locis æquatori, itemque polo, vicinioribus peractæ.

LE-

(*) *Hugenius* parte 578, *Newtonus* parte 230, minorem axem conſtituit, quam diametrum æquatoris; *Caſſinus* parte 95, Dominus *d'Anville* parte trigeſima, majorem.

LEÇONS DE PHISIQUE &c.
id eſt,

LECTIONES PHYSICÆ, COMPLECTENTES Elementa Philoſophiæ naturalis, per ſolas leges mechanicas definita, Autore JOSEPHO PRIVAT DE MOLIERES, Regio Prof. Philoſ. Acad. Scient. & Soc. Angl. Membro.

Tomus II.

Pariſiis, apud viduam Brocas & Joſ. Bullot, 1736, 12 maj. Alph. 1 plag. 15, Tab. æn. 4.

Vortices *Carteſianos* cum non pauci juniorum Phyſicorum aſpernantur, tum vero plerique etiamnum vehementer probant. *Malebranchius* ipſos illos globulos ſolidos ſecundi elementi *Carteſiani* in vortices minutiſſimos mutandos cenſuit. At doctiſſimus Autor præſentis libri, adhuc ultra progrediendum ratus, cum nullus in natura motus, niſi circularis & vorticoſus, perennare poſſit, etiam minutos illos vortices ex aliis multo minoribus, & hos denuo ex minoribus, componi, arbitratur. Qua de re jam mentionem fecimus tum, cum *primam* recenſeremus hujus libri *Partem* (*A. 1736 Menſ. Mart. p. 123*). Tria autem, exemplo *Carteſii*, elementa numerat; quorum tertium cum minutis *Malebranchii* vorticibus fere convenit, huic ſecundum, ſecundo tertium, materiam ſuppeditat, ex vorticulis continuo minoribus conſtantem; neque ipſi minutiſſimi primi elementi vortices alias habent partes, præter vortices etiamnum minores. Et, ſicut in mediis mundi vorticibus majoribus globi ſolidi & graviter enati ſunt, ita etiam in plurimis vorticulis elementaribus globulos ſimiles conflatos, atque inde omnem duritiem & gravitatem deducendam eſſe, *Molierius* noſter exiſtimat. Ex his principiis, certiſſimis (ut arbitratur,) & ſimpliciſſimis, univerſam rerum naturalium varietatem explicare contendit. Et *Lectione* quidem *ſexta*, quæ eſt præſentis Voluminis prima, de materia ſubtili

ſubtili & ætherea, hoc eſt, de ipſis illis commemoratis tribus elementis, diſſerit. *Septima* ad naturam aeris interpretandam accedit. Cujus proprietatibus, quas experientia docet, expoſitis, concludit, aerem ſimpliciſſime conſideratum, nihil eſſe aliud poſſe, quam medium, a vorticibus tertii elementi formatum, qui vortices ſinguli globulum ſolidum continuant. Hinc aerem fluidum, hinc pellucidum, & aliquatenus gravem, & elaſticum, eſſe, ipſamque ejus vim elaſticam, non vero gravitatem, explorari per barometra poſſe; hinc etiam varias particulas heterogeneas non quidem penetrare in ipſos vortices aereos, ſed inter eos diſtribui ac moveri poſſe. *Lectione octava* de aqua & oleo diſquirit; &, aquæ particulas vortices eſſe, docet, ſecundi elementi, qui non modo ſinguli globulum ſolidum complectantur, ſed etiam ex vorticibus primi elementi conſtent, globulos ſolidos continentibus, & circa globulum medium, veluti vorticis planetarum circa ſolem, perpetuo circumactis. Olei autem particulas vortices eſſe primi elementi, ex vorticibus etiamnum minoribus, ſolidosque globulos comprehendentibus, conſtantes. Hinc aquam aere longe graviorem, ſed & penetrantiorem & magis elaſticum, neque ab aere, neque ab aliis ponderibus nobis familiaribus, comprimi poſſe; hinc particulas oleoſas, in aquearum angulosis intervallis hærentes, remoto aere, per antliam pnevmaticam, magnopere amplificatas emergere, ipſius formam aeris præ ſe ferentes; hinc multos alios effectus naturales oriri. *Lectione nona* ignis & ſalium proprietates naturamque perſequitur. Atque ignem quidem elementarem conſtitui ab ipſo elemento primo oſtendit, ſubtiliſſimo, agitatiſſimo, & omnia replente ac pervadente, ſecundo etiam & tertio elemento materiam ſuppeditante; ceterum effectus ignis, in lumine & calore poſitos, ſenſibiles fieri negat, niſi interventu particularum oleoſarum, quæ & ipſæ ſint vortices primi elementi, ſed globulis ſolidis & gravibus inſtructi, quibus agere in partes corporum valeant; itaque corpus incaleſcere & rarefieri, cum moleculæ oleoſæ, in poris ejus hærentes, quacunque de cauſa incitatæ,

nec

nec tamen æquilibrium cum aliis particulis primi elementi ſuperantes, crebris ictibus partes corporis impellant; at idem corpus lucidum fieri, cum frequentes illæ moleculæ oleoſæ, magis excitatæ, æquilibrium memoratum vincant, ampliſicataque, & ex vorticibus primi elementi in vortices ſecundi elementi ſenſim mutatæ, vibrationes ſuas & tremores per ipſum ſecundum elementum, etſi non omnes æque promte (unde radiorum diverſitas,) propagent; jam lumen ſolis ad nos transmitti, ope vibrationum, quas inflammatæ particulæ oleoſæ, atmosphæram ſolarem replentes, (nam ipſum ſolis corpus durum eſſe,) in elemento ſecundo excitent; calorem vero, ope vibrationum, quas eædem particulæ oleoſæ in elemento primo efficiant. Poſtremo, quod ad particulas ſalinas attinet, eas ita definit *Molierius*, ut ſint globuli diverſæ quidem magnitudinis & gravitatis, pro diverſo ſalium genere, ſed multo tamen particulis aqueis minores, & denſiores, gravioresque; quibus adeo non repleri tantum intervalla anguloſa particularum aquearum, ſed etiam hæ ipſæ ita involvi, poſſint, ut ad motum deinceps tardiores fiant, prævalentibus ob eam rem moleculis oleoſis, & ſpecie bullularum aerearum ex poris aquæ, non ſine frigoris augmento, elabentibus, ſalique locum cedentibus. Atque hic multa de ſalium ſolutione affert; illa vero omittit, utrum globuli ſalini ſint vortices primi elementi, an primo magis primi; utrum ſint meri globuli ſolidi, ex vorticibus elementaribus excuſſi, an alio modo orti; & qui fiat, ut diverſa ſalium genera diverſas illas, & tamen conſtantiſſimas, figuras anguloſas & polyedras adſciſcant. At pluſcula etiam alia in placitis Viri doctiſſimi reperiri non dubitamus, quæ legentibus non æque ut ipſi clara & ſimplicia & certa videri queant. Quibus tamen non obſtantibus, hoc aſſeri veriſſime poſſe exiſtimamus, eum in aptandis præcipuis naturæ operibus ad ſyſtema hypotheſesque ſuas tam egregiam operam collocaſſe, ut præſtantiſſimis quibusque & ſolertiſſimis novorum elementorum, & hypotheſium, ſyſtematumque phyſicorum, architectis facile æquiparandus, vel etiam anteferendus, videatur.

Digitized by Google

AD

NOVA ACTA ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tomi VI Sectio XII.

OPERE VOLGARI, E LATINE, DEL CONTE BALDESSAR CASTIGLIONE, &c.

hoc eſt,

OPERA, A COMITE BALTHASARO CASTILIONIO lingua Italica & Latina ſcripta, recens collecta, ordinata, emendata, & illuſtrata, ſtudio JOANNIS ANTONII & CAJETANI VULPIORUM, dicata Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinali CORNELIO BENTIVOLIO, Arragono, Adminiſtro Regiæ Catholicæ Majeſtatis in Curia Romana.

Patavii, typis Joſephi Comini, 1733, 4.
Alph. 2 plag. 12½,

Comes, adhuc fama ſuper æthera notus, eruditi orbis delicium, *Balthaſar Caſtilionius*, vir ſuæ ætatis eloquentiſſimus, ex ſanguine illuſtri natales originemque traxit, magnus in rebus agendis, præclarus in legationibus peragendis, aptiſſimus ad res intricatas expediendas, ad Poeſin Latinam aptus natus, Italicæ Poeſi exornandæ proprius, in republica literaria inſigne obtinuit nomen ex Opere notiſſimo, quod *Cortegiano* inſcripſit, quodque in hac Operum ejus collectione denuo ſcenam aperit. Vitam ejus nitide & eleganter

expoſuit *Bernardinus Marliani*, quæ hic denuo exit in lucem, notis *G. V.* paſſim locupletata & diſtincta. Locum Caſtilionis, in valle fluminis Oronæ ſitum, putant vulgo appellatum ſic eſſe ex *caſtro Stiliconis*. *Attila* illud diruerat. *Anſpertus*, qui A. 886 e vita deceſſit, reædificavit id æque ac Mediolanum. Domus Comitum Caſtilionenſium antiquitate admodum præſtat. *Henricus IV* A. 1074 Archiepiſcopatum Mediolanenſem impertivit *Tealdo Caſtilionio*. *Octavianus*, Epiſcopus Oſtienſis, ad A. 1175 memorabilis, ex eadem familia exortus fuit, primus generis ſui Cardinalis. *Joannes*, Judex & Procurator generalis fiſci per Langobardiam, ex hac ſtirpe procreatus, ad A. 1312 floruit. *Joannes* alius Epiſcopum egit Vicentinum A. 1400. A quo deſcendit *Branda*, dictus Cardinalis Placentinus, A. 1411 id dignitatis nactus, fundator *Collegii*, quod Patavii exiſtit, *Caſtilionenſis* in oppido Patavii, quodque erudiendis adoleſcentibus egenis dicatum. Ad idem eſt ſtemma referendus *Guarnerius*, Jurisconſultus celeberrimus, Præſes Mediolani ad A. 1448; item *Zeno*, Epiſcopus Liſongii ac Baiuſi, prorex, ſeu gubernator, Regis Angliæ per Normanniam, dein Regis Galliæ a conſiliis ad A. 1459; nec non *Joannes*, Epiſcopus Conſtantiæ, paulo poſt Papiæ, nuntius Apoſtolicus per Hungariam & Germaniam, tandem vero pater eccleſiæ Romanæ purpuratus, conſtitutus a *Pio II* legatus Pontificis per Mar-
Pag. 10. cam Anconitanam ad A. 1460; *Branda*, Epiſcopus Comi, commendator Abbatiæ Morimondienſis, Conſiliarius Ducis Mediolanenſis *Galeacii Mariæ Sfortiæ*, Vicecomitis, ad A. 1475. Alios præterea viros illuſtres & venerabiles, ex hoc genere ortos, *Marlianius* paſſim invenit. *Balthaſar* Comes in lucem editus fuit tam excelſo ſtemmate in villa Caſatico juxta Mantuam, haud procul a Marcaria, A. 1478, 6 Dec. patre *Chriſtophoro*, matre *Alvigia* e ſtirpe *Gonzagenſi*, filia *Antonii Gonzagæ*, e proſapia Principum Mantuanorum. Græca addidicit Mediolani
13. ex *Demetrio Chalcondila*. Studioſum ſeſe præbuit poetices, muſices, architecturæ, picturæ, & ſculpturæ. Liberalitas, animi magnitudo, modeſtia, admiranda integritas, prudentia multum ſubacta, ingenii acumen, proceritas corporis firmi, bene formati

Digitized by Google

mati & recte diſpoſiti, ludoque luctæ ſubacti, eum venerabilem ſuis reddiderunt. Ad maturitatem annorum pro- Pag. 15.
greſſus, conciliavit ſibi favorem *Ludovici Gonzagæ*, Marchionis Mantuanorum, qui ipſum ſibi adjunxit legatum in moderando exercitu *Franciſci Sfortiæ*, Mediolanenſium Ducis. Munia operamque deinde præſtitit *Guidoni Ubaldo*, Duci Urbinatum, cujus miſſu legationem ad *Henricum VIII*, Angliæ Regem, ſuſcepit, ac ad *Ludovicum II*, qui tunc Galliis 16.
dominabatur. Suaſu Regis poſterioris, ac exhortationibus cariſſimi ſui amici, *Alphonſi Arioſti*, componere tunc cœpit libros ſuos, *de Cortegiano* appellatos. *Leoni X* Papæ eum in deliciis fuiſſe, conſtat inter omnes. Uxorem duxit *Hippolitham*, filiam *Guidonis Taurelli* Comitis, literis quoque Latinis ac carmine Latiali excellentem, ſi quibusdam credimus. Quo minus ve- 18.
ro eam numero poetriarum inſeramus, prohibemur editorum annotationibus, e quibus, *Balthaſarum* elegiam finxiſſe nomine uxoris ad ſeſe ſcribentis, perſpicitur. Ex ipſa maritus ſuſcepit *Camillum*, tandem A. 1520 defuncta. *Camillus* hic caſtrum avitum tradidit Duci Urbinatum, ejusque loco in Ducatu Urbini recepit Caſtellum *dell' Iſola del Piano*. Comes *Bal-* 19.
thaſar, variis legationibus perfunctus, obiit diem ſuum Toleti A. 1529, 2 Febr. *Jovius* fefellit ſeſe, Madriti ipſum exſpiraſſe ratus. *Carolus V* Imperator, ea tempeſtate in Hiſpania agens, exequias tanto viro ſplendidiſſimas paravit, celebrarique juſſit. Summatum maximus fuit numerus, qui funus elatum ſunt comitati. Corpus in templi majoris ſacrario, quod S. *Ildefonſi* vocant, conditum. Epitaphium ei poſuit *Bembus* Cardinalis. 29.
Matrem vero defuncti adhuc ſuperſtitem literis ſuis ipſe *Cle-* 30.
mens VII Papa ſolatus fuit admodum clementer ad 27 Apr. 1529. Liber ipſe, vulgo inſcriptus *del Cortegiano*, quatuor partibus conſtat. In *primo Volumine Aulicum* fingere inſtituit, quem Itali vocant *il Cortegiano*, præfatus in procœmio de deſtinationis ſuæ difficultate. Aulicum vero poſtulat eſſe commendabilem nobilitate, gratia ſummorum Principum, forma eminente, fama & exiſtimatione integra, animo forti, non audaci, non jactabundo, nnn nimis delicato, ſed potius ſtatura

mediocri, variæ armaturæ exercitio, jocis haud affectatis, scientem peritumque musices & artis pictoriæ, literarumque, exercitatione poetices, oratoriæ, & elegantioris stili. Remotam cupit ab Aulico, quem format, adulatorum consortionem, & affectationis titillationem. *Volumine secundo* tradit modos & tempora, quibus virtus aulica sit repræsentanda, & in lucem proferenda, ut Aulicus effugiat odia & livorem. Inprimis cupit, ut Aulicus sit usquequaque cautus ac prudens, mansuetus, affectationis fugitans, convenientiam & decorum in actionibus quibuscunque observans; ut Principi serviat suo in negotiis utilibus ac honorificis, nec officium sibi impositum negligat; ut in cultu & vestimento honestatem & decus amplectatur; ut unico niti possit amico solido, reliquosque viros honoret pro meritis ipsorum; ut in ludis sit temperans & moderatus; ut variarum linguarum notitia sit instructus, maxime autem Hispanicæ ac Gallicæ; ut in cibo potuque servet modum; ut de se ipse modestissime loquatur sentiatque; ut rationem habeat temporis, personæ, gradus; ne quem offendat; ut in negotio quocunque sinceritatem ac veritatem sectetur. *Volumine tertio* celebrat laudibus aulam Urbinensem. In matrona virique summi conjuge laudat pulchritudinem, benignitatem, affabilitatem, vivax & promtum ingenium, famæ integritatem, honestatem, amorem decentem. *Quarto Volumine* Comes illustrissimus e re credidit publica, monere, ut Aulicus conciliet sibi Principis sui benevolentiam, qua tectus, possit semper vera edisserere citra offensionis periculum. Tandem vero, indutus *Petri Bembi* personam, de variis generibus modisque amoris ratiocinatur atque disserit. *Aulico* subjunctæ sunt Comitis aliorumque ad ipsum datæ epistolæ, e variis editis manuque scriptis libris collectæ. Hasce excipiunt *Carmina & alia Opuscula, aucta, emendata, & illustrata*, quæ instar testium locupletissimorum significant penitus, quanta *Castilionii* fuerit, quamque felix, vena, præcipue in pangendo carmine Latino. Elegiam *Castilionii*, qua finxit *Hippolyten* suam ad se ipsum scribentem, habes hic *pag. 344 seq.* Ipsam induxit desiderio mariti Romæ commorantis propemodum contabescentem, ac

Pag. 279 seq.

335 seq.

picta

picta ipſius inter hæc imagine ſolitudines ſuas ſolantem. Egregios credimus hoſce verſus ac excellentes:

Sola, tuos vultus referens, Raphaelis imago
Picta manu curas allevat usque meas.
Huic ego delicias facio, arrideoque, jocorque,
Alloquor, &, tanquam verba referre queat,
Aſſenſu nutuque mihi ſæpe illa videtur
Dicere velle aliquid, & tua verba loqui.
Agnoſcit balboque patrem puer ore ſalutat.
Hoc ſolor longos decipioque dies.

Suffragiis univerſæ poſteritatis digna eſt Epiſtola *Caſtilionii* ad *Henricum*, Angliæ Regem, de vita & geſtis *Guidubaldi*, Urbini Ducis, data, quam tamen potius panegyricum, ſeu laudationem funebrem, quam vitæ expoſitionem, liceat appellare. Pag. 376 ſeq.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE de Languedoc, &c.

id eſt,

COMMENTARII, HISTORIÆ LANGEDOciarum inſervientes, opera Domini DE BASVILLE, hujus provinciæ Ephori, ſeu Præfecti.

Amſtelodami, proſtat in officina Petri Boyeri, typothetæ & mercatoris librarii, 1734, 8.

Plag. 22.

Cum libris eis pretium ſit ſtatuendum, quibus utilitas veritati ſociata atque juncta commendatur; *Bavillii* Commentarios hoſce non poſſe non lectori arridere, opinamur, quibus quippe ratio ſtatus publici optima, jura ſummi Regis, nationis Gallicæ gloria, ac commercii amplificatio, exponuntur. Veritas ſcripti hujus eſt anima, ſimplicitatis venuſtas eſt vultus, ordo autem & compages juſta eſt exquiſitiſſimum optimi guſtus pabulum. Nominatim Autor in id incubuit, ut ediſſereret artes, quibus Langedociæ homines ſtudent, mores,

indolem ſingularem, temperiem ſanguinis, opes, formam rei publicæ, commercia, divitias, munera, induſtriam, reditus innumeros. Et, cum Langedocia duodecimam fere partem regni Galliarum conficiat, liber hic eſt inſtar magiſtri, quo præeunte de robore ac opulentia Galliæ judicium ferri poteſt. Dominus *Lamoignonius de Barville*, Autor ejus, exſtitit per 13 annos ephorus magnæ hujus regionis, a *Ludovico XIV* ei præ-
Pag. 5. fectus. Galli vocant *Intendant*. Noſtri Proregem ſubaudiunt. Tanta inerat ei acies ingenii judiciique, tanta memoriæ vis, ut nihil eſſet ipſi, quod curæ ejus commiſſum, impervium, ſeu intentatum. Callebat exquiſite res commercii, agriculturæ, redituum, navigationis reique maritimæ artem atque ſcientiam. Miris conſiliis exſtinxit Cebennenſium tumultus motusque religioſos, inflexibilem utique firmitatem animi ac mentis intrepidum robur benignitate erga inferiores & pietate erga Regem obedientiſſima moderatus. Perduxit ipſe Commentarios ſuos usque ad annum 1698, quibus nihil futile, nihil inconcinnum, nihil ad voluptates duntaxat compoſitum, inſeruit. Liber tam exquiſiti argumenti diſtributus eſt in *Capita quin-*
7. *que*. *Primo* expoſuit Autor limites, elevationem poli, ſpatium provinciæ, montium deſcriptionem, camporum, fluminum,
8. piſcationum, ſilvarumque; hiſtoriam regionis politicam inde a Romanorum ætate ad id temporis, quo ipſa cum regno Galliarum coaluit; epitomen rerum ibi a Romanis, Gothis, *Carolo Martello*, *Carolo Magno*, Comitibus Toloſenſibus, *Simone*, Comite Montisfortis, geſtarum; differentiam inter ſuperiorem ac inferiorem Langedociam; nomina, quibus regio fuit gaviſa, diverſa, clima, diviſiones, incolarum numerum, indolemque populorum. *Capite ſecundo* exponitur de ratione regiminis, quam *Sectiones quatuor* illuſtrant. *Prima* complectitur gubernationis eccleſiaſticæ formam; *ſecunda* rem militarem, ejusque ordinem; *tertia* jurisdictionem; *quarta* ordinem provinciæ iſtius intimum. Itaque facile conjicias, tractationem hic ſuppeditari de Archiepiſcopis & Epiſcopis, de ipſorum origine, Abbatibus, Prioribus, Clericis monaſticæque vitæ addictis, de Academiarum biga, Toloſa & Montebellicardo, de collegiis eruditis,

Digitized by Google

eruditis, ac seminariis, ordine Melitensi, ac inprimis de variis modis reducendi Hugonottas ad Romanam Ecclesiam. *Tertio Capite* enarrantur jura Regis ac tributa, a Langedocien-
sibus exigi solita, tum constantia, tum incerta; prædia regalia; feuda a Rege pendentia, Ducatus, Comitatus, Vicecomitatus, Baroniæ; gabellæ & artes faciendi mensurandique salis. *Capite quarto* edisseruntur commercia hujus regionis, merces, inibi factæ, cumprimis ex serico ac lana, nundinasque urbium majores. *Capite quinto* exhibetur tractatio de operibus, quæ vel olim, vel recentiori ætate, ars architectonica produxit, de reliquiis Romanorum monumentorum, de Campo Marii, quem nunc *Camargue* vocant Galli, de domo quadrata, *Dianæ* templo, Nemausi amphitheatro, Gardii Ponte, Ponte S. Spiritus, *Ludovici XIV* opera erecto, de muris Aquæ mortuæ & Carcassonæ, de Tolosensium ponte, de canali regio, quo utrumque mare conjungitur, nec non de operibus, quibus extrema manus nondum fuit imposita. In horum numero censentur canales, quibus Rhodani aquæ Perpigniacum usque derivabuntur, exsiccatio voraginis paludisque, portus Agidæ, pluresque canales, navigationi & commercio destinati. Dominos Langedociæ si requiras, de eis minus copiose, nec adductis in medium Historicorum testimoniis, exposuit Noster. Decerpemus ex eis, quæ attulit, potiora. Volsci, antequam Romani rerum anno U. C. 636 potirentur, terras hasce incoluere, divisi in Tectosagas ac Arecomicos, quorum illi superiorem Langedociam, hi inferiorem, occuparunt. Provincia pars erat Galliæ Togatæ ex ea ætate, reliqua Gallia transalpina a *Cæsare* in Belgicam, Celticam, ac Aquitanicam, distributa fuerat. *Augustus* Galliam transalpinam divisit in provincias quatuor, Belgicam, Lugdunensem, Aquitanicam, & Narbonensem. Ad ultimam retulere Langedociam. A tribus *Constantini M.* filiis A. 356 Gallia in 13 provincias partita fuit. Quinque ultimas provincias complexa tunc fuit Aquitania, nempe Novempopulanam, Viennensem, Alpes maritimas, ac Narbonensem, cujus pars erat Langedocia. Imperante *Honorio*, Galliæ constitutus est numerus provinciarum 17. Langedocia tunc relata fuit

Pag. 10. 11. 13. 14. 23. 24. 25.

Digitized by Google

fuit ad Narbonenſem primam, ejusque urbs primaria exſtitit Narbo. *Honorius* idem *Alarico*, Gothorum Regi, dono dedit,
Pag. 26. ut Italiam liberaret, Gallias Hiſpaniasque, conditionibus eis adjectis, ut eas continuo recuperare Romanis liceret. Ipſe, celebratis cum *Claudia Honorii* nuptiis Narbone, ad oſtia Rhodani ſedem delegit *palatium Gothorum* in Septimania. Lo-
27. cum in præſens appellant *S. Gilles*. Sueceſſores ejus ad annos 300 Galliæ Narbonenſi imperitarunt. *Roderico* A. 714 victo & interemto, Saraceni Langedociæ pæne omni jugum ſervitutis imponere cœpere. *Carolus Martellus*, prælio cum eis A. 725 feliciter commiſſo, oppida Nemauſum, Mageloniam, &
28. Bezieram, aſſeruit regno Galliarum. *Pipinus*, filius ejusdem, A. 759 obſedit cepitque urbem Narbonem, Toloſam, Albigen-
29. ſes ſubegit, omnemque recepit Langedociam. *Ludovicus Pius* Ducem Septimaniæ præfecit, ſeu Marchionem Gothiæ, Narbone ſedentem. Comites Toloſæ præterea præerant, terrisque circumjectis per Langedociam ſuperiorem nomine Regis jura curabant dicenda inde ab A. 829 usque ad A. 936. Primus exſtitit *Bernhardus* primus, filius Vicecomitis Narbonenſis, & ultimus *Ermengardus*, aut *Raimundus*, ex eo na-
30. tus. Eo defuncto, *Pons Raimundus* Comitatum Toloſæ cum Principatu Gothiæ, ſeu Septimaniæ, conjunxit. *Simon*, Comes Montisfortis, ſucceſſor ejus, infeudationem de Comitatu Toloſæ nactus, petiit, ut ſibi adderetur confirmatio Du-
31. catus Narbonenſis beneficiaria, ſeu feudalis. Comites Toloſenſes plurimam Langedociæ partem tenuerunt usque ad *Joannam*, *Alphonſi*, Comitis Pictavienſium, uxorem, *Raimundi VII*, ultimi Tolotenſium Comitis, filiam, donec Langedocia A. 1271
32. regno ipſi rurſus jungeretur. Bellis contra Albigenſes ſuſceptis, quammaxime de ſalute Comitum Toloſæ fuit actum. *Raimundus VI* A. 1208 eorum partibus favit, licet ſimularet ſeſe poſthæc eis eſſe inimicum. Signati autem cruce, fuco animadverſo, A. 1214 delegerunt Ducem *Simonem*, Comitem
33. Montis fortis ac Leyceſtriæ, cui Papa *Innocentius III* confirmationem A. 1215 impertivit, ac inveſtituram Rex *Philippus*
34. *Auguſtus* A. 1216 Meloduni conceſſit. Oppida pleraque ejus regio-

regionis in ditionem redegit, exſtinctus in obſidione Toloſæ A. 1218. *Almericus*, ex eo progenitus, leniorem nactus indolem, ratusque, ſeſe adverſus *Raimundum VII*, cujus pater *Raimundus VI* obierat A. 1222, terras a patre expugnatas tueri haud poſſe, eas ceſſit ad unum omnes *Ludovico VIII* A. 1223, invito ac repugnante *Raimundo VII*, qui jus ſuum in *Joannam*, filiam unicam, uxorem *Alphonſi*, Comitis Pictavienſium, qui *Ludovici Sancti* Regis erat frater, transtulit. At ex hoc conjugio nulla exſtitit proles, & uterque conjugum A. 1270 obiit. Tum *Philippus Audax*, Galliarum Rex, hæreditatem opimam adiit, ſuoque regno junxit. Langedocia variis appellationibus venire conſuevit, dicta nunc *Gothia*, nunc *terra Gothorum*, nunc *Septimania*, nunc *provincia S. Ægidii*, nunc *Occitania*. Vocem *Languedoc* Autor non ex *land* & *Gothen*, id eſt, terra Gothorum, ſed ex *langue d'Oc*, derivat, ſiquidem in conſtitutionibus A. 1316 memoratur lingua Gallica (*la Langue Francoiſe*), & lingua Oc, ſeu Occitaniæ (*la langue d' Oc*). Reditus Archiepiſcopales, Epiſcopales, Abbatum, ac Monaſteriorum, quotannis per Langedociam redeunt maximi, nempe librarum Gallicarum 1416487. Academiæ, Toloſana & Montisbellicardi, antiquitate & gloria præſtant. Utramque fuſius Autor deſcribit, dignaque exequitur commemoratione. Medicinam in altera harum Academiarum olim fecerant Saracenorum Doctores. Ordo Jurisconſultorum, qui ibi viget, antiquior eſt ceteris per omne regnum. *Placentinus*, *Irnerii* diſcipulus, docuit ibi jura, in Gallias ex Italia accedens. Viſitur ibidem epitaphium ejus. Ordo ille ab eo huc usque vocatur *Placentinianus*. Gloria eminent ex ævo vetuſto *Clemens IV*, *Urbanus V*, Placentinus, A. 1180, † 1192, *Azo*, præceptor *Accurſii*, A. 1210, Placentinus alter, *Joannes Salertus*, A. 1328, *Petrus Jacobus* A. 1311, *Jacobus Rebuffus* A. 1361, *Petrus Rebuffus*, *Encharranus*, *Guilielmus Speculator*, *Nicolaus Bacrinolus*, poſtea Pontifex Romanus, *Philippus* præſes, *Guilielmus* & *Stephanus Ranchinus*, *Pacius*, aliique. Scholæ publicæ per Langedociam exſtant 15, quarum decem reguntur a Jeſuitis. Harum minimæ ut ceſſent, optat Autor, in quibus quippe nec diligentiæ, nec æmulationi, nec ordini,

Pag. 35.
36.
37.
61 ſeq.
65 ſeq.
69.
71.

Digitized by Google

Pag. 73. nec disciplinæ, solet esse locus. Per Langedociam coacti fuerunt homines bene multi A. 1685 ad Pontificiam religionem amplectendam, generosiores nempe 440, alii vero 198478.
78. Exierunt religionis avitæ ergo homines 4000, quorum 600 re-
79. diere. Nec tamen audet Autor inficiari, eos, qui cœpere Pontificiam profiteri religionem, re vera inhærere religioni Reformatæ. Ne quis vero Sebennensium credat amplius, sese incolere juga montium, ad quæ perdifficilis pateat aditus, plures quam centum viæ, 112 pedes latæ, jussu regio fuerunt factæ, quibus tormenta bellica reliquique apparatus commode
80. satis advehi possunt. Emissos a Rege homines, qui Reformatos deducerent ad religionem dominantem, violenter adegisse
83. suspectos ad Sacramentorum usum, animos haud conviciisse, ingenue præ se fert Autor, ratus, emendationem solidam a pastoribus ordinariis solide doctis & placide disertis magis esse exspectandam, quam a terrorum ministris. Juvat legisse ea, quæ de statu militari ac civili idem plane edisserit & perpulchre. *Gabellæ* usus in Gallias invectus est a Rege *Philippo Valesio*, & in Langedociam A. 1369 a *Carolo VI.* Reditibus regalibus ea annumeratur, qui ex sale proveniunt, quem privati
210. coquunt. Modus faciendi salem est singularis, qui in Langedocia viget. A sole enim aqua in lacus derivata excoquitur
212. & aresçit, vaporibusque liberatur supervacuis. Eadem diligentia Autor pertractat reliquos, qui solvuntur Regi, proventus reditusque. Si domini quarumcunque regionum scripta curarent conficienda de terris sibi subjectis, earumque proventibus, reditibus, exportandis & importandis rebus, divina quædam inde exspectanda esset Politices peritia, quippe quam ii, qui privatis commodis consulunt potius, quam publicis, inter arcana loculorum suorum nonnunquam abdere, & solicitis simulationibus solent occultare.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ DIDACtico-Elenctica, in usum Auditorii domestici conscriptæ, ac publici juris factæ, a JOANNE VAN DEN HONERT, T. H.

Digitized by Google

T. H. filio. Accedunt ejus duæ Orationes, altera de Regeneratione, altera de Hiſtoria eccleſiaſtica, Theologis maxime neceſſaria.

Lugduni Batav. apud Samuelem Luchtmans, 1735, 4. Alph. 1 plag. 16.

Evolarunt e ſacrario penatum Cel. *Honerti*, de quibus exponere aggredimur, Inſtitutiones, bonisque avibus in complurium pervenerunt manus. Orationes duæ, corollarii loco ſubjunctæ, jam antea publicam adſpexere lucem. Altera in Academia Trajectina ab Autore, novam Hiſtoriæ eccleſiaſticæ docendæ provinciam ſolenni ritu ſuſcipiente, publice fuit recitata. Inſtitutiones hæ ita fuerunt natæ, ſicut in Præfatione ſignificatur. Autor in alma Trajectina in publicis prælectionibus, eisque theologicis, tractavit *Joannis Melchioris* Theologiæ Syſtema, analytico ordine antea a ſeſe diſpoſitum. Octo circiter annis poſt ex Ultrajectina in Lugdunenſem Hollandorum Academiam translatus, patrique ſuo, qui indidem Syſtema id *Melchioris* exponere & illuſtrare ſolet, collega datus, inſtitutiones molitus eſt proprias, ne contra morem, ibi receptum, duo Theologiæ Profeſſores unum idemque Theologiæ ſyſtema enarrarent. Servavit nihilo ſecius ordinem, definitiones, ac argumenta, quibus *Melchior* fuit uſus, non quia alia, ſed quia meliora, non potuit excogitare. Eſt, ubi ipſe ab antiſtite ſuo & duce *Melchiore*, modeſtiſſime tamen, diſcedit. *Melchior* ſingula fidei ſuæ capita didactice abſolvit, nec ea interpellavit recenſione eorum, quibus adverſarii laborant, errorum, ipſarumque, quæ eis adhærent, objectionum. Ad calcem vero ſingulorum Capitum de erroribus multum, de objectionibus vero parum, vel nihil aliquando, diſſeruit. Autor e contrario opiniones objectionesque Adverſariorum ad ſuum in ſingulis Capitibus locum retulit, eo quod id juvandæ memoriæ, & judicio acuendo, haud parum videtur inſerviturum. De Theologia naturali & revelata, atque ſacris literis, in limine ſtatim exponit. Venerandi ſui Patris librum de *Veris Dei viis*, ſuasque Diſſertationes, ipſe paſſim laudat. Ideam

Dei mentibus noſtris eſſe innatam, ex *Rom. I, 19*, docere contendit, vindiciis pro ea tuenda in Socinianos expromtis. Sa-
Pag. 1. pientiſſimis Philoſophis *Ciceronem* annumerat. Pelagianizantium ſeriei inſerit ipſum *Ulricum Zuinglium*, eo quod hic in
3. epiſtola ad *Franciſcum Regem*, *Confeſſioni fidei* præfixa, cœ-
5. litibus adſcripſit *Herculem*, *Theſeum*, *Socratem*, *Ariſtidem*, *Numam*, aliosque. Eas, quæ a diſſentientibus in medium allatæ fuere, ſententias concinne & analytice enarrat, ita tamen, ut earum refutationem haud attingat. Complectitur univerſa tractatio *Libros duos*. *Prior* continet *ſex Capita*, quorum
29. *primo* exponitur de fœdere naturæ & operum; *ſecundo* de Dei decreto; *tertio* de creatione & providentia Dei; *quarto* de creatione hominis, ejusque primo ſtatu; *quinto* de Angelis; *ſexto* de corruptione generis humani. *Liber ſecundus* conſtat *Capitibus octo*, de negotio gratiæ inſcriptus. *Caput pri-*
85. *mum* repræſentat autorem gratiæ, Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. *Secundo* exhibetur doctrina de æterno
116. propoſito exercendæ gratiæ & iræ. *Prædeſtinatio* ex ipſius mente complectitur etiam reprobationem ob loca *Act. IV, 28*, *Rom. IX, 17, 22, 23*, *1 Theſſ. V, 9*, *1 Pet. II, 8*, *Jud. v. 4*. Ordi-
136. nem decreti, cui inſiſtit prædeſtinatio, generatim accepta, Autor hunc conſtituit: *Scopus Dei fuit, totum genus humanum, ad demonſtrandam gloriam ſuam, dividere in vaſa iræ & va-*
139. *ſa miſericordiæ. Neceſſaria, huic ſcopo inſervitura, indeque ſua ſponte fluentia, media eſſe* 1) *creationem hominis*, 2) *permiſſionem ſanctam & gubernationem juſtam hujus lapſus, quia homo ſine lapſu neque peccator fuiſſet, neque miſer, atque propterea nec iræ, nec miſericordiæ, vas fuiſſet unquam*. Inprimis laudat *Diſſertationem* ſuam *de gratia Dei, non univerſali, ſed particulari*, qua Lutherano-Evangelicorum argumenta, pro univerſali gratia ſtabilienda paſſim allata, ſeſe exami-
148. naſſe & refutaſſe perhibet. *Capite tertio* agitur de ſponſione filii & pacto ſalutis humanæ. *Capite quarto* exponitur de
153 ſeq. pactione fœderis gratiæ per Vocationem & Fidem. Vocationem externam & internam docet eſſe limitibus adſtrictam &
162 ſeq. particularem, *Caput quintum* inſcribitur de juſtificatione pecca-

Digitized by Google

peccatoris. Τὸ δικαίωμα, a *Paulo* commemoratum *Rom. VIII, 3, 4*, exponit per *juſtum legis poſtulatum. Capite ſexto* 176 ſeq. ediſſeritur ſanctificatio peccatoris. Sanctificationem eſſe juſtificationis indivulſum fructum, ſolide docet. *Capite ſeptimo* 185 ſeq. exponitur de communione eccleſiæ, & uſu ſigillorum fœderis. Lutheranis *pag. 205* doctrinam *conſubſtantiationis* tribuit, 196 ſeq. ratus, corpus Chriſti per rerum naturam omnipræſens eſſe haud poſſe, & Sacramentorum naturam pingere Chriſtum non præſentem, ſed abſentem. *Capite octavo* evolvitur glorificatio hominis impii poſt mortem. *Melchizedecum* ad felicitatem ſummam eſſe translatum, ejusque animam ſimul cum corpore in cœlo eſſe, 209 ſeq. ei plus quam veroſimile videtur. Reliqua ſunt ſic comparata, ut receptum ſpirent inſtitutum, tramitique inhæreant eccleſiæ ejus, cui Cel. Autor ſeſe addixit. 213.

Julii Bernhard von Rohr, Merſeburgiſchen Domherrns und Land-Cammerraths, Phyto-Theologia, oder Vernunft- und Schriftmäßiger Verſuch, ꝛc.

hoc eſt,

JULII BERNHARDI DE ROHR, CANONICI Merſeburgenſis, & à Conſiliis ærarii provincialis, Phyto-Theologia, ſive Scripturæ S. & rationi conſentaneum Tentamen, quo oſtenditur, qua ratione ex regno plantarum omnipotentia, ſapientia, bonitas, & juſtitia Creatoris magni, & conſervatoris omnium rerum, ab hominibus agnoſci, & ejus nomen ſanctiſſimum ideo celebrari poſſit. Altera emendatior editio.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Michaelis Blochbergii, 1745, 8. Alph. 1 plag. 13.

Gratias Deo eſſe pro unoquoque bono agendas habendasque, docet *Paulus Eph. V, 20.* At quotusquisque ad hoc rite peragendum ſeſe debite componit, occaſionibusque oblatis huic facit officio ſatis? Prædicabiles itaque eos arbitramur viros, qui res a Deo creatas ita contemplantur, & aliis contemplandas præbent, ut incitentur inde lectores, atque per hoſce alii ad gtatias Deo perſolvendas. Quorum in numero eſſe con-

conſultiſſimum ampliſſimumque Autorem, cujus nomen ſcientiarum cultoribus longe eſt amœniſſimum, tanto cum gaudio intelligimus, quantum id eſt pretium, quod *Wilhelmi Derhami*, *Joannis Alberti Fabricii*, *τῦ μακαρίτᾳ*, *Frid. Chriſtiani Leſſeri*, operibus conſimilis ſcopi ponere ſolemus. Applaudimus diligentiæ Autoris, jam inter divos verſantis, eam quoque ob cauſam ſuſpiciendæ, quod in Præfatione ſpem nobis injiciat proxime edendi *Minero-Theologiam*. Ea, quæ in præſens ipſe depromſit aliunde, ingenue indicavit, confeſſus quammaxime, libros phyſicos Ill. *Chriſtiani Wolfii* a ſeſe ad amplificandam Dei gloriam opportune fuiſſe adhibitos, & addens, nonnullos, opinione erronea impulſos, periculoſas in eis ſententias venari, vel potius intemperie conſequentiarum inde extorquere voluiſſe. Tractatio *Phytotheologiæ Volumina* complectitur *tria*. *Primo* recenſetur providentia Dei, quam plantæ, earumque ſtamina & partes, illuſtrant. Diſſeritur inibi de figura plantarum ac ſtructura, partitionibus, radicibus, caulibus, ſtirpibus, gemmis, foliis, floribus, fructibus, ſeminibus, lignis, menſura arborum, torfa, lignorum putrium uſu, ac de ipſo cinere. *Volumen ſecundum* repræſentat providentiam Dei, in conſervandis plantis vigilantiſſimam. Expoſuit in eo Autor earum multiplicationem, culturam, transpoſitionem, vel facilem, vel infructuoſam, harmoniam cum momentis regionum aliis, penuriam aliunde compenſatam, prodigioſas virtutes, delicias, quibus oculos recreant, odorem, ſaporem, viresque reliquas. Quibus ſingulis ſubjunxit nonnihil de ſcientia botanica herbarumque denominatione. *Volumen tertium* exhibet uſus illos, qui ex regno plantarum ad homines & beſtias redundant, tum per remedia morbis opponi ſolita, tum in re familiari conformanda, tum in amplificanda Phyſicorum ſcientia, alendisque artificibus, tum in victu pauperibus inde ſubminiſtrando. Inprimis dilaudat Dei mirificam providentiam, qua venenatas plantas noluit vel ſignis, vel uſu omni, vacare. Demittit ſeſe deinceps ad percenſenda ea, quæ interventu herbarum admittuntur, peccata. Tum diſſerit de juſtitia Dei vindice, quam occaſione germinum herbarumque in improbos exercet. Tandem de providentia Dei, annonæ

cari-

Digitized by Google

caritatem famemque variis modis ſublevantis, docte commentatur. *Principium indiſcernibilium* idem comprobat, defendit, & ad gloriam Dei amplificandam apte transfert. Ecquis, obſecramus, inficiari auſit, id, quod cognoſci poteſt, citra differentiam cognoſci haud poſſe? Qui, abyſſum infiniti intellectus divini quin admirentur, ſibi temperare nequeunt, eorum eſt, ſingula, quæ exiſtunt, ad diſcernendum habilia eſſe, arbitrari. Diverſum plantarum ſexum haud admittit Autor veluti certum & usquequaque evidentem. Radices etiam plantæ cujusvis marinæ dari, credit, easque initiis, vel ſtaminibus, earum inſervire, docet. Ut ſummatim dicamus, quod res ipſa poſtulat, diligentia hic utramque facit paginam; librorum præſtantiſſimorum delectus fuit habitus; & obſervationes optimæ, ex eis allatæ, teſtatum reddunt Autoris in legendo ſtudium plane adamantinum; de uſu plantarum ea ediſſerit, quæ œconomis paſſim ſunt ſalubria; ubique vero rationes ſuas ita ſubducit, ut lectorem dimittat Dei frugalitatisque amicum atque cultorem. Ericam bubus cedere poſſe in pabulum, e re eſt eorum, quī rei familiari ſtudent. Eundem uſum præſtant viviradices. Scabioſæ fumus fugat erucas. Et quis ſingula, quæ emolumentis uſibusque ſunt fœcunda, ex hac tractatione in compendium redigere valebit?

Pag. 38 ſeq.

47.

58.

461.

463.

Kurtze, doch gründliche, Abhandlung von der Menſchengefälligkeit, ꝛc.

id eſt,

BREVIS, SED SOLIDA, TRACTATIO DE facultate & ſtudio ſeſe aliis approbandi, in qua uſus ejus dexter ex ſana ratione, præcipue autem ex ſacris literis, plene oſtenditur ac illuſtratur, abuſus contra æque oſtenditur & rejicitur, Autore M. FRID. PETRO TACKIO, Eccleſiaſte oppidi montani Hercinici Grund.

Wolferbuttelæ, impenſis Jo. Chriſtoph. Meiſneri, 1740, 8.

Plag. 14.

Ut

Ut Deo placeas, cummaxime enitendum. Licet tamen & ſeſe actionesque ſuas hominibus reddere probatas, non quidem artibus modisque legi divinæ repugnantibus, aſſentatione, conſiliis improbis, auxilio, deſtinationibus malis impertito, aliisque modis, amori in Deum & in alium quemvis & ſaluti ſuimet oppoſitis. Vix vero valemus cunctis placere. Conandum itaque, ne optimis, ſeu melioribus, minus probemur. Ut autem placeamus multis, non optimis ſolis, adhibendæ ſunt virtutes eximiæ & intellectus & voluntatis, potiſſimum vero ſtudendum eis, quibus vita communis adjuvatur & excolitur, nempe ſinceritati, urbanitati, veritati, taciturnitati, juſtitiæ, & grati animi cuſtodiæ. Immoderate nimiumque enixe, ut aliis placeas, laborandum non eſt. Accedant porro ad virtutes illas mores boni. Cura enim eo transferenda, ut cunctis utiles, nemini ſimus moleſti, ſeu damnoſi. Ni hominibus hac
Pag. 157 ſeq. ratione, Deo certe, placebimus. Nec obſtant dicta *Jac. IV, 4*, & *Eph. VI, 5-8*. Cum *Hiramus* urbes, a *Salomone* ſibi deſtinatas dono, vocavit *Cabul*, idem indicare voluit ex Autoris ſententia, ac lutum & paludem. Quæ opinio nobis haud videtur
162. veroſimilis, ratis potius, urbes illas a potiori urbe *Gabala*, in confiniis Aſeritidis ac Naphthalitidis, *Gabla*, apud *Joſephum de Bell. Jud. III, 1*, & *Cabul* dicta in *Echa Rabbati 75, 4*. Demon-
175. ſtrat tandem, omnino eccleſiaſtarum non eſſe, repugnante licet officii ratione eo eniti, ut aliis ipſi placeant ob *Tim. V, 21, Rom.*
179. *XVI, 18, 2 Pet. II, 3, 18, 2 Chron. XXVI, 18, Ez. XIII, 18*. In doctrina de adiaphoris accedit ſententiæ *Joachimi Langii*, ac, dari adiaphoras actiones, dubitat. Ponamus vero, tibi iter eſſe faciendum, idque inſtitui poſſe per viam & unam & alteram, ſcopo æque accommodatam. Nonne tum electio hujus viæ præ illa eſt electio adiaphora? Licet enim in ſeſe omnis actio libera ex lege quadam ſit determinata; ſæpius tamen illam determinatio-
182. nem ignoramus. Tandem Autor oſtendit, magiſtratus haud eſſe, actiones ſuas multitudini approbare per officii juſtitiæque neglectum. Cum vero ſingula ſcripſerit Autor clara & populari ratione, ac tractationi ipſi lumen inſit, quod Autori cum aliis eſt commune; credidimus, Lectoribus nos facturos haud ingratum, ſi ſuccincta defungeremur expoſitione.

IL.

Digitized by Google

IL PECCATORE COMBATTUTO DELLA DIVINA voce Ragionamenti familiari, &c.

hoc eſt,

PECCATOR DIVINA VOCE DEVICTUS,

Colloquia familiaria, compoſita a PETRO CAMILLI de Vico Regio, conſecrata ſublimi ac invocandæ Majeſtati Trinitatis Sanctiſſimæ Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Tomi III.

Luccæ, typis Sebaſtiani Dominici Cappuri, 1727 & 1728, 12. Alph. 2 plag. 4½.

Ut animus ad Deum, & officia ei præſtanda, excitetur, Dominumque ſuum perpetuo ſpectet ac intueatur, præſidiis ac adjumentis eſt opus. Ut enim corpori alimenta, ſic etiam animæ pabula, ſunt ſuppeditanda. Eum in finem, ut illa ipſa animi nutritio promoveatur, hic quoque concinnatus fuit libellus. *Tomus I Capitibus* conſtat *quinque*. *Primo* diſſeritur de Deo, hominem ad ſeſe arceſſente, vocante, invitante, ac pœna in hominem, voci divinæ reluctantem, ſtatuenda, nec non de præmio ac favore, in morigeros expromendo. *Capite ſecundo* exponitur de *pœnitentia*, ejusque fructibus, & uſu, inprimis de pœnitentia ſera, plerumque infructuoſa. *Caput tertium* delineandis evitandisque peccandi occaſionibus eſt proprium. *Capite quarto* diſſeritur de conſortiis pravorum hominum fugiendis. *Caput quartum* continet conſuetudinem ac commercium cum ſodalibus probis, virtutum amicis. Non eſt, quod demonſtrationes ſcholaſticas, ſyllogismos, voces myſticas barbarasve, eruditionisque pompam, hic ſcrutere, vel exſpectes. Rationes inventu faciles, emendationemque animi ſpectantes, exempla e ſacris literis petita, ac pronuntiata, ex eodem fonte hauſta, utramque hic faciunt paginam. E vitis fabulisque Sanctorum nihil, quantum vidimus, eſt adſcitum. Paucula ſapiunt eccleſiæ Romanæ proprias doctrinas. *Tomus ſecundus* quatuor noviſſima repræſentat, mortem, judicium extremum, infernum, & paradiſum, totidem invitamenta fugiendi prava, legique divinæ vivendi congruenter. *Tomus tertius* exhibet tres potiſſimos Chriſtianorum inimicos, mundum ad

Digitized by Google

mala provocantem, labem insitam, continuisque fœcundam malorum irritamentis, & cacodæmonem, persuadetque reluctationem eis opponendam, constantiam fidei prædicat, ac victoriam, de hostibus hisce reportatam, summi pendendam ostendit. Omnis pertractatio eum in modum est conformata, quo pastor animæ probus cum ovibus sibi demandatis solet serio placideque colloqui, eisque exhortationes ac dehortamenta impertiri.

CONSIDERAZIONI DEL MARCHESE GIOVAN-GIOSEFFO ORSI, Bologneſe, ſopra la Maniera di ben penſare ne' componimenti, &c.

hoc eſt,

ANIMADVERSIONES MARCHIONIS JOANNIS JOSEPHI ORSI, Bononienſis, in Artem bene cogitandi in ſcriptorum compoſitione, olim publicatam a P. DOMINICO BOUHOURS, e Soc. Jeſu. Acceſſere ſcripta omnia, quæ occaſione literariæ hujus controverſiæ ſive pro Orſio, ſive contra eum, ſunt edita; cum vita Orſii, & Carminibus ejus, ſub finem adjectis.

Tomi II.

Mutinæ, apud Bartholomæum Solianum, 1735, 4 maj. Alph. 4 plag. 8.

In limine magnæ hujus Collectionis legitur Italica Operis *Bouhourſiani* interpretatio, a *Jo. Andrea Barotti*, Ferrarienſi, adornata. Huic igitur *Bouhourſii* libro oppoſitæ ſunt *Orſianæ* Animadverſiones jam A. 1691. Primum publicatæ. In præſenti editione literarum ſubjunctarum apparet inſignis collectio. *Ars cogitandi*, logicus liber, ex Portu regio, ſeu Janſeniſtarum ſchola, olim prolatus, hic exulat. De tribus mentis operationibus hic nec vola exſtat, nec veſtigium. Differitur potius de ingenioſis ſententiis, ſeu cogitatis ornate inſtituendis. Exempla pulchræ ingenioſæque compoſitionis ex Hiſtoricis, Oratoribus, Jureconſultis, Poematibus, Orationibus panegyricis ac funebribus, varia adducuntur, ſolideque dijudicantur. Ne quid faſtidii inſit pertractationi, formam ea præfert Dialogorum, quæ objectionibus proferendis ac diluendis eſt aptiſſima. Scopus operis in eo haud vertitur

Digitized by Google

titur, ut methodus ſcholæ, vel artis oratoriæ præcepta, hic ſerventur, aut tradantur. Viciſſitudinem & hiſtoriam hic habes ingenioſe cogitatorum, quæ exhibentur plerumque ratione originis, progreſſus, mutationis, ac decrementi. Loca, quæ illuſtrantur, ſunt e Latinis, Gallicis, Italicis, Hiſpanicisque, ſcriptoribus decerpta. Judicia, paſſim intexta, pro eis haud venditantur, quibus error nullus, nulla labes, poſſit ineſſe. Ingenium elegans, quod Galli vocant *bel eſprit*, non prorſus deeſſe Germanis ac Polonis, aliisque gentibus borealibus, Eriſticus largitur, ſed, id longe copioſius elucere in Gallis Italisque, contendit. Ne Italos quidem & Hiſpanos ea gloria admodum condecorari poſſe, exiſtimant Galli. Dialogis ſeptem exhibetur hic, quicquid de cogitatis vigorem floremque ingenii amabilis pulchrique complectitur, ac ediſſeri poteſt. Jucunditas, nitor, & vita ingenii, uni Autori magis propria ſunt, quam alteri. Inſunt ſcriptis Italorum, quæ defendi poſſunt, licet ea a Gallis reprehendantur & notentur. Magno paſſim labore id hic agitur, ut reprehenſiones illæ diluantur, eisque obex ponatur, quibus liber: *La maniere de bien penſer*, ſcatet. Ut hoc luculentius intelligatur, adjiciuntur epiſtolæ quatuor Marchionis *Joſephi Orſi* ad doctiſſimam & clariſſimam Dominam Gallicam, *Annam* viduam *Dacierii*, ſuper Commentationibus ſuis in famoſum librum Gallicum, quem jamjam memoravimus. Adjunguntur literæ diverſorum Autorum, ad Marchionem, de quo diximus, ſcriptæ de eadem cauſa, quibus objectiones, in ephemeridibus Trevoltienſibus evulgatæ, anſam dederunt. Lis mota fuit reliquis nationibus de ingenii principatu a Rev. P. *Bouhourſio*, qui, ut eum Gallis ſuis vindicaret, nulli fere ſcriptori egregio extero pepercit. *Ciceroni* fuit gravis. *Famianum Stradam* notavit. *Hermogenem* reprehendit. *Senecam* carpſit. *Emanuelem Theſaurum* roſit. *Fulvium Teſti* minoris fecit, quam par erat. Italis plerisque non pepercit. Hiſce, inclementiori cenſura affectis, per opus hoc univerſum Autor Italus impertivit laudes, nævos eorum notavit ipſe ſubinde, ſæpiusque excuſavit, veteres Latinos aliosque e Gallia ipſa ſcriptores defendit, juſtumque ingeniis ponere pretium laboravit. Niſi opus jam olim in lucem exiiſſet, judiciis-

que eruditorum dudum patuiſſet, plura merito adderemus, quibus in præſens ſuperſedemus exponendis. Nolumus certe gentibus, de ingenii palma concertantibus, eſſe moleſti, ſed potius ſuas quibuscunque animi dotes reſervatas inviolatasque gratulamur, verentes, ne diſceptationibus id, quod pulchritudo & elegantia ingenii dici ſolet, deteratur magis, quam amplificetur. Dandum quoque eſt aliquid amori, quo gentium ſingulæ in laudes ſuas exardeſcunt, licet is ſæpius cum aliarum contemtu ſit conjunctiſſimus, modumque excedat. Trahit Sinas quoque laudum ſuarum ea voluptas, ut, ſeſe oculatos, reliquas vero gentes vix luſcas, eſſe, exiſtiment. Natura enim mortalium hoc quoque nomine prava & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuis ſuæque nationis dotibus notandis quisque hebetior eſt, quam in reprehendendis alienis.

ESSAIS SUR LA NECESSITE' ET SUR les moyens de plaire, &c, hoc eſt, *TENTAMEN DE NECESSITATE MODISque placendi, Autore MONCRIFIO, adſcripto Academiæ Francicæ.*

Amſtelodami, apud Franciſcum Changuion, 1738, 8. Plag. 15.

Scopus hominum communis in eo verſatur, ut reliquis ſui generis placeant ac probentur. Ipſorum maximam partem in contraria currere prorſus omnia, haud videtur inficiandum. Lucta exinde oritur non mediocris in animo eodem. Amor ſui præpoſterus in cauſa eſt, ut diſpliceamus. Neceſſum itaque cuique, ut ad ſe ipſum attendat, & ſecum habitet. Homines enim, quo magis ingenio excellunt, eo magis poſtulant, ut alii ipſis placeant, ipſi vero, illuſionibus decepti, a via regia & virtute plerumque deſciſcunt. Ut haſce illuſiones detegat adimatque Cl. Autor, libello huic conſcribendo animum applicavit. *Parte priori* format theoriam & doctrinas inprimis; *poſteriori* oſtendit, quomodo animus ſit regendus, ut doctrinam, animo immiſſam infixamque, cultu vitæ ipſius, ac converſationi cum aliis vacantes, exprimamus. Ars placendi eſt iucunda

cunda animi corporisque demonſtratio, qua alios inducimus ad nos amandos. Veneramur nonnullos, quos averſamur & fugimus. Sunt, qui vitia deteſtantur & reprehendunt, ut bilem in alios effundant. Calcant ipſi cum *Diogene Cynico Platonis* faſtum, ſed majori faſtu. Fructus & effectus, qui inde proveniunt, ſunt in cauſa, ut ipſi diſpliceant. Homines vero, vulgaribus nævis immunes, affabiles, faciles, indulgentiæ & commiſerationis pleni, non poſſunt non placere, niſi facilitatem præferant imperioſam, & miſericordiam ambitione imbutam. Evitanda eſt cupiditas excellendi & eminendi, aut id oſtendendi, quo aliis ſumus ſuperiores, ita tamen, ne infra illud nos demittamus. Inprimis eis, qui ad honores perveniunt, cavendum, ne, quales olim fuerint in ſocietate, obliviſcantur. Id præcipue enitendum, ut placere cupiamus, & hoc deſiderium penitus animo noſtro altaque mente repoſitum maneat. Cavendum, ne credamus, nihil intereſſe, quo quis animo, & qua propenſione, in nos ſit affectus. Affectationis, quæ imitationis eſt imago vilis, vitanda eſt illecebra; ea enim adoptamus laudem & excellentiam alterius, meritorum noſtrorum negligentes. Plerumque modulos ſeligunt homines, ipſis minus accommodatos, quos imitentur. Alios alius tenet error, quo faſcinati, ridendos cum hilaritate eos proponunt, in quos tela reprehenſionis irriſoriæ mittunt artificioſe, ut voluptatem audientibus inſtillent. *Spiritum* hunc, Gallis dictum *cauſticum*, vivis Autor coloribus depingit. Sunt, qui, ut placeant, alios inſulſe adulantur, eo quidem eventu, ut minimi tandem fiant. Modi ſuperſunt alii ſexcenti præpoſteri, quibus inſulſe & inficete uti ſolent, ut placeant, mortales. Quorum potiores eleganter & perſpicue ſcriptor politiſſimus enumerat, amabilis nævorum cenſor, identidem lectorem imbuens de eo, quod enitendum ſit quibuscunque, ut unus alteri placeat. Deſcendit deinde ad adminicula certiſſima atque pulcherrima, quibus, ut placeamus, tuto efficere, dummodo libeat, licet, quibus illud generale adſcribendum eſt ſcitum Poetæ: *Ut ameris, amabilis eſto.* Exemplorum cum in utramque partem vis ſit maxima, feliciſſimum Deoque proximum judicamus illum, qui

Pag. 2. 4. 20. 36. 45.

ab ineunte ætate cum eis verſatur hominibus, qui nec ſibi, nec aliis, deſunt, atque ad vincula ſocietatis humanæ arctiſſime colliganda ſunt apti nati, & approbationem aliorum, juſtiſſimis meritis colligere ſibi valent. Liber ipſe ita, ut placeat, perhumane & eleganter eſt conſcriptus, tamque facili profluit, tamque venuſta ſeſe commendat, dictione, ut ii, qui *Decorum* ſibi aliisque inſtillare contendunt, ejus lectione nequeant ſuperſedere. Quare cauſa non apparet ulla, cur verbum amplius addamus.

L. SECTANI Q. FIL. AD GAJUM SALMORIUM Sermo quintus. Acceſſere M. PHILOCARDII Enarrationes.

Corythi, typis Etruſcæ Societatis, 1738, 8.
Plag. 4.

Philocardius hunc Sermonem, ſale ſatirico divitem, *Carolo*, Principi Lotharingorum, inſcripſit ac conſecravit, cauſatus, Autorem Societatis Jeſu hic ſuſcepiſſe defenſionem. Idem ſignificat, Sermones quatuor *Sectani* Genevæ ſub exitum anni 1737 in lucem primum prodiiſſe, Typographos vero Italiæ illis publica impreſſione quinquies paucos intra menſes edendis
Pag. 13. vacaſſe. *Rullus*, eis exagitatus, invidia & obtrectatione tumens, reſpondendi provinciam audacter ſuſcepit, ac libellum immanem Italico ſermone ſub *Ceſellii* nomine vulgavit, tenebris digniorem, quam luce. Ipſe protulit nomina Patrum Societatis Jeſu, *Pompeji Venturi* atque *Hieronymi Lagomarſini*,
15. in Florentino ejusdem Societatis Collegio Rhetoricæ Poeticesque inſignium doctorum, tanquam pro certiſſimis Sermonum illorum quatuor Autoribus habendorum. Male dixit ſimul univerſo Jeſuitarum cœtui, ac Florentinum populum ad nefariam ſeditionem, atque inauditum facinus, cohortari, eumque in hoſce oratione acri armare, non dubitavit. Ne quidem a primariis Florentiæ familiis calamus ejus virulen-
17. tus abſtinuit. Repudiarunt ſtatim omnes *Ceſellii* libellum in vulgus editum. *L. Sectanus* legere ipſe illum totum non ſuſti-

ſuſtinuit. Usque adeo, illum non modo non literati atque honeſti hominis, ſed ne hominis quidem, ſcriptum eſſe illud, judicabat. Itaque libellum cum reſpondendi cogitatione ſimul abjecit, negans, alia ulla ratione ejusmodi eſſe ſcriptis reſpondendum, ac neglectu & contemtu; inprimis ſeſe exemplis ſummorum virorum, ſibique amiciſſimorum, *Scipionis Maffeji* atque *Antonii Muratorii*, ſeſe ſuſtentans. Amicorum Pag. 20. tandem conſiliis ſuaſionibusque tantum dedit, ut reſponderit *Ceſellio* in hoc Sermone, ſignificans cummaxime, ſibi non fuiſſe in animo, literatos dente circumrodere theonino, quos quippe ſuſpicere conſueverit. Eadem opera Sermones illos ſuos a ſuppoſitis Autoribus abjudicat. Editor addidit paſſim notas & illuſtrationes, ac ad primum verſum oſtendit, *Sectanum* ſocietati *Paſtorum Arcadum* eſſe adſcri- 11, ptum, cujus Sermo tam falſe veſanas vanasque Criticorum inutilium vivendi judicandique rationes exponit, ut *Heraclito* riſum queat excutere. Opuſculum certe *Horatii* & *Juvenalis* Satiras elegantia & ingenii & dictionis adæquat. En vindicias, quibus Patres Societatis Jeſu concelebrat & purgat:

— — — — — *Nam quur* 8.
Sectano infenſus, tantum baccharis in illos,
Una quibus cura eſt, pietatis jura tueri,
Virtutisque viam docili monſtrare juventæ;
Qui ſemper vigilant in publica commoda: quorum eſt
Nobilitas minimus, rerum obſcuriſſime, ſplendor?
Quur transfers iram? Pullo Sectanus amictu
Scilicet incedit, quadramque arrodit eandem.
Quid ſi deciperis? Quid agam, quo litore vivam,
Non facile invenies, Cereris ſi lampade quæras.

Lagomarſini epiſtola, ad Cl. *Abrahamum Gronovium* Id. Mar- 12. tii A. 1738 ſcripta, ex parte in annotationibus adjicitur, quæ, ipſum haud eſſe larvatum illum *Sectanum*, facile ſignificat. De *Sectano Philocardius* hæc auguratur, quæ ſilentio involvi 23. haud oportet; *Ea phyſica ac mathematica habet in manibus,*

ut,

Digitized by Google

ut, cum primum lucem adſpexerint, nova ſit lux iisdem diſciplinis oboritura. Idem *Philocardius Paſchalem Queſnellum* vocat *majorum gentium hæreticum.* Ipſe præterea meminit novæ ſectæ arcanæ, quæ Italiam clanculum pervadat. Videtur ſocietatem liberorum fabrorum muratiorum ob oculos habuiſſe. En verba: *Hanc, ex Anglia Galliaque legum ſeveritate ſuppliciorumque metu detruſam, rerum ſuarum myſteriorumque ſedes collocare in Italia jam pridem cœpiſſe, plurimi, nec temere, ſuſpicantur. Sed errant, ſi qui putant, vigilantiſſimo ſanctiſſimoque Pontifice reipublicæ Chriſtianæ ſacra moderante, diutius eam apud Italos poſſe conſiſtere. Sunt ejus quidem ſectæ initia Eleuſinæ Cereris ſacris occultiora: quo*
Pag. 24. *etiam majorem ſuſpicandi verendique anſam cordatis viris præbent, verum tamen non ſic omnia occultari, præſertim in magno ſectatorum numero, poſſunt, ut non quædam effluant, ad auresque hominum permanent. Feruntur autem duo illa eſſe ſectæ non poſtrema decreta, ut & Jeſuitarum libri nulli penes Initiatos ſint, & contra Jeſuitas, quicunque ad hanc diem prodierunt, nulli non ſint:* Provinciales *præſertim quæ inſcribuntur* literæ & Tuba magna, *quorum librorum alter Veteris Teſtamenti, alter Novi, apud eos pæne autoritatem obtineat. Verene hæc, an falſo, ferantur, neſcio; feruntur tamen.*
25 ſeq. Ingentem deinde recognoſcit *Philocardius* numerum Jeſuitarum, qui a conſiliis ſacris confeſſionibusque ſunt Imperatoris glorioſiſſimi, Regum, Electorum, ac Principum Europæ.
29. Typographi tandem monita ſunt adjecta, præcipientis, in *Serm. IV v. 140* loco vocum *Ruſus, Peribonius*, legendum eſſe, ſed po-
30. tius *Grandus, Valſechius.* Apud *Ceſellium* de quadam Leydenſium Theologorum Deciſione eſt ſermo, quæ hic profertur. Adjungitur porro facti *Ceſelliani* ſeries, & ſuper eo dubitationes, exque ad Academiam Catholico Romanam delatæ. Agmen
31. claudit ejusdem Academiæ ad dubitationes illas Reſponſio. An ficti quid hiſce ſubſit, definire haud lubet. Si veriſimilitudinis leges huc transferre licuerit, deciſionem & hanc & illam eſſe efficiam, non poſſumus, quin ſuſpicemur.

INDEX

Digitized by Google

)o(

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine continentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Ahlwardti (*Petri*) *Solidæ Meditationes in Augüſtanam Confeſſionem.* Pars I. 9

Anonymi Mahomedes, maximus animarum corruptor. 89

Diſſ. ſuper literis bullatis contra Bajum promulgatis. Partes II. 318

Initia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſeu Paraphraſis Actorum Apoſtolicorum. Partes III. 398

Anſaldi (*Caſi Innocentis*) *Patriarchæ Joſephi religio ab criminationibus Baſnagii vindicata.* 158

Balti *Vindiciæ prophetiarum religionis Chriſtianæ.* Tomus I. 321

Tomus II & III. 397

Baumgarten (*Sig. Jac.*) *Conſiliorum theologicorum Sylloge* I. 373

Behrendt (*Jo. Frid.*) *Harmonia ſyſtematis de hodierna animarum creatione cum creatoris ſanctitate.* 75

Bernd (*Adami*) *Tractatio de Deo, & anima humana.* 16

Breitingeri (*Jo. Jac.*) *de Principiis in examinanda & definienda religionis eſſentia ex mente nuperi Scriptoris Galli adhibendis amica diſputatio.* 218

Campaillæ (*Thomaſii*) *Adamus, ſeu mundus creatus, Poema philoſophicum.* 203

Carſtens (*Menon. Nic.*) *Meditationum ſubſecivarum Specimina tria.* 186

Cennii (*Cajetani*) *Concilium Lateranenſe Stephani III A.* 769 *in lucem editum.* 342

Cypriani (*Sal. Ern.*) *Præmonitio rationalis contra errorem de indifferentia religionum.* 188

Duiſingii (*Henr. Ott.*) *Diſſ. ad Articulum Symboli, qui agit de paſſione Filii ad dextram Patris.* 236

Fueslini (*Jo. Conr.*) *Acceſſiones, ad expoſitionem hiſtoriarum reformatæ Helvetiorum eccleſiæ ſpectantes.* 125

Glœſeneri (*Juſti Martini*) *Commentatio de gemino Judæorum Meſſia.* 274

Gudii (*Gottlob Frid.*) *Demonſtratio hermenevtica, quod Chriſtus in cœna ſua σταυρωτίμῳ agnum paſchalem non comederit.* 143

Hechtii (*Chriſtiani*) *Succincta Concilii Tridentini hiſtoria.* 51

Van den Honert (*Jo.*) *Inſtitutiones Theologiæ didactico-elenctica.* 538

Hutchinſoni (*Jo.*) *Libri poſt S. S. optimi de principiis Moſaicis Lemmata.* 264

Kieslingii (*Jo. Rud.*) *Commentatio de Jeſu, melioris quietis ſponſore.* 63

Kochii (*Jac.*) *Pharos, ſeu præter ſpem exorta lux in denſis vetuſtiſſimæ Ægypti hiſtoriæ tenebris.* 330

Lampe (*Frid. Ad.*) *Diſſertationum philologico-theologicarum Syntagma.* 389

Leibnitii (*G. G.*) *Tentamen Theodicææ de bonitate Dei, libertate hominis, & origine mali. Nova editio* M. L. de Neufville. Tomi II. 317

A S. Maria (*Davidis*) *Caſus reſervati in Archiepiſcopali Taurinenſi Diœceſi.* 21

Moore (*Jo.*) *Propoſitiones de naturali & revelata religione.* 262

Moshemii (*Jo. Laur.*) *Commentatio de Conſecrationibus Epiſcoporum Anglorum.* 447

P. (*T.*) *Libri poſt S. S optimi de Principiis Moſaicis, Autore Jo. Hutchinſono Lemmata* 264

Plu-

Plumyoen (*Jodoci Jos.*) *Dissertationes selectæ in Scripturam Sacram.* 266
Raupachii (*Bernh.*) *Austria evangelica.* 123
Ries (*Fr. Ulrici*) *Disquisitio de peccati originalis inhærentis a parentibus ad liberos propagatione.* 90
De Roches (*Franc.*) *Vindiciæ rei Christianæ.* Tomi II. 324
Rusmeyeri (*Mich. Christiani*) *Labores Academici varii.* 467
Santini (*Ant.*) *Vitæ Pontificum Romanorum.* 107
Schlosseri (*Jo. Lud.*) *Vindicatio Novi Fœderis locorum ex libris historicis adversus Jer. Marklandum.* 180
Schuberti (*Jo. Ern.*) *Cogitata de universali Judæorum conversione, & regno chiliastico.* 77
Stiebritz (*Jo. Frid.*) *Expositio cogitatorum Wolffianorum de Deo, mundo, & anima hominum.* 21
Touron (*A.*) *Vita S. Thomæ Aquinatis.* 385
Turretini (*Jo. Alph.*) *in Pauli Apostoli ad Romanos Epistolæ Capita priora XI Prælectiones criticæ.* 7

II. *Libri Juridici.*

Anonymi de Præjudiciis marinis circa jura, quæ dicuntur regalia & majestatica, cavendis Propempticum. 33
Conradi (*Franc. Caroli*) *Diss. de Jure Quiritium a civitate Romana non diverso.* 128
Jensii (*Jo.*) *Strictura Juris Romani.* 251
Noltenii (*Rud. Aug.*) *Diatribe de Juribus & consuetudinibus circa Villicos.* 233
De Toullieu (*Petri*) *Collectanea, edita a* Jo. Wolbers. 253
Zu Vach (*Æmil. Lud. Hombergk*) *Diss. epist. de Legibus Servii Tullii, quibus & Reges obtemperarent.* 236

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Anonymi Tentamen clarioris detectionis, meliorisque connexionis, in jucunda Phyſica ænigmatica inſtruendæ. 173
Commentatio de Chalybe Alſatiæ. 260
Tract. de Communicatione morborum, animique affectuum. 367
Beckett (*Wilb.*) *Obſervationes chirurgicæ.* 413
Boerneri (*Nic.*) *Phyſica, ſeu rationalis naturalium ſcientiarum tractatio.* 46
Fabricii (*Phil. Conr.*) *Idea Anatomiæ practicæ.* 132
Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ ad A. 1732. 362
ad A. 1733. 416
ad A. 1734. 443
Ludolfi (*Hieron.*) *Chymia, in Medicina triumphans.* Pars I. 59
De Molieres (*Joſephi Privat*) *Lectiones phyſicæ.* Tomus II. 526
Morini *Mechaniſmus univerſæ naturæ.* 164
Ritteri (*Alb.*) *Schediaſma de Nucibus margaceis.* 134
Rogers (*Joſephi*) *Tract. de Morbis epidemicis.* 256
Tralles (*Balth. Lud.*) *Tract. de Venæſectione, remedio ad felicem variolarum curationem ſæpe perquam neceſſario.* 44
De Villers (*Servatii Auguſtini*) *Inſtitutionum medicarum Libri duo.* 520

IV. *Libri Mathematici.*

D'Anville *de Menſura telluris propoſitio.* 525
A Bergen (*Caroli Guſtavi*) *Commentatio de Thermometris menſuræ conſtantis.* 168
A Brixia (*Fortunati*) *Elementa Matheſeos, ad Mechanicam Philoſophiam accommodata.* 163

Hiſto-

Historia Regiæ Scientiarum Academiæ ad A. 1732. 362
ad A. 1733. 416
ad A. 1734. 443
Horrebowii (*Petri*) *Consilium de nova methodo Paschali, ad perfectum statum perducenda.* 135
M. (*H.*) *Proportio harmonica in ratiocinio detecta.* 220
Morini *Mechanismus universæ naturæ.* 164

V. *Libri Historici, Chronologici, Genealogici, &c.*

Anonymi Historia urbis Lutetiæ Parisiorum. Tomi V. 97
Brevis expositio de majori Homanniano Tabularum geographicarum Atlante. 217
Specimen historiæ Indicis Romani librorum prohibitorum. 305
Spicilegium observationum de Bosniæ regno. 345
Historia Leopoldi, Imperatoris occidentalis. 411
Vita glorioſi Principis S. Petri Orseoli. 459
Historia universalis, ex Anglico in Gallicum conversa. Tomus II. 481
Asquini (*Basilii*) *Centum & octoginta ac ultra viri illustres Forojulienses.* 461
De Basville *Commentarii, historiæ Langedociorum inservientes.* 533
Beckii (*Jac. Christoph.*) *Introductio in Historiam patriam Helvetiorum.* 56
Le Beuf *Diss. in qua disquiritur, a quonam inde tempore nomen Franciæ fuerit in usu.* 302
Beyschlagii (*Frid. Jac.*) *Tentamen biographicum plenius, seu Vita Jo. Brentii, senioris.* 462
Breitingeri (*Jo. Jac.*) *Accurata enarratio & investigatio antiquitatis Tiguri.* 113
Catifori (*Ant.*) *Vita Petri Magni, Russiæ Imperatoris.* 501

Dantis (*Andreæ*) *Vita Michaelis Caroli Vicedomini, Patricii Florentini.* 518

Datii *(Gregorii) Historia Florentiæ.* 50

Fossæi (*Petri Thomæ*) *Commentarii, ad notitiam historiæ Portus Regalis pertinentes.* 299

Gaubil *Historia Gentchiscani, ac omnis Dynastiæ Moncusiorum.* 241

Goujeti *Bibliotheca Autorum ecclesiasticorum Seculi XVIII.*
Tomus I & II. 197
Tomus III. 247

Havercampi (*Sigeb.*) *Introductio in Historiam patriam.* 442

Heydenreich (*Lebrecht. Wilh. Henr.*) *Historia Dominorum de Schwarzburg dictorum.* 56

Historia Regiæ Scientiarum Academiæ ad A. 1732. 362
ad A. 1733. 416
ad A. 1734. 443

Janissonii (*Franc. Mich.*) *Status præsens reipublicæ provinciarum Fœderatarum.* 213

Josephi (*Flavii*) *Opera omnia, in Germanicum translata, & illustrata, a* Jo. Bapt. Ottio. 193

Klimi (*Nic.*) *Iter subterrancum.* 216

Kochii (*Jac.*) *Eboros, seu præter spem exorta lux in densis Ægyptiæ historiæ tenebris.* 330

Kortum (*Renati Andreæ*) *Recensio historica de vetusto Episcopatu Lebusensi.* 215

Lampejani (*Sitalcii*) *Observationes in Chronologiam veterum Ebræorum, Ægyptiorum, &c.* 497

M. L. D. M. Historiæ Imperatoris Caroli VI. 1

Manni (*Dominici Mariæ*) *Comment. de Ocularibus nasi, seu perspicillis, a Salvino Armati inventis.* 309

De Marlborug *viduæ Commentarius de ratione vivendi & agendi, qua ipsa usa fuit in aula Londinensi.* 3

Le Maierier *Descriptio Ægypti.* 433

Maz-

Digitized by Google

Mazzolini (*Alexandri*) *Vita Franciſci Blanchini, Veronenſis.* 420
Moshemii (*Jo. Laur.*) *Commentatio de Joanne Duræo, pacificatore celeberrimo.* 160
Muſtafa (*Hazi Chalifa*) *Chronologia hiſtorica, Italice verſa a* Jo. Rainaldo Carli. 439
Oricellarii (*Bern.*) *de Bello Italico Commentarius.* 440
Pontoppidani (*Erici*) *Geſta & veſtigia Danorum extra patriam.* Tomus I & II. 205
Paſcoli (*Leonis*) *Vitæ pictorum, ſculptorum, & architectorum noſtræ ætatis.* Volumina II. 506
S. (*J. F.*) *Hiſtoria Ducatus Lotharingici brevior.* 54
Santinelli (*Stanislai*) *Vita venerabilis ſervi Dei, Hieronymi Æmiliani, Congregationis Clericorum regularium de Somaſcha fundatoris.* 5
Santini (*Ant.*) *Vitæ Pontificum Romanorum.* 107
Schillingii (*Dieboldi*) *Deſcriptio bellorum Burgundicorum, in Helvetia geſtorum.* 49
Schoettgenii (*Chriſtiani*) *Hiſtoria Conradi Magni, Comitis Wettinenſis, Marchionis Miſniæ & Luſatiæ.* 350
Schuckfordi (*Sam.*) *Hiſtoria orbis ſacra & profana.* Tomi II. 289
Thorſchmidii (*Juſti Chriſtiani*) *Hiſtoria præfecturæ ſacrorum Thomanæ, quam Præpoſituram vocant, in urbe Lipſienſi.* 155

VI. *Libri Miſcellanei.*

Anonymi Specimen de Conſuetudine. 130
Specimen Philoſophiæ novæ, quæ docet artem parandi pecuniam. 142
Periculum criticum ſuper Proſodiam Gallicam. 287
Deſcriptio urbis & confiniorum Aureliæ. 315
Tentamina in diverſa argumenta literaturæ & diſciplinæ moralis. Pars I & II. 428
Hiſtoria theatri Gallici. 472
Homo & ſeculum, ſeu diverſæ regulæ criticæ & morales. 477

Panie-

Banierii *Mythologia & Fabulæ, per historiam explicatæ.* Tomus I. 145
Baueri (*Christiani Frid.*) *Isagoge ad accentuationem Hebraicam.* 86
Baumeisteri (*Frid. Christiani*) *Historia doctrinæ, recentius controversæ, de Mundo optimo.* 238
Bochii (*Octavii*) *Observationes in antiquum theatrum, Adriæ detectum.* 313
Canzii (*Isr. Gottlieb*) *Philosophia fundamentalis, suis disciplinis comprehensa.* 63
Carpzovii (*Jo. Bened.*) *Meditationum logicarum Specimina tria.* 28
Castilionii (*Balth.*) *Opera, lingua Italica & Latina scripta, edita a* Jo. Ant. & Cajetano Vulpiis. 529
Corvini (*Christiani Jo. Ant.*) *Institutiones Philosophicæ rationalis.* 24
Euripidis *utraque Iphigenia, in Aulide & in Tauris, in versum Thuscanum conversa a* Jo. Bapt. Caracciolo. 329
Foulon *Historia Leodiensis, per Episcoporum & Principum seriem digesta.* Tomus III. 337
Funccii (*Jo. Nic.*) *de Literarum studiis, earumque tradendarum certa ratione, Consultationes scholasticæ.* 93
Gœde (*Caroli Frid.*) *Demonstrationes philosophicæ de existentia corporum angelicorum.* 72
Historia Regiæ Scientiarum Academiæ ad A. 1732. 362
ad A. 1733. 416
ad A. 1734. 443
Klimi (*Nic.*) *Iter subterraneum.* 216
M. (*H.*) *Proportio harmonica in ratiocinio detecta.* 220
Maffæi (*Scip.*) *Observationes literariæ.* Tomus II. 375
Maichelii (*Dan.*) *Institutiones Logicæ, methodo eclectica adornatæ.* 38
Meieri (*Ge. Frid.*) *Demonstratio, qua, materiam cogitandi vim capere haud posse, evincitur.* 13

Mon-

Digitized by Google

Moncrifii *Tentamen de Neceſſitate modisque placendi.* 548
Morei (*Mich. Joſephi*) *Carmina.* 190
Oliveti *Commentatio de Proſodia Gallica.* 475
Orſi (*Jo. Joſephi*) *Animadverſiones in Bobourſii Artem bene cogitandi in ſcriptorum compoſitione.* Tomi II. 546
Paſſionei (*Dominici*) *Oratio funebris in obitu Eugenii Franciſci, Principis Sabaudiæ.* 514
De Percel (*C. Gordoni*) *de Uſu Fabularum Mileſiarum.* Tomi II. 284
Reuſchii (*Jo. Pet.*) *Syſtema metaphyſicum antiquorum ac recentiorum.* 66
Robeck (*Jo.*) *Exercitatio philoſophica de morte voluntaria Philoſophorum & bonorum virorum.* 279
Rusmeyeri (*Mich. Chriſtiani*) *Labores Academici varii.* 467
Sectani (*L.*) *ad Gajum Salmorium Sermo quintus.* 550
Severi (*P. Cornelii*) *Ætna, & P. Syri Sententiæ, in Gallicum converſæ.* 465
Stiebriz (*Jo. Frid.*) *Expoſitio cogitationum, rationi congruentium, de viribus intellectus humani, conſcriptarum a Celeb. Philoſopho, Chriſt. Wolffio.* 42
Tackii (*Frid. Petri*) *Tract. de Facultate & ſtudio ſeſe aliis approbandi.* 543
Tuberonis (*Horatii*) *Quinque Dialogi, facti ad imitationem veterum. Editio nova* L. M. Kahlii. 70
Waltheri (*Chriſtoph. Theodoſii*) *Ellipſes Hebraicæ, denuo editæ a* Chriſt. Schœttgenio. 334
Zorzi (*Mich. Angeli*) *Marmor illuſtratum.* 105

Libri Theologici, ſupra omiſſi.

Anonymi Harmonia & ſuavis ordo inter ſextiduum creationis, quietem, lapſum, &c. 401
Commentatio, qua dogmatice pertractantur falſa miracula hujus temporis. 489
Camilli (*Petri*) *Peccator divina voce devictus.* Tomi III. 545
Catrou (*Franc.*) *Hiſtoria Tremulorum.* 407
De Rohr (*Julii Bernh.*) *Phytotheologia.* 541

* *

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Absolutio *a peccatis nonnullis soli Episcopi reservata.* 22 seq.
Abstractorum *doctrina explicata.* 31
Academiarum *Tolosanæ & Montisbellicardi memoria renovata.* 535
Accentuationis *Hebraicæ leges illustratæ.* 84 seq.
Accentuum *Hebraicorum genesis.* 88
Acta *Apostolorum paraphrasi illustrata.* 299 seq.
Adami *historia carmine descripta.* 203 seq.
Adriæ *theatrum antiquum detectum.* 313 seq.
Ægypti *dynastiæ illustratæ.* 331 seq.
geographia & historia illustrata. 434 seq.
Ægyptiorum *veterum chronologia illustrata.* 498
Æmiliani (*Hieron.*) *Congregationis Somachensis fundatoris, vita descripta.* 5 seq.
Aeris *natura explicata.* 527
Ætnæi *montis incendia descripta.* 467
Agnum *paschalem an Christus in cœna ultima comederit?* 143 seq.
Ahasverus, *Esther is maritus, quis fuerit?* 271 seq.
Amath *urbs an sit Antiochia?* 196
Anemometrum *novum inventum.* 445 seq.
Angelis, *corpus organicum assertum.* 73. 354 seq.
an tribui possint corpora? 360 seq.
Angelorum *doctrina qualis?* 358
Angliæ *sub Anna status descriptus.* 4
Anglorum *Theologi & Philosophi contumeliose tractati.* 264 seq.
Anima *rationalis quo tempore primum cum fœtu communicetur?* 522 seq.
Animæ *humanæ cum corpore conjunctio quæ?* 20
Animarum *creatio quotidiana asserta.* 75 seq.
Annæ, *Reg. Angl. regnandi ratio sub judicium vocata.* 4
Epistolæ editæ. 5
Anni *veteris ratio quæ?* 290 498

Digitized by Google

Annus *olim in tres partes divisus.* 176
Antimonii *tinctura quomodo emendanda?* 6 seq.
Aram-*Nabaraim regio an sit Mesopotamia?* 483
Architectorum *nobiliorum vitæ.* 508. 510
Aquæ *natura explicata.* 527
Armati (*Salvino*) *inventio perspicillorum asserta.* 317
Asiarchæ *qui fuerint?* 187
Assyriorum *Regum historia illustrata.* 272. 291
Aulici *quæ esse virtutes debeant?* 531 seq.
Aureliæ *urbis antiquitates vestigatæ.* 315 seq.
Aurora *borealis A. 1737 in Italia conspecta.* 384
Austriacorum *Imperatorum res gestæ descriptæ.* 2
Austriæ *Presbyteri recensiti.* 124
Avtochiria *a Robeckio defensa.* 281 seq.

B.

Babyloniorum *Regum historia illustrata.* 272
De Balzaco *judicium.* 431
Contra Bajum *promulgata Bulla an ab ecclesia fuerit recepta?* 318 seq.
Basnagius *refutatus.* 158 seq.
Belgii *fœderati hodierna facies descripta.* 213 seq.
historia in compendio tradita. 442 seq.
Berrettini (*Petri*) *pictoris, vita.* 506.
Blanchini (*Franc.*) *vita & scripta recensita.* 420 seq.
Bosniæ *regni historia & geographia illustrata.* 349 seq.
In Bosniæ *regnum jura Imperatori vindicata.* 345 seq.
Brentii (*Jo.*) *senioris, vita descripta.* 463 seq.
Burgundica, *cum Helvetiis gesta, bella descripta.* 49 seq.

C.

Cadavera *humana rite secandi modus descriptus.* 133
Calendarii *perpetui constructio tentata.* 366
Calendariographiæ *emendandæ consilia.* 140
Cancro *infectæ partes corporis humani examinatæ.* 415 seq.
Caroli VI *Imp. res gestæ, & quæ eo mortuo acciderunt, descripta.* 2 seq.
Cassiodori *nomina senatoria explicata.* 380 seq.
scriptæ recensita. 383

Caſſiodorus, *an Caſſiodorius, ſcribendum?* 382
Caſtilionii (*Balth.*) *Comitis vita deſcripta.* 529 ſeq.
Chalybem *ex ferro conficiendi ratio quæ?* 260 ſeq.
Chiliaſtarum *dogma refutatum.* 81 ſeq.
Chinenſium *Imperatorum hiſtoria illuſtrata.* 242 ſeq.
Chiraci, *Medici, elogium* 366
Chirurgicarum *operationum exempla collecta.* 414
Chlodovæi *regno limites ſui definiti.* 304
Chriſti *geſta chronologice veſtigata.* 273
Chriſtiana *religio ab objectionibus Anonymi vindicata.* 326 ſeq.
De Chriſto *doctrina ex rationis principiis demonſtrata.* 10 ſq.
Chronologia *ſacra illuſtrata.* 193 ſeq.
antiqua explicata. 497 ſeq.
Chymiæ *in Medicina uſus demonſtratus.* 60 ſeq.
Cogitandi *vim an habeat materia?* 14 ſeq.
De Coloribus *ſyſtema Malebranchii confirmatum.* 166
Neutoni refutatum. 167 ſeq.
Cometa *anni 1737 Bononiæ obſervatus.* 376 ſeq.
Concilii *Tridentini hiſtoria deſcripta.* 52 ſeq.
Concilium *Lateranenſe Stephani III editum.* 342 ſeq.
Conradi *Magni, Comitis Wettinenſis, hiſtoria deſcripta.* 350 ſeq.
De Conſecrationibus *Epiſcoporum Anglorum controverſia expoſita & dijudicata.* 449 *ſeq.*
Conſilia *theologica ab utilitate commendata.* 373 ſeq.
Conſuetudinis *in vita communi & in Jure magna vis.* 130 ſeq.
Cortigiani (*Mich. Caroli Vicedomini*) *vita deſcripta.* 518
Creationis *narratio Moſaica cum theogonia Heſiodi comparata.* 402 ſeq.
Courayerii (*Petri Franc.*) *vita deſcripta.* 450 ſeq.
quæ fuerint in Anglorum Epiſcopos merita? 451 ſeq.
Cteſiæ *fides aſſerta.* 291
Curvarum *novum genus, perſecutionis dictum.* 364
De Curvis *Problemata nonnulla ſoluta.* 444 ſeq.

D.

Danorum *extra patriam res geſtæ deſcriptæ.* 205 ſq.
Dei *exiſtentia & providentia demonſtrata.* 263 ſeq.

De

De Deo *doctrina ex ratione demonſtrata.* 16 ſeq.
Dierum *ſeptem creatio nova ratione explicata.* 402 ſeq.
Dii *veterum gentilium ex hiſtoria antiqua explicati.* 150 ſeq. *quomodo explicandi?* 174 ſeq.
Duræi (*Jo.*) *vita, & acta maxime Suecana, deſcripta.* 160 ſeq.

E.

Eccleſiaſtici *Scriptores Seculi XVIII recenſiti.* 197 ſeq. 247 ſeq.
Electricitatis *natura indagata.* 417 *doctrina illuſtrata.* 444
Ellipſes *Hebraicæ collectæ.* 334 ſeq.
Encoma *apud Hieronymum quid?* 376
Epicycloidum *ſphæricarum natura definita.* 364 ſeq.
De Epiſcoporum *Anglorum conſecrationibus controverſia expoſita & dijudicata.* 449 ſeq.
Epona *in antiquo monumento.* 154
Eruditorum *vitia & virtutes examinata.* 428 ſeq.
Evangelii *Joannei titulus explicatus.* 390
Eugenii, *Principis Sabaudiæ, laudes deſcriptæ.* 514 ſeq.
Euripidis *Iphigeniæ duæ in Italicum converſæ.* 329 *illuſtratæ.* 330

F.

Fabulæ *antiquæ ex Hiſtoria veteri explicatæ.* 146 ſeq.
Fabularum *gentilium origo & ſenſus veſtigatur.* 174 ſeq. *Romanenſium uſus & catalogus.* 284 ſeq.
Fanaticorum *delíria irriſa.* 409 ſeq.
Febris *epidemica, quæ A. 1734 Corcaviæ graſſata eſt, examinata.* 256 ſeq.
Florentinæ *reipublicæ hiſtoria deſcripta.* 511 ſeq.
Fœtus *quando primum in utero animam rationalem accipiat?* 522 ſeq.
De Fontanini (*Juſti*) *Eloquentia Italica judicium.* 379 ſeq.
Forojulienſes *viri illuſtres recenſiti.* 461 ſeq.
Foſſæi (*Petri Thomæ*) *vita.* 300
Franciæ *nomen a quo tempore fuerit in uſu ad partem Galliarum deſignandam?* 303
Friderici *Chriſtiani, Principis Saxoniæ Electoralis, laudes deſcriptæ.* 191

G.

Gallicæ *prosodiæ ratio explicata.* 475 seq.
Gellei (*Claudii*) *vita.* 507
Generatio *ex aqua & spiritu quæ?* 392 seq.
Gentchiscani, *famosissimi Orientis victoris, historia descripta.* 241 seq.
genealogia illustrata. 246
Geographicarum *Tabularum Homannianarum notitia.* 217 seq.
Gordianorum *historia illustrata.* 107
Gosen *terra in Arabia quærenda.* 487
Grotius *refutatus.* 397

H.

De Harmoniæ *præstabilitæ systemate judicium.* 68
Hebdomadum 70 *Danielis Chronologia vestigata.* 272
Hebraicæ *ellipses collectæ.* 334 seq.
Helvetiorum *historia illustrata.* 49 seq. 56
Reformationis historia scriptis illustrata. 125 seq.
Hesiodeæ *theogoniæ verus sensus vestigatus.* 174 seq. 402 seq.
S. Hieronymi *Operum novæ editio descripta.* 376
Historia *ecclesiastica N. Test. caute ac prudenter tractanda.* 156
sacra antiquior illustrata. 193 seq.
universalis in compendio tradita. 439 seq.
Homannianarum *tabularum geographicarum notitia.* 217 seq.
Hominem *ad gloriam Dei conditum, ex facultate intelligendi demonstratur.* 359
Homo *secundum varias ætates delineatus.* 478 seq.
Hydropisis *pulmonum atque hepatis.* 363

I.

Idearum *& notionum doctrina explicata.* 30. 39 seq.
Idololatriæ *origo & progressus.* 148
Ignis *natura explicata.* 527
Ikenius (*Conr.*) *refutatus.* 143 seq.
Indicis *librorum prohibitorum historia.* 305 seq.
variæ editiones recensitæ 306 seq.
Ad Indictionem *pro quovis anno determinandam regula suppeditata.* 383

Indiffe-

Indifferentiſmus *religionum debellatus.* 188
De Ingenii *principatu varia nationum diſſidia deſcripta.* 547
Inſcriptio *antiqua Gordiani III illuſtrata.* 105 ſeq.
Joannei *Evangelii titulus explicatur.* 390
Joſephi *Patriarchæ religio a criminationibus Baſnagii vindicata.* 158 ſeq.
ſcriptoris Græci, hiſtoria in Germanicum translata. 194 ſeq.
illuſtrata. 195 ſeq.
Joſua *typus Chriſti.* 83 ſeq.
Italici *belli hiſtoria deſcripta.* 441
Iter *ſubterraneum Klimi, fabula.* 216 ſeq.
Judæorum *univerſalis ad Jeſum converſio an ſperari poſſit?* 79 ſeq.
In Judice *literario quæ inprimis requirantur?* 429 ſeq.
Judithæ *hiſtoria illuſtrata.* 267 ſeq.
Juliarum *Auguſtarum genealogia illuſtrata.* 106
Jus *Romanum nova ratione a Jenſio emendatum.* 254 ſeq.
ex Græco verſum eſſe, nova Jenſii ſententia. 255

K.

Klimi (*Nic.*) *Iter ſubterraneum, fabula.* 216 ſeq.

L.

Cum Lacte *humano prima morborum & malorum affectuum ſemina communicari, demonſtratum.* 368 ſeq.
De Lagny (*Thomæ Fantet*) *elogium.* 446
Langedociarum *hiſtoria illuſtrata.* 533 ſeq.
Latine *ſcribendi exercitatio quomodo comparanda?* 94 ſeq.
Lebuſienſis *Epiſcopatus hiſtoria deſcripta.* 215
Leges *Romanæ variæ emendatæ.* 252. 254 ſeq.
Leibnitii *Theodicæa recens edita.* 317
Leodienſium *Epiſcoporum vitæ deſcriptæ.* 337 ſeq.
Leodienſis *civitatis hiſtoria illuſtrata.* 339 ſeq.
Leopoldi *Imperatoris res geſtæ deſcriptæ.* 411 ſeq.
Libri *aliquot, ſub prima inventæ typographiæ tempora Lipſiæ excuſi.* 157
De Libris *aliorum judicandi quæ ſit ratio tenenda?* 429 ſeq.

Lipſiæ

Lipsiæ *excusi sub initia typographiæ libri aliquot recensiti.* 157
Lipsiensis *Præposituræ Thomanæ historia descripta.* 155 seq.
Literarum *tractandarum ratio præscripta.* 93 seq.
Logicæ *definitio quæ?* 30
principia methodo eclectica explicata. 38 seq.
Wolfiana illustrata. 42 seq.
Longitudines *locorum observandi nova ratio.* 419
Lotharingiæ *historia descripta.* 54 seq.
De Louville, *Equitis, elogium.* 366
De Lucis *variis gradibus cogitata nova.* 366
Lunares *tabulæ novæ promissæ.* 239

M.

Magiæ *superstitiosæ quæ criteria?* 24
Magnus *cur dictus Cassiodorus?* 380 seq.
Mahommedis *vita descripta.* 89 seq.
Majestatis *jura an sint eadem, quæ Regalia?* 34 seq.
Mammæ *cancrosæ amputatæ casus rarior.* 415
De Maria, *uxore Wilhelmi, R. Angl. judicium.* 4
Marklandus (*Jer.*) *refutatus.* 180 seq.
Marlborugiæ *Ducis in Anglia vivendi ratio ob ipsa descripta.* 3 seq.
Materia *an cogitandi vim habeat?* 14 seq.
Matheseos *elementa, ad Mechanicam Philosophiam accommodata.* 163
Mediæ *Regum Chronologia illustrata.* 269. 274
Meditatio *tum a priori, tum a posteriori, quomodo instituenda?* 29
Meier, *vox Germanica, unde?* 232
De Messia *duplici sententia Judæorum refutata.* 274 seq.
Metaphysica *veterum ac recentiorum in compendio tradita.* 66 seq.
Meteorologicæ *anni 1732 observationes.* 363
Miracula *hujus temporis falsitatis convicta.* 489 seq.
Monguſiorum, *Chinæ dominorum, historiā descripta.* 241 seq.
Morbi *qua ratione soleant communicari?* 367 seq.
Morei (*Mich. Josephi*) *Carmina laudata.* 192

Mor-

Digitized by Google

Morlandus *refutatus*, 219 ſeq. 325 ſeq.
Moſaica *dierum ſeptem creatio nova ratione explicata.* 402 ſeq.
Moſis *hiſtoria a Criticorum audacia vindicata*, 201 ſeq. *narrationibus Ægyptiacis lux accenſa.* 331 ſeq.
Muhammedanarum *hiſtoria illuſtrata.* 439
Mundi *creatio carmine deſcripta.* 203 ſeq.
De Mundo *optimo doctrina expoſita.* 238 ſeq.
Mythologia *antiqua plenius ex hiſtoria vetere illuſtrata.* 148 ſeq.
Mythologiæ *gentilium verus ſenſus veſtigatus.* 174 ſeq.

N.

Naturæ *arcana in Vet. Teſtamento veſtigata.* 265 ſeq.
Noltenii (*Rud. Aug.*) *ſcripta promiſſa.* 236
De Nucibus *margaceis ſingularia.* 134
Numos *parandi ars commendata.* 143
Nutricibus *an infantes debeant lactandi tradi?* 367 ſeq.

O.

Olei *natura explicata.* 527
Oricellarii (*Bern.*) *vita & merita.* 449 ſeq.
S. Orſeoli (*Petri*) *Ducis Venetiarum, vita deſcripta.* 458 ſeq.

P.

Pariſienſis *urbis origo & hiſtoria deſcripta.* 97 ſeq.
Pariſii, *Abbatis, miracula examinata.* 490 ſeq.
Paſchalis *methodi ad perfectum ſtatum perducendæ conſilia ſuppeditata.* 135 ſeq.
Paſſionei *Card. ſcripta recenſita.* 378
eloquentia laudata. 515
Patres *Eccleſiæ an faverint Pontificiorum doctrinis?* 249 ſeq.
Peccati *originalis a parentibus ad poſteros propagatio demonſtrata.* 91 ſeq.
Peccator *quomodo ad Deum revocandus?* 545
Perſpicilla *a quo primum inventa?* 307 ſeq.
Petri I, *Ruſſorum Imperatoris, res geſtæ deſcriptæ.* 501 ſeq.

Philoſophia *rationalis methodo ſcientifica expoſita.* 25 ſeq.
fundamentalis novo ſyſtemate explicata. 63 ſeq.
Phyſices *in Theologia uſus demonſtratus.* 46
principia explicata. 46 ſeq.
capita præcipua expoſita. 175 ſeq.
Pictorum *nobiliorum vitæ deſcriptæ.* 507 ſeq.
Du Pinii *vita & ſcripta.* 198 ſeq. 200. 201
Bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum ſupplet a. 196 ſeq. 247 ſeq.
epitaphium. 201
Placendi *aliis ſtudium commendatum.* 544. 548 ſeq.
Placentini, *Irenii diſcipuli, memoria renovata.* 537
Ex Plantis *providentia divina demonſtrata.* 542
De Poeſi *Gallorum rhythmis carente varia variorum judicia.* 287 ſeq.
Poetarum *Gallorum notitia literaria.* 473 ſeq.
Pontificiorum *cauſa male a Mahiſio propugnata.* 248 ſeq.
in refutandis Proteſtantibus iniquitas. 448 ſeq.
Pontificum *Romanorum vitæ deſcriptæ.* 108 ſeq.
Portus *Regalis hiſtoria illuſtrata.* 300
Præpoſituræ *Thomanæ in urbe Lipſienſi hiſtoria deſcripta.* 155 ſeq.
Presbyterorum *Auſtriæ vitæ deſcriptæ.* 124
Prophetiæ *religionis Chriſtianæ vindicatæ.* 322 ſeq. 397 ſeq.
Proportio *harmonica in ratiocinio detecta.* 220 ſeq.
Proſodiæ *Gallica ratio explicata.* 475 ſeq.

Q.

Quiritium *jus a civitate Romana non diverſum.* 128 ſeq.

R.

Rationis *in rebus ſacris uſus demonſtratus.* 10 ſeq.
Reformationis *ſacrorum in Helvetia fata deſcripta.* 125 ſeq.
Regalium *doctrina explicata.* 34 ſeq.
Religionis *veræ fundamenta quæ?* 219
Revelatæ *religionis myſteria vindicata.* 326 ſeq.

Reve-

Revelationis *veræ criteria quæ?* 67
Robeckii (*Jo.*) *vita.* 280
Romanenſibus *fabulis verum pretium ſtatutum.* 285 ſeq.
Rüdigeriana *Philoſophia cum Wolfiana comparata.* 28 ſeq.

S.

Sacchii (*Andreæ*) *pictoris, vita.* 507
Sacrificiorum *ortus & ſignificatio.* 404 ſeq.
Salem *faciendi modus ſingularis.* 538
Salium *proprietates explicatæ.* 528
Scalæ *Jacobeæ myſterium explicatum.* 390 ſeq.
Scepticiſmus *in quo conſiſtat?* 70 ſeq.
Schillingius (*Dieboldus*) *accuratus Helvetiorum Hiſtoricus.* 49
Scholarum *publicarum uſus.* 94
Schwarzburgicorum *Comitum & Principum hiſtoria deſcripta.* 57 ſeq.
Scripturæ *S. loca explicata, aut illuſtrata:*

Gen. I. 88
1. 265
2. 402
3. 394
8. 402
I, 15. 335
17. ibid.
II, 7. 393
8. 404
III, 5. 392
24. 391
IV, ult. 293
VI, 1. 294
2. 359
VII, 11. 266
21. 77
29. 48
X, 11. 298
13. 331
15. 332
XI, 2. 297
XII, 8. 335
15. 332
XV, 10 *ſeq.* 333
17. 391
XVI, 2. 488
XVIII. 470
5. 196
8. 470
XXII, 2. 483
22. ibid.
31. ibid.
XXV, 9. 486
XXVI, 18. 299
22. 335
XXVIII, 12-15. 390
XXX, 18. 487
XXXI, 22. 23. 483
25. 335
36. 298
48. 483

Gen. XXXIII, 13. 14. 483
18. 487
XXXIX, 14. 335
XLI, 43. 336
53. 294
XLVI, 26. 92
XLIX, 10. 487
14. 277
24. 488
26. 278
33. 470

Exod. I. 159
21. 488
II, 17. ibid.
III, 2. 391
VI, 16. 297
VIII, 11. 336
XII, 29. 357
XV, 10. 335
XVIII, 13. 237
XXIV, 10. 391
XXIX, 34. 335
40. ibid.
XL, 11. 277

Levit. II, 6. 336
XV, 22. 498
XVII, 3. 4. 297

Num. XI, 5. 437
XV, 35. 336
XVI, 22. 92
XIX, 9. 394
XX. 454
5. 437

Num. XXI, 14. 488
XXII, 16. 92
XXIV, 17. 276
XXVII, 16. 92
20. 84
XXX, 3. 293

Deut. IV, 15-19. 178
XII, 21. 297
XIII, 1. 491
6. 392
XVII, 3. 276
XVIII. 491
XXIII, 4. 484
XXV, 21. 297
XXVI, 6. 395
XXVIII, 54. 392
XXX, 3. 276
XXXI, 24. 87
XXXIII, 16. 278

Jos. V, 9 seq. 333
XIII, 3. 299

Judic. V, 9. 395
XIII, 17. 394

Ruth. IV, 11. 488

1 Sam. IV, 17. 390
XXVII, 8. 335
XXXI, 9. 390

2 Sam. VI, 10. 335
VII, 21. 394
XII, 8. 392

Digitized by Google

2 Sam. XVIII, 21. 390
26. ibid.
XXIII, 20. 336
XXIV, 15. 357

1 Reg. I. 2. 392
XI, 21. 196
XIII, 17. 394
XVII, 17 seq. 277

2 Reg. XVIII, 21. 299
XIX, 9. ibid.
39. 357

1 Chron. V, 9. 486
XVI, 23. 390
XVII, 20. 394
XX, 11. 297
XXI, 16. 357
2 Chron. III, 1. 294
XXI, 16. 299
XXV, 11. 335
20. 500
XXVI, 18. 544

Neh. III, 4 seq. 335
VIII, 8. 87

Esther. IV, 2. 335
10. 268
V, 1. 335
VI, 8. ibid.
VIII, 15. ibid.

Job. XXX, 15. 335
XXXVII, 25. 404

Pſ. II. 277
III, 7. 335
XVII, 2. 400
XIX, 3. 335
XXII. 396
XXIV, 3. 335
6. ibid.
XXIX, 3. 404
XXX, 15. 335
XXXIII, 4. 394
6. ibid.
XXXIV, 21. 22. 19
XXXVII, 2-5. 404
XL, 10. 324. 390
XLV, 2. 394. 396
LI, 9. 393
LXVIII, 9. 335
12. 390
18. 335
LXXII. 396
17. 391
LXXXIII, 6. 486
XC, 1. 236
XCIV, 4. 335. 464
XCV. 85
XCVI, 2. 390
CII, 26. 395
CIII, 20. 357
CVII, 20. 394
CX. 398
CXIX, 86. 335
89. 394
151. 395
CXX. 471
CXXI. ibid.
CXXII. 471

Digitized by Google

Jer. CXXX. 364
CXXXIV, 6. 486

Prov. VIII, 22. 23. 395
XIII, 16. 11
XVIII, 15. ibid.
XIX, 2. ibid.

Eccles. XII, 7. 92

Cant. I, 7. 335
IV, 5. 274. 277
VII, 3. 277
XII, 10. 87

Es. II, 2. 79
III, 2. 3. 335
4. 79
V, 3. 4. 11
5. 336
VII, 10. 88
15. ibid.
VIII, 6. 336
IX, 1-6. 88
6. 323. 398
XI. ibid.
1-5. 88
4. 79
11-13. ibid.
XIV. ibid.
8. 335
XV, 5. 336
XX, 1. 268
2. 396
4. 299
XXII. 268

Es. XXIII, 4. 336
XXVII, 12. 13. 79
XXVIII, 11. 87
13. ibid.
16. 276
24 *seq.* 331
XXIX, 1. 336
22. 23. 79. 80
XXXII, 18-20. 79
XXXIV, 35. 79. 80
XXXV. 389
XL. ibid.
15. 88
9. 390
XLII, 5. 92
XLIX, 14. 79
LI, 3. ibid.
11. ibid.
21-25. ibid.
LII. 88
7. 390
LIII. 88
5. 277
LIV, 1 *seq.* 79
LV, 1. 328. 393
LVII, 16. 92
LX. 79
1-5. 88
6. 88. 390
LXI, 1 *seq.* 390
LXIII, 1-3. 79
LXV, 17. 19. 80
LXVI, 10. 336

Jer. I, 13. 335
IV, 15. ibid.

d by Google

Jer. *VII*, 22. 296
XIV, 8. 335
XX, 15. 390
XXIII, 6. 80
XXX, 6. ibid.
XXXI, 20. 278
XLVIII, 34. 336

Ez. *I*, 4. 391
X, 1. 2. ibid.
XIII, 18. 544
XVI, 10. 438
26. ibid.
XVIII, 6. 80
XXXVI, 25. 393
XXXVII. 80
XXXIX, 7. 293
XLIII, 2. 335
XLV, 16. ibid.

Dan. *VII*, 6. 391
9. 10. ibid.
VIII, 1. 395
2. 335
IX, 1. 500
XII, 7. 80

Hoſ. *III*, 4. 5. ibid.
VIII, 2. 335
20. ibid.
X, 8. ibid.
XII, 5. 6. 390
11. 335

Joel. 88

Mich. *III*, 3. 336
VII, 5. 392

Nah. *II*, 1. 390
III, 8. 299

Zeph. *II*, 9. 335

Zach. *XII*, 1. 92. 393
10. 277. 394

Mal. *III*, 1. 88. 277
2-5. 88

Judith *I*, 1. 267. 500
5. 267
9. 271
II, 1. 267
III, 14. 269
IV, 2. 267. 268
V, 2. 267
18. 271
22. 23. 268
VI, 7-10. 269
VII, 1. ibid.
VIII, 4. 270
XVI, 30. 277

Sir. *IX*, 1. 392

Matth. *V*, 19. 20. 87. 181
VI, 26. 182
VII, 15. 492
VIII, 11. 391
29. 359
IX, 15. 183

Matth. X, 16. 11
22. 182
31. ibid.
XI, 2 *seq.* 324
4. 5. 16
XII, 12. 182
39. 40. 471
XIII, 24 *seq.* 83
XIV, 14. 91
XV, 19. 77
XVII, 5. 391
XIX, 28. 83
XX, 1 *seq.* 85
20 *seq.* 83
XXII, 4-6. 16
31. 324
XXIII, 13. 177
37. 80
XXIV, 13. 182
24. 492
XXV, 31. 237
XXVI, 23. 182
XXVIII, 15. 326

Marc. II, 19. 184
23. 183
VIII, 35. 182
XI, 28. 184
XII, 10. 182
31. 324
XIII, 13. 182
23. 492
XVI, 8. 357

Luc. I, 2. 394
II, 2. 237
II, 26. 184
IV, 16-18. 324
22. ibid.
V, 13. 183
VI, 34. 184
VIII, 30. 358
IX, 24. 182
X, 48. ibid.
24. 276
XII, 7. ibid.
24. ibid.
XVI, 16. 471
XVII, 10. 328
XX, 35. 357
41. 324
XXIII, 4 *seq.* 184
8. ibid.
XXIV, 34. 472
39. 358
47. 183

Jo. I, 7. 184
18. 392
51. 390. 391
III, 8-18. 327
36. 328
IV, 22. 297
V, 18. 181
38. 394
39. 11
VI, 51. 183
VII, 18. 182
23. 181
VIII, 25. 394
56. 276
IX, 2. 92

Joh. X, 12. 183
33. ibid.
35. 181. 394
XI, 9. 85
XIV, 10. 392
12. 401
XV, 5. 182
XVII, 17, 394
XIX, 13. 237
14. 144
XX, 15. 358
XXI, 20 seq. 184
25. ibid.
XXVII, 5. 401

Act. I, 2. 400
4. ibid.
II, 1. ibid.
13. ibid.
29. 183
III, 13. ibid.
IV, 28. 540
V, 4. 400
15. 401
VI, 15. 237. 357
VII, 14. 487
58. 184
X, 36. 394
XII, 7. 357
XIII, 26. 394
XVII, 11. 11. 184
24. 182
XIX, 1-5. 127
3. 186
XX, 32. 394
XXIII, 3. 357

Act. XXVI, 3. 183
7. 184

Rom. I. 8 seq.
16. 328
II-XI. 8 seq.
II, 16. 390
III, 14. 9
V, 15-19. 472
VI. 4. ibid.
VII, 14-25. 9
17. 77
VIII, 3. 4. 541
6. 77
22. 472
23. 9
IX, 6. 182
17. 540
22. 23. ibid.
XI, 1, 2. 80
4. 5. ibid.
25. 26. ibid.
XII, 2. 11
XVI, 18. 544

1 Cor. VI, 13. 357
XII, 31. 469
XIII. 357
XV, 5 seq. 184
50. 358
51. 52. 83

2 Cor. IV, 16. 77
VI, 2. 85
X, 5. 382

Digitized by Google

Gal. III, 7. 182
8. 9. 391
14. ibid.
17. 486
IV, 30. 471

Eph. I, 11. 328
IV, 9. 396
20 *seq.* ibid.
V, 5-8. 549
15. 11
20. 541

Phil. III, 9-11. 328
21. 358

Col. II, 9. 12

1 *Thess.* IV, 5. 183
V, 9. 540

2 *Thess.* I, 7. 357
II, 8. 79
9. 492

1 *Tim.* I. 328
V, 21. 544

2 *Tim.* III. 89. 492

1 *Pet.* I, 3. 183
II, 2. 11
8. 394. 540
III, 5. 394
19. 20. 396
21. 471
IV, 6. 390

2 *Pet.* II, 3. 544
15. 188
18. 11
21. 357
III, 2-13. 83

1 *Jo.* I, 1. 183. 394
2. 3. 183
18. 184
V, 6. 393
8. ibid.

2 *Jo.* VII. 182

Hebr. II, 5. 20
IV, 8. 9. 83
12. 394
VI, 9. 84
X, 22. 393
25. 84
26. 27. 12
34. 84
37. ibid.
XI. 276. 328
3. 394
38. 395
XII, 9. 92
27. 29. 85

Jac. I, 17. 92
II, 19. 395
IV. 4. 544

Jud. 4. 540

Apoc.

Digitized by Google

Apoc. I, 2. 394
II, 14. 15. 188
III, 18. 328
XIII, 13. 492
15. ibid.
XV, 2. 3. 471
XIX, 13. 394
XX, 1 *ſeq.* 81. 82
4-6. 82
14. ibid.
7-15. 83
Sculptorum *nobiliorum vitæ.* 508
Sectanus, *virulentiſſimus Satiricus.* 550 ſeq.
Seſſio *Filii ad dextram patris explicata.* 236 ſeq.
Severi (*P. Corn.*) *Carmen de Ætna in Gallicum translatum.* 466
emendatum. ibid.
Syri (*Publii*) *Sententiæ in Gallicum translatæ, & illuſtratæ.* 467
Simonius (*Rich.*) *refutatus.* 399
De Sinenſium *doctrina judicium.* 362
Societatis *Jeſu Patres a criminationibus Sectani vindicati.* 551
Spiritus *S. dona extraordinaria an ſint hoc tempore exſpectanda?* 469
Stephani III, *P. M. Concilium Lateranenſe editum.* 342 ſeq.
In Syllogiſmis *proportio harmonica detecta.* 220 ſeq.
Syllogiſmorum *doctrina explicata.* 32 ſeq.
Syri (*Ephraemi*) *Operum nova editio deſcripta.* 375 ſeq.
Syriæ *hiſtoria illuſtrata.* 483

T.

Taciti *locus illuſtratus.* 237 ſeq.
Tartari *arcanum quomodo conficiendum?* 61
ſal ſine magnis ſumtibus conficiendi modus. 62
De Telluris *figura ſententia nova.* 525
Theatri *Gallici hiſtoria deſcripta.* 472 ſeq.
Theatrum *antiquum Adriæ detectum.* 313 ſeq.
Thermometrorum *theoria explicata.* 169 ſeq.
S. Thomæ *de Aquino vita & ſcripta.* 385 ſeq.
Thomanæ *Præpoſituræ in urbe Lipſienſi hiſtoria deſcripta,* 155 ſeq.
Tiguri *urbis antiquitas veſtigata,* 153 ſeq.
Tillemontii (*Seb. Nani*) *vita.* 202 ſeq.
Tornandi *ars exculta.* 446
De Toullieu (*Petri*) *ſcripta conjunctim edita.* 254
vita. 255

Tremulorum *historia descripta.* 407 seq.
Triſſini (*Jo. Ge.*) *ſcripta recenſita.* 378
Tullii (*Servii*) *leges, quibus etiam Reges obtemperarent, quæ fuerint?* 237 seq.

U.

Variolæ *venæſectione feliciter curandæ.* 44 seq.
epidemicæ unde, & quomodo curandæ? 258 seq.
Venæſectionis *in cura variolarum uſus ſalutaris.* 44 seq.
Veritas *logica quæ ſit?* 29 seq.
Villicorum *jura & conſuetudines illuſtratæ.* 234 seq.
Ad Vortices *minutiſſimos omnium rerum elementa revocata,* 526
Uſura *an ſit inter licita referenda?* 23

W.

Wolfiana *Philoſophia cum Rüdigeriana comparata.* 28 seq.
Wolfii (*Chriſt.*) *Metaphyſica illuſtrata.* 21
Logica illuſtrata. 42 seq.

Errores operarum hi ſunt emendandi: *Pag. 179 lin. 22* poſt *Autorum* leg. *eccleſiaſticorum; pag. 253 lin. 5* pro *quosdam* leg. *quasdam; ead. pag. lin. 17* pro *præterire* leg. *præteriri; pag. 337 lin. 1* pro *Leodinenſis* leg. *Lecdienſis; pag. 431* delenda eſt tota *Iphigeniarum Euripidis* recenſio, quippe cui jam ante *pag. 329* locus datus; *pag. 322 lin. 3* pro *Tomus III* leg. *Tomus I; pag. 389 lin. 20* pro *ſuſpenſa & affixa* leg. *ſuſpenſis & affixis; pag. 446 lin. 9* pro *podierant* leg. *prodierant; ead. pag. lin. 14* pro *mathenaticos* leg. *mathematicos; pag. 462 lin. 29* pro *concinnatum* leg. *concinnata.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google